VIRIDARIUM POLITICUM, EX QUO EXCERPUNTUR FLORES, & FRUCTUS PRO...

Gaspare Cecchinelli





VIRIDARIVM POLITICVM,

EX QVO

Excerpuntur Flores, & fructus pro Miniſtris Principum, Eccleſiaſticis perſonis, Patribusfamilias, & alijs moralia ſitientibus olim editum

AB ILLVSTRISS. ET REVERENDISS.

D. GASPARO CECCHINELLIO

MONTISFLASCONIS, ET CORNETI EPISC.


Tunc temporis Nuncio Apoſt. apud Sereniſs.

DVCEM SABAVDIAE, &c.

Et denuò in hac ſecunda editione typis mandatum.







AVGVSTAE TAVRINORVM.

Ex Typographia Ioannis Iacobi Ruſtis M. DC. L.

Cum Priuilegio, ac Superiorum permiſſu.

AVCTOR LECTORI BENEVOLO.

VIRIDARIVM hoc morale olim in lucem (dum Taurini Nuncij Apostolici munere fungebar) editum, & Vrbano VIII. tunc Pontifici maximo consecratum, iterum ad tuas manus, benigne Lector, perducitur. Ne spernas ex hoc, quòd à doctissimis Viris huiusmodi argumentum satis sit pertractatum, & discussum: Nam cùm virtus vbique triumphare debeat, non erit dissonum, quòd ad exornandum eius triumphum pertrahatur etiam illius humilis pedisequus, monstra quoque decorant triumphos: Quemlibet Legatum oportet scire quidditatem scientiarum moralium (cùm Ethica ad se ipsum, Oeconomica ad eius familiam, Politica ad officium dirigantur) & non possit suo Principi relationem perbellè facere de rebus Principis, apud quem munus legationis gerit sine earum adiutorio.

Veritatem huius assertionis colligere poteris, amice Lector, ex ipsamet operis inspectione: Nam ex operibus moralibus Sancti Thomæ, & expositoribus Aristotelis non exiguo labore saraginaliter excer-

cer-

cerpsi; & postea paulatim ad instar rosæ, quæ fætus suos assiduè lamberunt, effingit, atque format, ad methodum, & formulam aliquantulum reduxi, deindè iterum opinans, quòd eius participatio ratione compendiositatis tibi non esset futura inutilis, animum induxi ad eam denuò typis tradendum: faxit Deus, vt ita eueniat.

Candide Lector, si aliqua, & forsan multa reprehensione digna animaduerteris, humanissimum te confitebor, si me hominem consideraueris, correxeris, ad hoc vt sic reciproca ædificetur, & non destruatur claritas, & tu etiam (cùm de cœlestium morum magistra, Sapientia agatur) promissione illa fruaris, quæ Eccles. 24. ait: *Qui elucidant me, vitam æternam habebunt.* Vale.

SVM-

S V M M A R I O L A.

1 Scientiarum alia speculatiua alia practica.

2 Speculatiua alia rationalis, alia realis.

3 Rationalis circa quid versetur.

4 Ens rationale quid.

5 Speculatiuæ realis subiectum esse ens reale.

6 Speculatiua rationalis diuiditur in
1 Grammaticam.
2 Rethoricam.
3 Poëticam.
4 Logicam.

7 Grammatica circa quid.

8 Rethorica circa quid.

9 Poëtica circa quid.

10 Logica circa quid.

11 Speculatiuas reales diuidi in
1 Phisicam.
2 Methaphisicam.
3 Mathematicam.

12 Phisicam versari circa ens reale.

13 Mathemathica circa quid.

14 Methaphisica circa quid.

15 Phisicam diuidi in suas species, & quas

16 Scientias practicas diuidi in
1 Actiuas.
2 Factiuas.

17 Scientia practica circa quid

18 Opus humanum regulabile, est duplex
1 Actio immanens.
2 Actio transiens.

19 Actiones immanentes, quæ

20 Actiones transeuntes quæ

21 Scientias practicas actiuas versari circa opus immanens.

22 Factiuas circa opus transiens.

23 Practicas actiuas dici morales.

24 Practicas factiuas dici artes illiberales.

25 Practicas actiuas diuidi in
1 Ethicam.
2 Politicam.
3 œchonomicam.

26 Practicas factiuas diuidi in mecanicas.

27 Moralem locari sub Philosopia reali practica, actiua.

28 Moralem versari circa actiones humanas immanentes.

29 Moralis subiectum esse actiones humanas.

30 Operatio humana quæ dicatur.

31 Operationes humanas dici tantam secundum rationem.

32 Moralem inuentam, non vt homo fiat sciens, sed bonus.

33 Actionem naturalem, & violentam non mereri laudem.

34 Hominem non fieri bonum, secundum intellectum, sed secundum actiones.

35 Hominem voluntariè agentem ob fi..m, dupliciter considerari.

36 Nullus sibi sufficit.

 37 Multitudo

DE SCIENTIA MORALI.

Caput Primum.

1 ACTVRI de scientia morali, iuxta finem supra no-
2 tificatum, pro intelligentiam præmittimus scientiarum
3 quædam speculatiua, quædam practica. Speculatiuæ,
4 prima diuisione, diuiduntur in speculatiuam rationa-
5 lem, & speculatiuam realem. Speculatiua rationalis est, quæ versatur, circa ens, in anima, quod dicitur ens rationale, eo quod non habet esse, nisi in intellectu. Speculatiua autem realis, pro subiecto, habet ens reale.

6 Speculatiuæ rationales diuiduntur) sumendo scientiam in la-
7 tiori significatione) 1. In Grammaticam 2. Rethoricam 3. Poeti-
8 cam 4. & Logicam. Grammaticam versatur circa ensrationis con-
9 gruum, & incongruum. Rethorica circa ens rationis, ornatum,
10 & inornatum: Poetica circa ens rationis delectatiuum, & con-
tristatiuum

tristatiuum. Logica circa ens rationis verum, & falsum.

Speculatiuæ reales diuiduntur 1. In Phisicam 2. Methaphisicam 3.
11 & Mathematicam. Phisica versatur circa ens, contractum, ad ma-
12 teriam sensibilem, quod dicitur ens mobile, siuè ens naturale.
13 Mathematica versatur circa ens abstractum, secundum rationem, idest definitionem, à materia sensibili, & dicitur ens quantum, siuè quantitas continua, de qua est Geometria, siuè discreta, de
14 qua est Arithmetica. Methaphisica versatur circa ens abstractum, à materia sensibili, & intelligibili, & secundum definitionem, & secundum esse, qualis est Deus, & Intelligentiæ, quæ sunt immateriales, æternæ, & sine omni magnitudine.

Phisica diuiditur in suas species, siuè in partes subiectiuas, quæ
15 sunt scientiæ. De Cælo. De Generatione. De Meteoricis. De Anima. De Minerali. De Vegetabilibus. De Animalibus. De elementis, & elementatis. De Animatis, & inanimatis. De Homi-
16 ne.

Practicæ, prima diuisione, diuiduntur 1. In actiuas 2. in factiuas.
17 Cũ omnis practica sciẽtia versetur circa opus, quod est alterius potentiæ ab intellectu, regulabile tamen, per opus intellectus. Opus autem humanum, regulabile, per intellectum, est duplex 1. quod-
18 dam intrinsecum ipsi operanti, & est perficiens suum agens, & di-
19 citur Actio immanens 2. quoddam extrinsecum ab operante, &
20 est perficiens operatum, siuè patiens, & dicitur Actio transiens, quia non remanet, in operante, sed transit in materiam exteriorem, quam perficit operans, dum agit, circa illam.

Actio autem immanens, & transiens sic declarantur. Actiones immanentes, in Deo, & Intelligentijs, sunt, intelligere, & velle. In homine, sunt actiones Partis sensitiuæ, tàm exterioris, vt videre, audire, &c. quàm interioris, vt imaginari, cogitare, &c. & Partis appetitiuæ, sensitiuæ, vt amare, desiderare, delectari, irasci, &c. & Partis intellectiuæ, vt simpliciter intelligere, propositiones formare, sillogizare, & Partis volitiuæ, vt velle, eligere, frui, &c.

Actiones transeuntes, in Deo, & Intelligentijs, sunt, mouere Corpora Cælestia, producere, & conseruare entia, modo dibito naturæ propriæ. In homine, sunt actiones, quibus exercentur Artes seruiles: vt ędificare, texere, agros colere, exercitum struere, &c.

Practicæ actiuæ versantur circa opus immanens, quoniam in

21 homine opus immanens, quod est alterius potentiæ, ab intellectu:
vt opus appetitus sensitiui, & opus voluntatis, est regulabile, per
rationem, vt benè, & laudabiliter fiat, ac etiam per oppositum.
Practicæ factiuæ versantur circa opus transiens, quod etiam, in
22 homine, est regulabile, per rationem, & per habitum Artis, quo ar
tifex, per debitã media, rectè attingit artificiatum.
Practicæ actiuæ dicuntur scientiæ Morales, quæ versantur circa
23 actiones humanas, regulabiles, per rationem, ex quibus homo mo-
raliter dicitur fieri bonus, aut malus, & ex quibus meretur laudem,
aut vituperium, præmium, aut pœnam.
Practicæ factiuæ dicuntur Artes illiberales, siuè seruiles, eo quod
24 magis deseruiunt corpori, quã animæ. Est enim in nobis corpus, vt
pars seruilis, anima autem, vt pars dominatiua, loquendo etiam ex
natura rei. Vulgò autem dicuntur artes mecanicæ, quia magis
detrahunt, & deprimunt, in nobis, intellectum, quàm perficiant,
25 & eleuent ad, per se, speculabilia.
Practicæ actiuę diuiduntur 1. In Ethicam 2. Politicam aliàs Ciui-
26 lem 3. & in œconomicam, idest domesticam, siuè familiarem.
Practicæ factiuæ diuiduntur in septẽ artes mecanicas, quarũ noti-
tia, & vsus, satis patet in Vulgũ. Nec de his considerandũ est, in ne-
gotio morali: Illæ enim neque bonum, neque malum moraliter
faciunt artificem, nisi propter bonum, aut malum suæ artis vsum.

27 *§. 1. Sub qua Philosophiæ parte moralis doctrina collocanda sit.*

Ex prædictis diuisionibus patet, Moralem doctrinam, sub Philosophia
reali, practica actiua, collocandam esse. Quod sub practica, patet,
quoniam finis huius scientiæ non est tantum scire, sed benè operà-
ri. Vnde Arist. in 1. Ethic. Hoc negotium non est, vt sciamus, sed vt
boni efficiamur. Quod autem sub practica actiua, & non sub fa-
ctiua, constat ex eo, quod versatur, circa actiones humanas, imma-
nentes, regulabiles, secundum rationem rectam, vt sint rectæ, &
laudabiles.

§. 2. Quod nam sit subiectum scientiæ moralis.

Eius subiectum sunt actiones voluntariæ; Vel secundum S. Thom. in

28 Proem. 1. lib. Ethic. est operatio humana, ordinata in finē. vel homo,
29 prout est voluntariè agens, propter finem. Vocat autem opera-
29 tionem humanam, quæ à volontate libera procedit, secundum
30 quod dictat ratio, & intellectus: vnde operationes hominis, quę nō
31 subijciuntur voluntati, & ordini rationis, non dicuntur humanæ;
sed naturales, vt operationes Partis vegetatiuæ. Nam hæc pars
nullo modo, est rationationalis, nec essentialiter, nec participatiuè.
Ratio autem, porpter quam, actio humana, siuè homo, voluntariè
agens, propter finem, sit hîc subiectum, hęc est. Scientia moralis
32 inuenta est, non vt homo fiat sciens, sed vt bonus, vt iam supra di-
ctum est, & vt consequatur felicitatem, cuius solus homo, inter
33 entia inferiora, est receptiuus; sed non fit bonus, propter actiones
naturales; nam, etiam secundum Arist. nequè naturalis actio, ne-
què violenta, meretur laudem, aut gloriam; nequè fit bonus, secun-
34 dum intellectum, propter actiones merè intellectuales; Nihil enim
prohibet, scientissimum Phisicum agere turpia, aut iniusta, ergo fit
bonus, propter actiones, quarum est dominus. Istę autem sunt à,
voluntate libera, siuè elicitę, siuè imperatæ, quæ, proprio significa-
tu, dicuntur humanæ, siuè voluntariæ; ergo scientia moralis conue-
nienter versatur circa huiusmodi actiones, vel circa hominem, vo-
luntariè, & liberè agentem, propter finem: scilicet ab intellectu prę-
cognitum, & voluntati præsentatum, vt bonum.

§. 3. *Vnde sumenda sit scientiæ moralis sufficientia, quæ diuiditur in Ethicam, Politicam, & œconomicam, & non in plures,*
35 *nec pauciores.*

Homo volontariè agens propter finem, dupliciter consideratur 1. secundum se, & vt per voluntatem, & intellectum, ordinat se ipsum, in vltimum, & optimum finem, qui dicitur felicitas 2. Vt est pars Multitudinis, quam iuuat, & à qua iuuatur, in his, quæ sunt hominibus necessaria. Nullus enim sibi soli sufficit, sed sicut in membris corporis, vnum alteri confert, ita in hominibus, vnus alterum iuuare debet. Multitudo autem, cuius homo est pars, duplex est 1. familia, siuè Domus 2. Ciuitas, quæ sic differunt. Homo, qui est animal naturaliter sociabile, indiget aliquibus, sine quibus, vita præsens transigi non potest, vt generatione, nutrimento, vestitu

veſtitu, habitatione, defenſiua ab aeris intemperie. Indiget etiam aliquibus, vt non ſolum viuat, ſed & vt bene, & ſufficienter.
39 Ratione primi inſtituti, eſt multitudo domeſtica, ſiue familia, in qua omnes ſe inuicem iuuant, in neceſſarijs vitæ, & dicta eſt fami-
40 lia, quia vnuſquiſque, modo ſuo, famulatur alteri. Ratione ſecun-
41 di, inſtituta eſt Ciuitas, quæ conſtat ex pluribus vicis: Vicus autem
42 ex pluribus domibus. Quæ autem ex pluribus pagis conficitur
43 ſocietas, Ciuitas eſt, quæ quidem totius ſufficientiæ finem habet.
44 Duo requiruntur ad Ciuitatem, propriè dictam. 1. quod ſi Com-
45 munitas perfecta: eſt autem Communitas perfecta, in qua inueniuntur omnia Vitæ humanæ neceſſaria. Hac de cauſa, conſtat Ciuitas, ex multis Vicis, vt in eis exerceantur diuerſæ artes, quibus parantur Vitæ neceſſaria 2. quod ſit cauſa, vt homo non ſolum habeat ſufficientiam, pro Vita corporali, ſed etiam, vt tutè, pacificè, & ſtudioſè viuat. Ideò quamlibet Ciuitatem oportet habere leges,
46 & Publicam Poteſtatem, quibus coërceantur mali, & boni defenſentur; ordineturquè Ciuium Vita ad virtutes.

Ex hac diſtinctione conſtat veritas, ſupra aſſignata, diuiſionis ſcientiæ moralis 1. in Ethicam 2. Politicam 3. & œconomicam.

Vt homo bene ſe regat, & ordinet, in optimum finem, inuenta
47 eſt Ethica, quæ & monoſtica dicitur, quaſi ſcientia vnius. In hac cognoſcit homo, quomodo paſſiones moderandæ ſunt, per habitus morales, quomodo ad proximum ſe habeat, per iuſtitiam, prudentiam, & amicitiam honeſtam; in quo vera conſiſtat felicitas, pro hac Vita, poſſibilis haberi.

Inuenta eſt autem œconomica, ideſt ſcientia de domeſtica multitudine, vt homo ſciat, quomodo ſe habere debeat, in Domo, in regenda familia, quid ad Progenitores ſpectet, quid ad virum, quid ad vxorem, quid ad liberos, quid ad ſeruos; qui curare debeat intrinſeca domus, qui extrinſeca.

48 Politica autem inuenta eſt, vt homo ſciat, quomodo viuendum, in Ciuitate, ſiuè Præſidens, ſiuè ſubiectus, quæ partes inſtitui debeant, in Ciuitate, quæ artes, quæ diſciplinæ, quæ leges, quæ pęnę, quę pręmia, quis finis, ad quem obtinendum ſemper contendant Ciues.

Ad Politicam, vt ad principaliorem, & architetonicam ordi-
49 nantur Ethica, & œconomica. Politica appellatur etiam ſcientia

50 Ciuilis. Prima, in ordine doctrinæ, est Ethica: Nam qui se ipsum
51 ignorat, & animum, per virtutem, excolere non didicerit, nequè
in multitudine domestica, nequè Ciuili, laudabiliter conuiuere
52 poterit. Politica verò, dignitate, & perfectione, prima est, ideò
erit vltima in doctrina. Vnde concludendo dicimus; Ethicam
53 considerare de optimo, & vltimo fine hominis, in quantum est
acquisibilis ab homine indiuiduo, & vt ille finis respicit bonum
particulare singularis hominis.

54 Politicam verò considerare de vltimo fine, non vt est acquisibilis ab homine indiuiduo, sed vt acquisibilis ab homine, vt parte, & membro Ciuitatis, & vt ille finis respicit totam Ciuitatem. Oeconomicam verò considerare de eodem vltimo fine, vt est acquisibilis ab homine, vt membro, seu parte familiæ.

55 Ciuitatem verò institutam esse, vt homines, habentes sufficientiam eorum, quæ ad Vitam pertinent, acquirerent summum bonum humanum.

56 §. 4. *Quid sit summum bonum humanum.*

Summum bonum humanum consistit in hoc, quod homines consequantur felicitatem Politicam. Felicitas Politica tunc adpiscitur 1. Cum habentur sufficientia eorum, quæ ad vitam pertinent 2. quando Ciues sunt boni moraliter, & virtutum amatores 3. quando ita dirigitur Gubernatio Politica, vt violentias, Ciuibus illatas, repellat, & inferendas prohibeat, & sic inducatur tranquilitas, & Pax Publica. Ex Arist. 1. Ethic.

Summum bonum hominis Christiani altius, & sublimius est. De eo etiam dicetur, suo loco.

His præcognitis, omnium quas, fecimus, diuisionum, figuram infra ponendam curauimus.

ARBOR

Arbor divisionis scientiarum.



SVMMARIOLA.

1 *Virtutem moral: esse habitum electiuum in medietate consistentem.*

2 *Ex quinque conditionibus manifestari naturam Virtutis moralis.*

3 *Medium Virtutis quotuplex, & eius consideratio.*

4 *Virtutem mor: esse in appetitu sensitiuo.*

5 *Medium Virtutis variari multipliciter.*

6 *Prudentiam præfinire tripliciter finem Virtutibus moralibus.*

7 *Virtutes mor: econtra præfinire tripliciter finem prudentiæ.*

8 *Virtutes mor: non extinguere, sed moderari passiones.*

9 *Virtutis mor: proprium esse perficere potentiam, ad attingendum obiectum, consentaneũ rationi.*

10 *Virtutem moralem non esse passionem; sed habitum.*

11 *Portiones in homine duas esse, inferiorem, & superiorem.*

12 *Superior portio dicitur ratio.*

13 *Inferior dicitur appetitus sensitiuus.*

14 *Moralis onus esse, submittendi inferius superiori.*

15 *Bonum cuiuslibet mensuratum consistere in hoc, quod sit conforme suæ regulæ.*

16 *Bonum Virtutis moralis habere rationem pro regula.*

17 *Bonum istud consistere in quadã adęquatione, ad mensuram rationis.*


18 *Adęquationem esse ęqualitatem, vel conformitatem inter excessum, & defectum.*

19 *Virtutem moralem consistere in medio, duobus modis intelligi.*

20 *Virtutem moralem esse medium in passionibus, & operationibus.*

21 *Medium hoc vltimum quomodo detur.*

22 *Medium, quod habeat rationem Virtutis, non dari in ijs, quæ sunt, secundum se, mala.*



DE SCIENTIA MORALI, QVOAD EIVS QVIDDITATEM.

Caput II.

VIRTVS moralis est habitus electiuus, in medietate exi-
1 stens, quoad nos, determinata ratione, vt sapiens determinabit. Est definitio, Arist. in 2. Ethic. In hac difinitione, ponuntur quinque, ex quibus simul sumptis, sufficienter manifestatur natura virtutis moralis 1. dicitur habitus, & sic nec potentia, nec passio, ergo habitus 2. Dicitur electiuus, idest secundum electionem, quia virtuosus non operatur, per virtutem, nisi per electionem, & deliberationem 3. Dicitur, existens in medietate quoad nos, quoniam Virtus consistit in medio, inter excessum,
3 & defectum. Medium verò est duplex 1. secundum rem 2. quoad nos. Medium secundum rem, est quod æqualiter distat, ab vtroque extremo. Medium quoad nos, est quod nobis nec excedit, nec deficit, videlicet nec superfluum, nec diminutum est. Medium secundum rem, est medium secundum proportionem Arithmeticam. Medium quoad nos, est medium secundum pro-
4 portionem Geometricam 4. Dicitur (determinata ratione) quia virtus moralis est, in appetitu sensitiuo, in quo non est bonitas moralis, nisi vt determinatur ratione dictante; quemodo amandum, quomodo tristandum, quomodo sperandum 5. Dicitur (vt sapiens determinabit) quia contingit rationem esse rectam, & erroneam: & oportet, opus Virtutis esse secundam rationem rectam; & ideò ad hoc explicandum dicit, vt sapiens iudicabit. Sapiens enim vt sapiens est, non iudicat, nec determinat, nisi secundum rectam rationem. Hæc particula (Vt sapiens determinabit) est complementum totius definitionis. Nam quia medium, quod, in singulis virtus requirit, non est vno modo, apud omnes, sed variatur, ex personis, ex
5 tempore, ex loco, ex causis, &c. oportet tale medium determinari ad dictamen sapientis, qui, secundum Arist. potest de singulis, vt
6 negotia requirunt, rationem debitam reddere.

Prudentia præfinit finem Virtutibus moralibus tripliciter. 1. illuminando, dirigendo, & subtrahendo errores intellectus. 2. facien-

do,

do; quod Virtus moralis constituat medium, in suis operationibus,
qui est finis moralis. 3. applicando efficaciter media, sine quibus
7 non potest esse perfectus appetitus finis. E contra Virtutes mora-
les præfiniunt dupliciter finem Prudentiæ: 1. disponendo illam, ad
rectum finem. 2. remouendo passiones, ex animo nostro, immo-
8 deratas, quæ perturbant iudicium rationis.

Virtutes morales non extingunt, neque eradicant passiones, sed
benè moderantur eas, & submittunt rationi. Proprium, & es-
9 sentiale virtutis moralis est perficere potentiam, ad attingendum
obiectum, consentaneum rectæ rationi. Vnde verum stat, virtu-
tem moralem essentialiter versari, circa obiectum, consentaneum
10 rationi, ideò virtus moralis non est passio, sed habitus, qui potest
esse simul, cum passionibus moderatis S. Th: 1. 2. q. 59. art. 1. 2.
11 & 3.

Sunt in homine duæ notæ portiones 1. superior 2. inferior. Pu-
12 gnant simul semper. Ratio, qui est spiritus Diuinus, & quæ est por-
tio superior animæ, vti orta ad Imperium, ita prouisa, à Deo, de
13 subdito, qui est appetitus sensitiuus, & portio inferior, conatur sibi
semper submittere istam portionem inferiorem, sed quia est bruta-
lis, & ægrè fert se fuisse suppositam, sub rigida censura, suo Principi,
refugit, & clamat, cum Diuo Paulo. Sentio alteram legem, in
membris meis, repugnantem legi mentis meæ, & captiuantem
14 me, in lege peccati. Morali incumbit hoc onus, liberandi ap-
petitum humanum à tyrannide delectationis nociuæ, & licentiæ,
qua præcipitatur. Moralis, hoc modo, eruditus, benè se continet,
se ipsum moderatur, nunquam incontinens, nunquam errans, sem-
per subditus rationi.

§ 1. *Quomodo virtutes morales in medio consistant.*

Licet ex definitione, supra allata, constet, virtutem moralem habere con-
15 sistentiam in medio, tamen ad maiorem euidentiam, additur hic
16 Bonum cuiuslibet mensuratum, & regulatum consistit in hoc,
17 quod sit conforme suę regulæ: Vnde bonū virtutis moralis, cum ha-
18 beat rationem, pro regula, consistit, in quadam adæquatione, ad
mensuram rationis; ista adæquatio est æqualitas, vel conformitas,
19 inter excessum, & defectum; vt iam supra dictum est S. Th: 1.2.q.64.

& ibi Med. & Valen. dicunt, duobus modis poſſe intelligi, virtutem conſiſtere in medio 1. quoad ſubſtantiam habitus 2. quantum ad effectum operis. Illa virtus conſiſtit, in medio, quantum ad ſubſtantiam habitus, quæ conſtituit medium, inter duos habitus vitioſos. Ver. gr. fortitudo conſiſtit in medio, inter nimiam audaciam, & nimium timorem. Virtus verò conſiderata, quantum ad effectum operis, verb. gr. eadem fortitudo, tunc dicitur perfecta, & conſiſtens in medio, quando producit omnes ſuas operationes, ſecundum circumſtantias, debitas, à prudentia præſcriptas, ſic vt non deficiant, nec exuperent. Defectus namquè, in materia virtutum, eſt non operari, cum debeas operari. Exceſſus verò eſt, operari, quando oportet non operari. Nam medium rationis eſt, operari, quando oportet, & vti oportet; & ſic vt non excedat, nequè deficiat.

Adiungitur. Iauellus in 2. Ethic. Ariſt. firmata concluſione: Virtutem moralem eſſe medium, in paſſionibus, & operationibus
20 quærit: Vtrum vniuerſaliter, in omnibus paſſionibus, & operationibus, ſit dabile medium, quod ſit virtus, & Reſpondet intendens talem diſtinctionem. Paſſiones, & operationes humanæ ſunt, in duplici defferentia. Quædam, ex ſui natura, non ſunt bonæ, ne-
21 què malæ moraliter, niſi pro quanto fiunt, cum exceſſu, aut defectu; puta amare, deſiderare, delectari, &c. eſt indifferens, ſcil. nec bonum, nec malum moraliter, ſed naturale. Nimis autem amare, quàm oportet, aut aliter quàm oportet, aut rem, quam non oportet, aut propter finem non laudabilem, malum eſt moraliter, Quod dicitur de paſſionibus, intelligendum eſt etiam de operationibus, vt de comeſtione, de diſtributione propriæ facultatis, de ædificatione domorum, &c. Hæc enim ſunt etiam indifferentia, & non fiunt mala, niſi ex ſuperfluo, & diminuto, & in his omnibus dabilis eſt virtus moralis, quæ teneat medium, inter ſuperfluum, & diminutum. Quędam autem paſſiones, & operationes humanę ſunt ex ſe malæ, & nunquam bonæ, nequè quocumq; modo fiant, ſiuè multum, ſiuè parum, fient benè, licet ſi multum fiant, erunt peiores, ſi parum, minus malæ, ſemper tamen malæ. Exemplum de paſſionibus. Gaudere in rebus malis, lętari peccaſſe, inuerecundia, inuidia &c. exemplum de operationibus; furtum, homicidium, adulterium &c. Hæc enim inquit Ariſt. confeſtim nomina-

ta,

ta, conuoluta sunt cum malitia. In his non est dabilis virtus moralis, quæ teneat medium: quod probat Arist. triplici ratione.

Prima. In his quæ sunt, secundum se, mala, non est dabile, me-
22 dium, quod est virtus, datur enim medium, vt regulatiuum extremorum, vt benè fiant, sed quæ sunt, secundum se mala, non possunt regulari, vt benè fiant, quia nec est circa hæc dirigere, sed semper peccare; nequè est benè, vel non benè circa talia, in eo quod oportet, vt oportet, & quando, & quomodo, puta adulterari, sed simpliciter, idest absolutè facere quodcumquè horum, peccatum est. Sed quędam passiones, & operationes humanę sunt, secundum se, malę, vt exemplificatum est, ergo circa illas regulandas, non est dabilis virtus moralis, sed semper, & absolutè sunt peccata.

Secunda sic. Cùm prędictę passiones, & operationes, secundum se, sint malę, sicut vitia extrema, qui in talibus quęrit medium idest virtutem, est similis illi, qui in extremo quęrit medium, quod est impossibile, aliter medium esset in extremo, quod implicat contradictionem, vt si, in auaritia, aut iniustitia poneretur medium, ergo eadem ratione, nec in dictis passionibus, & operationibus, ex se, malis, est ponere medium.

Tertia sic. Sicut virtutes, quæ sunt, secundum se, bonæ, se habent ad extrema, ita illa, quę sunt, secundum se, mala, se habent ad medium, sed repugnat in virtutibus inuenire extrema, quæ sunt vitiosa, ergo eadem ratione repugnat in his, quæ sunt, secundum se, mala, inuenire medium, quod habeat rationem Virtutis; & sic constat, in his, quę sunt secundum se, mala, non esse dabilem virtutem moralem, sed semper esse mala.

SVMMARIOLA.

1 *Scientiæ moralis materia, circa quam, quæ.*

2 *Non esse dabilem in ea materia, multam certitudinem.*

3 *Circumstantiæ singulares operationum, difficiliter cadunt sub arte certa.*

4 *In moralibus operans se habeat vt Medicus, & vt Gubernator Nauis.*

5 *Modum operandi in humanis, diuersitatem sumere ex diuersis respectibus.*

6 *Actionem humanam, in moralibus, versari diuersimodè.*

CIRCA QVID VERSETVR SCIENTIA MORALIS.

Caput III.

1 DICTVM est supra, materiam, circa quam versatur scientia moralis, esse humanas actiones, ordinatas, in finem. Ad maiorem intelligentiam additur hic; quod licet operationes humanæ, & bona exteriora, ordinata ad felicitatem, sint subiectum huius scientię, tamen ista non habent multam certitudinem, sicut accidit, in opere medicandi, in quo non est multa certitudo, quoniam dispositio corporis sanabilis, & remedia, assumpta, ad sanandum, variabilia sunt: ideò sermo de operationibus humanis
2 & modus tractandi de eis, non potest esse omnino certus, sed figuratiuè, & exemplariter procędendum est. Nec etiam sermo vniuersalis, in talibus habet certitudinem, & multo minus sermo de singularibus, in particulari est certus. Nam operationes, & circumstantiæ singulares, eo quod sunt incertæ, & quasi infinitæ, nec sub
3 arte, nec sub certa narratione cadere possunt, quia de singularibus,
4 certam regulam habere non possumus; Vnde operans, in moralibus, debet se habere, vt Medicus, & vt Gubernator Nauis. His enim necesse est, vt varietates temporum considerent, & sic tantũ, secundum prudentiam, possunt operationes suas dirigere, tempore opportuno.

Modus operandi, in humanis, diuersitatem suscipit ex tempore,
5 quia aliter operandum est in ęstate, aliter in hieme. Item ex personis, aliter enim operandum est circa amicos, aliter, circa inimicos. Item ex fortunis, aliter enim operandum est in prospera, aliter in aduersa. Item ex ætate, aliter enim agendum est cum iuuene, aliter cum sene. Item ex conditione, vt aliter cum nobili, aliter cum rustico. Bona enim vtilia, diuersis modis; ad diuersos se habent. Arist. in 2. Ethic.

Actio humana, secundum subiectam materiam, vel versatur 1.
6 circa operationes virtutis 2. Vel circa ea, quæ tangunt bona fortunæ 3. Vel circa bona corporis. In primis, variæ sunt hominum sententię, quoniam, quędam, quę ab aliquibus reputantur honesta, & iusta, ab alijs æstimantur in oppositum, secundum differentiam

temporum,

temporum, locorum, & personarum. In secundis quanta sit varietas, hinc patet, quod aliquos iuuant, aliquibus nocent. Multi enim occasione diuitiarum, perierunt. Attenta igitur tanta varietate, non expedit Doctorem huius scientiæ velle vti demonstratiua certitudine, sed sufficit conformare principia, ex quibus deducit conclusiones, ipsis conclusionibus, & cùm conclusiones morales non habeant omnimodam certitudinem, sufficit Doctori, adducere rationes, quæ frequentius, & vt in pluribus, reputantur veræ, & per eas concludere conclusiones morales. Ex Arist. 1. Ethic.

SVMMARIOLA.

1 *Virtutes intellectuales esse duplices.*
   1. Speculatiuas.
   2 Practicas.

2 *Speculatiuas consistere; in contemplatione, & cognitione veritatis, & esse tres.*
   1 Intellectum.
   2 Scientiam.
   3 Sapientiam.

3 *Practicas consistere, in intellectu practico, & esse duas.*
   1 Artem.
   2 Prudentiam.

4 *Artem esse rectam rationem rerum factibilium.*

5 *Factibilia esse, quæ fiunt per actiones transeuntes.*

6 *Vel Ars est habitus, cum ratione verus.*

7 *Prudentia quid.*

8 *Scientias intellectuales esse tãtum tres, probatur.*

9 *Metaphisica quid.*

10 *Metaphisicæ obiectum esse ens, vt sic.*

11 *Methaphisicam esse quandam Diuinam possessionem scientiarum.*

12 *Methaphisicam esse vnã scientiam veritatis.*

13 *Theologiam esse veram sapientiam.*

14 *Intellectualium scientiarum definitio.*

15 *Intellectus quid.*

16 *Scientia quid.*

17 *Sapientia quid.*

18 *Esse Virtutes impropriè.*

DE VIRTVTIBVS INTELLECTVALIBVS, EX S. TH: 1. 2. q. 57.

Caput IV.



ICET, in præſenti labore, intendamus colligere tantum materias, pertinentes, ad ſcientiam practicam actiuam, nempe ethicam, Politicam, & œconomicam, tamen non incongruum iudicauimus, ponere pręſentem Titulum, ad habendam cognitionem virtutum intellectualium, poſt quam reaſſumemus propoſitam materiam moralem.

Virtutes intellectuales duplicis ſunt ſpeciei 1. Speculatiuæ 2.
1 Practicæ. Speculatiuæ conſiſtunt, in contemplatione, & cognitio-
2 ne veritatis, & non deſtinatæ ad praxim, ſunt autem tres 1. intel-
3 lectus 2. ſcientia 3. ſapientia. Practicæ conſiſtunt in intellectu pra-
ctico, & ordinantur ad praxim. Sunt autem 1. Ars 2. Prudentia.
4 Ars eſt recta ratio rerum factibilium. Factibilia ſunt ea, quæ fiunt
5 per actiones tranſeuntes, in externam materiam, vti gladius, domus
6 &c. Vel Ars eſt habitus; cum ratione, verus effectiuus. Prudentia
7 eſt recta ratio agibilium, nempe recta ratio actuum humanorum,
in nobis immanentium. Vel eſt habitus, cum vera ratione, actiuus, circa ea, quæ ſunt bona, vel mala homini. Non ſunt propriè virtutes, cum non faciant bonum habentem, iuxta S. Th: hic.

Quod virtutes intellectuales ſpeculatiuæ ſint tantum tres, pro-
8 bat Ariſt. 6. Ethic. cap. 3. hoc modo. Virtus intellectualis ſpeculatiua eſt illa, per quam perficitur intellectus, in cognitione veri, vel in contemplatione, ergo vel perficitur intellectus, in cognitione primorum principiorum, & ita conſtituitur vna virtus intellectualis, quæ appellatur, intellectus; vel perficitur, in cognitione concluſionum, & ita ſtatuitur altera virtus, quæ dicitur ſcientia; vel perficitur, in cognitione vtrorumque, nempe primorum principiorum, & concluſionum, & ita conſtituitur ſapientia; Vnde ſapientia continet intellectum, & ſcientiam, & prima principia, quia vtitur principijs ad demonſtrandas concluſiones, quod eſt proprium

ſcientiæ.

ſcientiæ. Iudicat prima principia eſſe vera defendit, & diſputat
contra negantes prima principia, quæ ſolus intellectus videt eſſe
vera, & hoc facit, reducendo ad altiſſimam cauſam. Ideò aduertit,
9 habitum ſapientiæ, inter ſcientias humanas, eſſe Metaphyſicam,
quia per altiſſimas cauſas, & communia principia, iudicat, de rebus
10 communibus; Ratio quia eius obiectum eſt ens, vt ſic; & ſic ad Me-
taphiſicam pertinet, conſiderare naturam entis, & omnes ſuas pro-
prietates. Præterea ad eam ſpectat iudicare de rebus communibus,
& defendere prima principia, & ita eius officium eſt conſiderare
ſubſtantias, ſeparatas, à materia. Vnde eſt prior dignitate, & hono-
re, quamuis ſit poſterior cognitione. Ideò idem Ariſt. dixit, Me-
11 taphiſicam eſſe quandam Diuinam poſſeſſionem ſcientiarum
12 Dei, & vnam ſcientiam veritatis, & in illa, ipſe conſtituit vltimam
felicitatem ſpeculatiuam, quæ in hac vita, poteſt haberi.
13 Ex dicto principio corolariè colligitur, noſtram Theologiam eſſe
veriſſimam ſapientiam, Nam conſiderat Deum, vti Deum, & non
ſolum ea, quæ de Deo cognoſci poſſunt, lumine naturæ, ſed etiam
ea, quæ cognoſcuntur lumine ſupernaturali. Vnde ad hanc ſa-
pientiam pertinet corrigere omnes ſcientias particulares, & omnem
Metaphyſicam. Ideò S. Paul: 1. Cor. 11. & 2. Cor. 10. Perdam
ſapientiam ſapientium, & ſpiritualis omnia diiudicat, & ipſe, à ne-
mine iudicatur. Per iſtam ſapientiam captiuamus intellectum no-
ſtrum, in obſequium Chriſti, ad deſtruendam omnem ſcientiam,
extollentem ſe, aduerſus ſcientiam. Dei.

14 §. 1. *Definitio trium virtutum intellectualium.*

Intellectus eſt habitus principiorum, quibus aſſentimur primis, & per
15 ſe notis principijs ſcientiarum, ſcientia eſt habitus demonſtratiuus,
16 circa rem neceſſariam, quæ aliter haberi non poteſt, neque poteſt
ſtare, alio modo, nempe vti de illa adeſt ſcientia, in vniuerſali. Sa-
17 pientia eſt quædam exactiſſima ſcientia, quæ non ſolum cognoſcit
ea, quæ ſunt, & proueniunt, à, principijs, & per cauſas vniuerſa-
les, ſed etiam ea iudicat, à, principijs aliarum ſcientiarum.

18 §. 2. *An ſcientiæ intellectuales prædictæ ſint Virtutes.*

Virtutes intellectuales, ſecundum vnam opinionem, non ſunt virtutes,

nisi impropriè. Nam virtus absolutè est illa quæ facit bonum habentem, & opus eius reddit bonum, sed, secundum virtutes intellectuales, homines non sunt appellati boni, vel mali, quia vnus potest habere intellectum, scientiam, & sapientiam, & non esse bonus, ergo, &c. Præterea non sunt propriè virtutes, habitus intellectuales speculatiui, quia non perficiunt bonum vsum, & appetitum, & non faciunt, quod benè vtamur omnibus potentijs, & omnibus habitibus, sed solum dant facultatem benè operandi. S. Tho. 1.2. d. q. 57. art. 1. Dato etiam, quod, secundum alteram opinionem, sint verę virtutes, tamen nimia speculatio intellectus multum nocet acquisitioni virtutum moralium. Vnde intellectus, in parte, adiuuat, in parte impedit operationes, respicientes amorem rerum Diuinarum. Adiuuat, in quantum (dat notitiam rei amatæ) quia nihil volitum, nisi præcognitum. Impedit, quia cùm virtus animæ sit finita, quanto plus applicatur, ex vna parte, tanto minus remittitur ex altera. Vti fons aquæ, profluentis ex duabus fistulis, quanto plus transmittitur ex vna, tanto minus profluit ex altera. Intellectus, & voluntas animæ nostræ, comparantur bilancibus, quarum quando vna eleuatur, altera deprimitur. Docet experientia. Dum aliquis suauissimè fruitur Deo, si eodem tempore diuertit intellectum, ad speculandam rem aliquam de Deo, statim illud bonum euanescit (ab oculis) cum arefiat voluntas. Ideò non, sine causa, in Canticis Cantic: sponsus sponsam admonet. Auerte oculos tuos, à, me, quia ipsi me auolare fecerunt.

SVMMARIOLA.

1 *Virtus moralis, secundum S. Thom: quid sit.*

2 *Virtutem essentialiter esse habitum bonum.*

3 *Virtutem omnem, & bonitatem esse conformitatem regulæ, & legi.*

4 *Virtutem generaliter accipi dupliciter.*
 1 *Propriè.*
 2 *Communiter.*

5 *Virtutem esse quandam perfectionem.*

6 *Virtutem communiter dici omne id, quod est bonum, et laudabile.*

7 *Virtutem dicere vltimum de potentia.*

8 *Virtus dicitur dispositio perfecti ad optimum.*

DE VIRTVTE MORALI, QVOAD EIVS DEFINITIONEM.

Caput V.



IRTVS Moralis eſt bona qualitas mentis, qua rectè viuitur, & nemo malè vtitur, & quam Deus operatur,
1 in nobis, ſine nobis S. Th. 1. 2. q. 55. ar. 4. ſecunda pars huius definitionis verificatur tantùm de virtute morali infuſa, & non morali pura. Vel Virtus moralis eſt quæ bonum facit habentem, & opus eius reddit bonum. Definitio iſta competit etiam virtutibus Theologalibus, ſed non intellectualibus, quia iſtæ non faciunt bonum habentem, ſimpliciter,
2 ſed ſecundum quid. Virtus eſſentialiter eſt habitus bonus, operatiuus, quo bene diſponimur ad actus, & ideò non eſt aliqua potentia, aut paſſio, ſed habitus bonus, qui eſt qualitas durabilis diſponens benè potentiam ad operationes, & ſic illa perfectio ſuper addita potentiæ rationali, ad benè operandum, quæ appellatur virtus, eſt eſſentialiter talis qualitas durabilis, diſponens benè potentiam S. Th. d. q. 55. ar. 1. 2. & 3.

Virtus omnis, & omnis bonitas, non eſt aliud, quàm conformi-
3 tas regulæ, & legi. Medin. in S. Th. 1. 2. q. 56. ar. 4. Nam ratio virtutis humanæ conſiſtit in hoc, quod motus animi ratione reguletur S. Th. 2. 2. q. 30. ar. 3. & quia homo, intra ſe, continuum patitur bellum, proueniens, ex paſſionibus animi, & ſic in pugna

ſemper, propterea virtus dicitur verſari circa difficile.

Virtus in generali, dupliciter accipitur 1. Propriè 2. Com-
4 muniter. Propriè virtus quædam perfectio eſt, & ideo omne id, quod
repugnat profectioni, etiam ſi ſit bonum deficit, à ratione virtutis.
5 Id applicatur virtutibus moralibus, & Theologalibus, ſed non na-
turalibus, & alijs virtutibus. Communiter dicitur virtus omne,
6 quod eſt bonum, & laudabile in humanis actionibus, vel paſſioni-
bus, vel ſcientijs. S. Th. 2. 2. q. 144. art. 1. & ideo ſolet dici, quod
7 Virtus eſt vltimum de potentia ideſt vltimum, in quo quælibet res
poteſt, verb. grat. Virtus Petri eſt quod poſſit portare libras x. In hoc
ſenſu dicit ſcriptura. Ficus, & vinea dederunt virtutem ſuam, id-
eſt protulerunt fructum, quem potuerunt. Hęc dicitur virtus na-
turalis; ſed non moralis.

Virtus moralis dicitur etiam diſpoſitio perfecti, ad optimum, in
8 ſuo genere, ideſt perfecti ſubiecti ad optimam operationem, in ſuo
genere tantum, verb. gr. Temperantia eſt virtus, ſed non diſponit ad
optimam operationem, in omnibus, ſed tantùm in ſuo genere.

§. 1. *Quomodo virtus moralis dicatur operatiua.*

Virtus moralis, vt habitum eſt ſupra, eſt habitus operatiuus, quia virtus
9 humana moralis non pertinent ad corpus, ſed tantum ad illud,
10 quod eſt proprium Animæ, quia in virtute, reſpiciente corpus, ho-
11 mo communicat cum brutis, ergo virtus hmana non dicit ordinem
ad eſſe, ſed ad operari, hoc modo. Virtus dicit perfectionem po-
12 tentiæ, & cum ſit duplex potentia, Vna ad eſſe, altera ad operari,
13 perfectio vtriuſq; appellatur Virtus, ſed cum differentia, nam po-
tentia ad eſſe reſpicit partem materiæ, quæ eſt ens in potentia, ſed
potentia ad operari reſpicit formam, quæ eſt principium operan-
di, ſed in conſtitutione hominis, corpus conſideratur, vti materia,
Anima, vti forma. Iſta ita ſeſe habent, in ſe ipſis, vt vires corpo-
ris ſint communes cum brutis, vires Animę ſint propriæ hominis,
ergo Virtus humana pertinet ad Animam, ergo non dicit or-
dinem ad eſſe, ſed ad operari, ergo eſt de eſſentia, quod Virtus
humana ſit operatiua.

14 *§. 2. Quid sit potentia, in ordine ad moralem ...*

Potentiæ non vt generaliter acceptæ, sed vt spectant ad considerationem philosophi moralis, & in ordine ad passiones, contra quas pugnant virtutes morales, secundum Arist. 2. Eth. sunt illæ secundum quas, passibiles harum dicimur, idest secundum quas possumus moueri ad passiones. Verb. gr. concupiscentia dicitur potentia, quia possumus per ipsam moueri, ad amorem, ad odium, ad iram, &c.

15 *§. 3. Quomodo probetur Virtutem non esse passionem, neque potentiam, sed habitum.*

Supra in principio huius capituli, ex mente S. Th. dictam est, virtutem nō esse aliquam potentiam, vel affectionem, sed habitum. Id modò probandum est, secundum Arist. 2. Eth. cum virtus sit principium & causa actus virtuosi, ex consequenti, sit principium operandi; oportet genus, quod ponitur in definitione virtutis, esse aut passionem, aut potentiam, aut habitum. Plura enim principia operandi non inueniuntur, in Anima humana, quæ sint principia operationis humanæ, propriè sumptæ. Quod sic declaratur. Principium operationis humanæ, vel sumitur per modum elicientis, & producentis operationem humanam, & sic est potentia, puta voluntas vult, appetitus desiderat. Vel per modum mouentis, & incitantis, ad operationem, & sic est passio: hæc enim mouet hominem ad agendum aliquid extra, vt cum quis ex ira, impellitur ad percutiendum, vel malè dicendum. Vel per modum disponentis potentiam, & determinantis, & inclinantis eam ad operandum, & sic est habitus. Patet igitur diuisionem esse sufficientem. Modò, ex Arist. vbi supra probandum est, quod Virtus non est passio, neque potentia. Quod non sit passio probat Arist. 4. rationibus 1. secundum passiones absolutè sumptas, non sumus boni, nec mali moraliter, nam, secundum se, sunt motus naturales, qui, vt sic, non sunt laudabiles, nec vituperabiles; secundum virtutem autem sumus boni, & secundum vitium, mali: ergo constat nec Virtutem, nec vitium esse passiones. 2. secundum passionem, neque laudamur neque vituperamur, non enim laudatur qui timet, qui irascitur, &c. neque vituperatur, sed qui qualiter, idest

ex

ex causa, vel sine causa: sed secundum virtutes, laudamur, & secundum vitia, vituperamur, ergo, &c. 3. Irascimur non spontè, & sæpè timemus, sed opus virtutis est electio, vel non sine electione, & vt sic voluntarium, ergo &c. 4. secundum passiones mouemur, puta ad odium, aut amorem: sed secundum virtutem non mouemur, sed disponimur qualiter debemus moueri, puta secundum temperantiam, qualiter debemus delectari, & secundum mansuetudinem, qualiter debemus irasci, ergo &c. Quod Virtus non sit potentia, dupliciter probatur 1. secundum potentias, neque boni, neque mali sumus, non enim qui potest facere bona, bonus est, neq; qui potest facere mala malus est, aliter omnes essent boni, & mali. Sed, secundum virtutem, sumus boni, & secundum vitium, mali ergo &c. 2. Potentiæ operandi insunt nobis, à natura, sed virtutes non insunt nobis à natura, sed generantur, in nobis, ex frequentatis actibus, ergo &c.

16 §. 4. *Differentiæ assignatæ in definitione moralis virtutis, vt appareat differre, à quoq; alio, &c.*

Prima conditio, ex Arist. vbi supra, est hæc. Bonum facere id, in quo est, vt in subiecto, & suum opus facit bonum, idest virtus facit bonum habentem, & opus suum reddit bonum. Manifestatur id in naturalibus. Virtus oculi, quæ est potentia visiua, facit oculum esse bonum. Ad nihilum enim valet oculus, sine potentia visiua, & facit opus oculi, idest visionem esse bonam; nam per potentiam visiuam videmus, & benè videmus. Virtus equi, quæ est potentia portatiua, facit equum bonum, & opus suum bonum, quod est deferre benè sessorem, & benè currere, & benè se habere, in expectando bellatorem. Si igitur hoc verum est, in virtutibus naturalibus, multò magis erit etiam verum, in homine, vt dicatur, quod virtus hominis est habitus, quo fit homo bonus, & quo redditur opus suum bonum, verb. gr. Iustitia est virtus hominis, quia est habitus, quo fit homo bonus: esse enim iustum, est bonum, & opus procedens, à iustitia est bonum, quia est laudabile, & meretur præmium. Hæc conditio est conueniens omni virtuti, intellectuali, naturali, & morali, sed quod virtus consistat in medio, quæ est secunda conditio, est tantùm proprium virtutis moralis, sed non aliarum virtutum.

Quomodo

Quomodo autem virtus moralis consistat in medio dictũ est supra.

17 **§. 5. *Definitio virtutis moralis, secundum Arist.***

Arist. 2. Eth. sic definit. Virtus moralis est habitus electiuus in medietate existens, quo ad nos, determinata ratione, vt sapiens determinabit. Primo dicitur habitus ob rationes supra, & infra expressas 2. dicitur electiuus, idest secundum electionem, quia virtuosus non operatur, per virtutem, nisi per electionem, & deliberationem 3. diciturexistens in medietate, quo ad nos, quoniam Virtus consistit in medio, inter excessum, & defectum 4. dicitur determinata ratione, quia Virtus moralis est in appetitu sensitiuo, in quo non est bonitas moralis, nisi vt determinatur, ratione dictante, quomodo amandum, quomodo tristandum &c. quinto dicitur, vt sapiẽs determinabit: quia contingit rationem esse rectam, & erroneam, & oportet opus Virtutis esse secundum rationem rectam, & ideò ad hoc explicandum, dicit, vt sapiens iudicabit. Sapiens enim, vt sapiens est, non iudicat, nec determinat, nisi secundum rationem rectam.

18 Aduertatur, quod hic non sumitur sapiens, pro eo, qui cognoscit Diuinam, & altissimam causam, vt est Metaphisicus, sed pro prudente, in quocunque negotio, qui quid oporteat benè operari, sapienter, & prudenter cognoscit.

SVMMARIOLA.

1 *Habitum multis modis dici.*

2 *Habitum esse dispositionem perfecti ad optimum.*

3 *Habitum esse, quo quis operatur, quando vult.*

4 *Habitum esse qualitatem generatam, à frequentatione actuum.*

5 *Habitum malum esse, quo malè afficimur.*

6 *Habitum bonum esse, quò bene afficimur.*

7 *Habitum esse qualitatem.*

8 *Habitus mor: esse illos, secundũ Arist: secundum quos ad passiones habemus nos, benè, aut male.*

9 *Habitum esse qualitatem, disponentem potentiam.*

10 *Qualitas naturalis sicut disponit, ita habitus, &c.*

11 *Qualitas, secundum moralem, quid.*

12 *Habitus bonu: an diminuant meritum.*

DE

DE HABITV, IN ORDINE AD DEFINITIONEM VIRTVTIS.

Caput VI.



1 VLTIS modis habitum dicimus: Vt habitum animi, quatenus est cuiuscumque disciplinę perceptio, vsu roborata, atq; firmata. Vel habitum corporis, secundum quem dicimus alium, aliò esse Validiorem, quæ magis propriè habitudo appellatur. Vel eorum, quę membris nostris accommodantur extrinsecus, secundum quem dicimus vestitum, calceatum, &c. in quibus omnibus significatis hoc nomen deducitur ab. (Habere.)

§. 1. *Quid sit habitus secundum Philosophum moralem.*

Habitus est dispositio perfecti subiecti, & perfectæ naturæ ad optimam
2 operationem. Vel habitus est ille, quo quis operatur, quando
3 vult. Vel est qualitas, generata, à frequentatione actuum, incli-
4 nans in similes actus, à quibus fuit generata. Vel habitus ma-
5 lus est ille, quo malè afficimur. Habitus bonus, quo benè afficimur.
6 Vnde deducitur, habitum, in genere, esse qualitatem, qua benè,
7 vel malè afficimrur. Ità ex expositoribus S. Thom: 1. secundæ q. 49. in Præfat:

Sed secundum Arist: 2. Eth. Habitus morales sunt, illi secundum
8 quos ad Passiones habemus nos, benè aut male. Verb. gr. Per aliquem habitum possumus irasci benè, & laudabiliter, puta si irascimur mediocriter, vt ratio dictat, & ex iusta causa: & per aliquem habitum possumus irasci malè, & vituperabiliter vt si irascamur ex inuidia, aut nimis, aut minus irascimur quàm oportet. Vel habitus
9 est qualitas disponens potentiam, & determinans, & inclinans eam ad operandum: sicut enim qualitas naturalis, puta grauitas inclinat,
10 & disponit graue, ad descensũ, sic habitus acquisiti, in anima, inclinant, & disponut hominem ad sic, vel sic operandum, tàm in bonũ, quàm in malum.

11 §. 2. *Quid sit qualitas.*

Qualitas, de qua supra non est aliud, quàm quidam modus substantiæ, & tantæ sunt species qualitatis, quanti sunt modi, quibus potest modificari substantia quattuor modis potest modificari substantia, iuxta S. Th. 1.2.q.49.ar.2. Habitus est qualitas primo modo, qui est iste. Ratio qualitatis consistit propriè in quodam modo, & determinatione accidentali substantiæ, quem modum solemus exprimere, quando simpliciter nominamus aliquam rem, talem aut talem accidentaliter, & certum est illam entitatem, secundum quam benè, aut malè res se habet accidentaliter, esse illum certum modum, aut illam quasi determinationem esse qualitatem substantię.

12 §. 3. *An habitus bonus diminuat meritum.*

Habitus præstat facilitatem in operando, sed ex sententia omnium Theologorum difficultas operis auget meritum, ergo vel habitus bonus diminuit meritum, vel est falsa dicta sententia Theologorum. Responditur, & soluitur dubium hoc modo. Difficultas, quę prouenit ex magnitudine operis auget meritum, & ista difficultas tollitur ab habitu bono, immo habitus bonus potius efficit vt aggrediamur opera maxima, & difficillima. At difficultas prouenięns ex defectu operantis diminuit meritum. Omnibus difficile, & laboriosum est illud, quod non fit prompta voluntate. Ista difficultas tollitur ab habitu, & augetur meritum, quia augescit voluntarium, & reddit voluntatem promptam, & delectabiliter operantem. Medin. in S. Th. 1. 2. q. 49. art. 4. vers. sed licet, &c.

S V M M A R I O L A.

1 *Virtutem facere bonum habentem, probari tripliciter.*

2 *Virtutem facere bonum habentem, quia in medio.*

3 *Virtutem generari ab operationibus, factis, secundum mediū.*

4 *Vitium facere hominem malum quia stat in extremo.*

5 *Scientia omnis, & omnis ars facit opus bonum, quia respicit medium.*

6 *Virtutem, moralem esse meliorem*

rem homini, &c. scientia, &c.

7 *Medium est, quod de difficili attingitur.*

8 *Virtus moralis de difficili attingitur.*

9 *Sagittarius de difficili percutit signum.*

10 *Centrum de difficili inuenitur, in circulo.*

11 *Male facere contingere multis modis.*

12 *Benè facere, vno solo modo contingere.*

13 *Malè facere, facile.*

14 *Benè agere, requirere omnes circunstantias.*

15 *Malè facere contingere ex defectu, cuiuscumq; circunstantiæ.*

16 *Defformitatem corporalē contingere ex defectu cuiuscumq; conditionis.*

QVOMODO VIRTVS FACIAT BONVM HABENTEM, ET OPVS SVVM REDDAT BONVM;

EX ARIST. 2. ETHIC.

Caput VII.



VPRA, in definitione Virtutis moralis, dictum est Virtutem facere bonum habentem, & opus suum reddere bonum. Hic probandum est quo modo hoc sit verum. Probatur ratione, & est quia consistit in
1 medio. Id tripliciter manifestatur.

Primo quia habitum est, operationes factas, secundum medium generare, & saluare virtutem. Verb. gr. Aggredi pericula, & timere pericula, quando, & quomodo oportet, generat fortitudinem; operationes autem secundum extrema corrumpere eam, & generare vitia. Nam aggredi pericula, quando, & quo modo non opor-
2 tet facit hominem audacem, & temerarium, fugere pericula quan-
3 do, & quomodo non oportet facit hominem formidolosum. Patet.
4 Ergo, quod Virtus facit bonum habentem, quia stat in medio, & vitium facit hominem malum, quia stat in extremo.

Secundo, quia omnis scientia, siue ars operatiua facit opus bo-
5 num, quia respicit medium, & nisi respiciat medium, non erit eius opus bonum. Ergo multo magis Virtus moralis respicit medium,

&

6 & fugit extremum. Conſequentia nota, quia Virtus moralis me-
lior eſt homini, quam ſcientia operatiua. Antecedens manifeſta-
tur Signo. Nam omnes artifices cum vident opera ſua bona benè
ſe habere, dicunt, nihil eis apponendum, & nihil ſubtrahendum,
quia benè ſtant, per hoc ſignificantes; quod exceſſus, & defectus
corrumpunt bonitatem, artificiati, & medietas ſaluat ipſam.
Tertio, quia illud, quod de difficili attingitur, &, à, quo de facili
7 receditur, eſt medium, vel conſiſtit in medio. Sed Virtus moralis
8 de difficili attingitur, & ab ea de facili receditur, ergo vel eſt mediū,
vel conſiſtit in medio, inter exceſſum, & defectum. Maior patet,
quia difficilè eſt attingere medium, vt patet de ſagittante, & de cen-
9 tro, quod difficillimè inuenitur in circulo. Recedere autem, à, me-
10 dio experimur, quàm facilè ſit ſagittanti, vel menſuranti circulum.
11 Minor declaratur ex hoc, quod malè facere contingit multis mo-
12 dis, ſed benè facere ſolum vno modo, & ideo facile eſt malefacere,
& difficile benefacere: ſed per Virtutem bene facimus, & per receſ-
ſum, ab ea, male facimus, ergo conſtat, quod Virtus de difficili
attingitur.

13 §. 1. *Quam difficile ſit benè facere, & facile malè facere.*

Pro euidentia eius, quod dictum eſt; Malè facere contingere multis mo-
14 dis, benefacere vnico tantum modo; aduertatur, quod S. Th. hoc
15 exponens dicit, quod benè agere non contingit niſi concurrentibus
omnibus circunſtantijs requiſitis ad actum bonum: ſed malè facere
contingit ex defectu cuiuſcumque requiſitæ circumſtantiæ; ſicut,
& deffōrmitas Corporis humani contingit ex defectu cuiuſcumq;
16 conditionis, requiſitæ ad formoſitatem, ſic ex indebito colore, aut
improportionata quantitate, aut indebita figura, aut mala ſituatio-
ne, vel carentia membrorum. Pulchritudo autem conſiſtit ſolum
in hoc, quando omnia membra ſunt integra, & bene proportiona-
ta, & debitè colorata, &c.



SVMMARIOLA.

1 *Operationes generatiuas Virtutis duabus conditionibus inniti.*

2 *Operationem esse bonam, quando procedit, à, propria forma.*

3 *Hominis, vt sic, propria forma est anima rationalis.*

4 *Hominis actio, vt sit bona, debet procedere à ratione recta.*

5 *Operationes bonæ debent esse commensuratæ medijs inter excessum, & defectum.*

6 *Quæ corrumpuntur ab excessu, & defectu, generantur à medijs.*

7 *Virtutem Corporalem corrumpi, operationibus procedentibus ab excessu, & defectu, & saluari medijs.*

8 *Fortitudo Corporalis corrumpitur per excessum, & defectum exercitij.*

9 *Saluatur per medium, inter dictos excessus.*

10 *Ocium reddere membra mollia, & infirma.*

11 *Otio marcescere Virtutem.*

12 *Exercitium Corporale moderatũ reddere Corpus robustius.*

13 *Virtutes morales corrumpi per operationes humanas, procedentes ab extremis.*

14 *Timidum effici, qui terribilia fugit, & nullum eorum sustinet.*

15 *Audacem effici eum, qui nihil timet.*

16 *Fortem effici, qui medio modo se habet.*

17 *Intemperatum effici, qui, à, nulla voluptate abstinet.*

18 *Insensibilem effici, qui nullam recipit delectationem.*


19 *Temperatum effici, qui medio modo se habet.*

20 *Per notiora procedendum est ad minus nota.*

21 *Virtutem moralem tales operationes producere, ex qualibus genita est.*

22 *Temperati efficimur ex hoc, quod assuescimus paulatim abstinere, à, voluptatibus.*

23 *Fortes efficimur ex hoc, quod assuescimus non fugere difficilia, & ardua.*



OPE-

OPERATIONES, VIRTVTEM MORALEM GENERANTES, QVALES ESSE DEBEANT EX ARIST. 2. ETHIC.

Caput VIII.



PERATIONES, generatiuæ Virtutis moralis, debent habere duas conditiones 1. quod sint factæ, secundum rectam rationem, quia cuiuscumque operantis operatio bona est quando procedit, à propria forma: Vt operatio ædificatoris bona est, quando procedit ab arte ædificandi, quæ regulat, & dirigit ædificatorem, in ædificando, sed propria forma hominis, vt sic, est anima rationalis, ergo ad hoc,
3 quod actio hominis sit bona, & generatiua boni habitus, debet
4 procedere à ratione recta 2. Debent esse commensuratæ medijs, quę
5 media sunt, inter superabundantiam, & defectum, quod sic probatur, ex Arist.

Quæcumq; corrumpuntur, à superabundantia, & defectu, ge-
6 nerantur, & saluantur, à medijs, inter superabundantiam, &
7 defectum: nam experimur, virtutem corporalem corrupi, operationibus, procedentibus ex superabundantia, & defectu; generari autem, & saluari, operationibus, procedentibus, à medijs. Ver: gr:
8 fortitudo corporalis corrumpitur, per excessum, & defectum exer-
9 citij corporalis, & saluatur per medium. Nam, propter nimium la-
10 borem corporalem, debilitatur virtus corporis, ac etiam ex defe-
11 ctu exercitij, & laboris; ex otio enim redduntur membra mollia, &
12 infirma. Vnde solet dici: Otio marcescere virtutem. Si autem debitis modis, vtatur exercitijs, robustus coprore fiet, & conseruabitur. Patet ergo quodquæ corrumpuntur excessu, & defectu, fiunt,
13 & saluantur medio; sed virtutes morales corrumpuntur, per operationes humanas, quæ procedunt ab excessu, & defectu. Hęc sic
14 manifestatur, per Arist: Qui omnia terribilia fugit, & nullum eorum
15 substinet, timidus efficitur. Qui nihil timet, efficitur audax, & qui
16 medio modo, se habet, efficitur fortis. Similiter qui, à nulla volu-
17 ptate abstinet, efficitur intemperatus. Qui autem nullam recipit

18 delectatio-

18 delectationem vt quidã agrestes efficiuntur insensibiles. Qui autem
19 delectatur, medio, modo, idest quando oportet, & quantum, &c. efficitur temperatus. Patet ergo, quod sicut actiones corruptiuæ virtutis moralis sunt tales, quod declinant, à medio, per excessum, vel defectum, sic actiones generatiuæ, & conseruatiuæ virtutis, debent esse tales, quod consistant, vel appropinquent medio.

Aduertatur quod Arist: 2. Ethici congruè manifestauit ea, quæ ac-
20 cidunt circa Virtutes animæ, per ea, quę accidũt, circa Virtutes corporis, quoniam illa notiora sunt nobis: & per notiora procedendum est, ex primo Physic:

§. 1. *Quales operationes Virtus moralis producat postquam genita est.*

Virtus moralis postquam genita est, tales operationes producit, ex qua-
21 libus genita est: Quod sic probatur ex Arist: 2. Ethic: sicut se habent operationes in virtutibus corporis, ita, & in virtutibus animę, per conuenientem similitudinem. Sed videmus in Virtutibus corporis, quod tales operationes producunt, ac etiam perfectiores, ex qualibus productæ sunt. Nam quia fortitudo corporalis causatur ex sumptione multi cibi, & tolerantia multorum laborum: quando quis factus est fortis, potest hęc multo magis facere. Eodem modo contingit in Virtutibus animæ. Nam ex hoc, quod assuesci-
22 mus paulatim abstinere à voluptatibus, efficimur temperati: facti autẽ tẽperati, multo magis, & de facili abstinemus, & ex hoc, quod
23 assuescimus non fugere difficilia, & periculosa, efficimur fortes: facti autem fortes, maximè possumus terribilia sustinere. Patet ergo quod quales actiones generant virtutem, tales, & potiores producuntur, à, virtute genita.

S V M M A R I O L A.

1 *Virtutem mor: versari circa delectationes, & tristitias, tribus modis probatur.*

1 *Ex differentia operationum, ante, & post.*

2 *Ex habitudine delectationis, & tristitiæ, &c.*

3 *Ex parte hominis virtuosi.*

2 *Operationes ante Virtutem habere tristitiam quandam, &c.*

3 *Operationes post Virtutem acquisitam, faciles, esse*

4 *Habitum*

4 *Habitū inesse per modum naturæ.*

5 *Proueniens ex natura rei, est delectabile.*

6 *Homo, cum operatur moraliter, & delectatur, dicitur habere Virtutem genitam.*

7 *Virtutem generari, & corrumpi, per voluptatem, & tristitiam.*

8 *A virtuosis actibus recedimus, in laboribus honestis, propter tristitiam, & difficultatem.*

9 *Hominem oportere, in iuuentute sua, taliter erudiri, vt gaudeat, & tristetur, quando, & in quibus oportet.*

10 *Virtus mor: vel est circa operationes regulandas, vt iustitia, vel circa passiones moderandas, vt mansuetudo.*

11 *Passio omnis habet consequentiā, vel delectionis, vel tristitiæ.*

12 *Passio est motus appetitus, in consequendo bonum, vel in fugiendo malum.*

13 *Passio si consequitur bonum desideratum, & fugit malum displicens, gaudet, si non consequitur bonum, nec potest vitare malum, tristatur.*

14 *Legis latores inducere homines ad Virtutem, per delectationem, & tristitiam.*

15 *Potationes amaras, & delectabilia subtracta, esse medicinas corporis ægrotantis.*

16 *Pænas inflictas, & delectationes subtractas, esse medicinas Animæ.*

17 *Habitus omnis Virtutis, & vitij, debet fieri, circa ea, ex quibus fit melior habitus Virtutis, & peior habitus vitij.*

18 *Habitum Virtutis fieri meliorem, ex delectatione, & tristitia.*

19 *Virtutem, secundum stoicos, esse impossibilitatem, ex eo, quod in virtuoso non remanet Passio.*

20 *Bonum humanum esse triplex.*

1 *Honestum,*

2 *Vtile.*

3 *Delectabile.*

21 *Malum triplex, oppositum bono*

1 *Vitium.*

2 *Nocinum.*

3 *Tristabile.*

22 *Virtuosum benè se habere circa delectationes, & tristitias.*

23 *Vitiosum malè se habere circa prædicta.*

24 *Virtutem esse præcipuè circa illam passionem, quæ nobis inest, à natiuitate.*

25 *Delectationem quasi nobiscum nasci.*

26 *Virtus habet fieri circa ea, per quæ homines, vt in pluribus, regulant operationes suas.*

27 *Homines regulare operationes suas, per delectationes, & tristitias.*

28 *Artem, & virtutem versari circa difficilia.*

29 *Voluptates moderari, esse difficile.*

30 *Contra voluptates difficilius esse pugnare, quando contra iram.*

31 *Circa delectationes, & tristitias esse totum negotium Virtutis.*

VIRTVTEM MOR: CIRCA DELECTATIONES, ET TRISTITIAS VERSARI, EX ARIST: 2. ETHIC:

Caput IX.

1 PROBATVR triplici modo, secundum Arist. 1. sumitur, ex differentia, quam experimur, inter operationes præcedentes, & generatiuas Virtutum, & inter eas, quæ producuntur ex Virtute genita 2. Ex parte Virtutis 3. Ex parte hominis Virtuosi.

Primus modus sic ostenditur. Ante habitum Virtutis generatum, homo facit quandam vim, & conatum, ad operandum, vt
2 virtutem acquirat, & ideò tales operationes ante virtutem habent
3 tristitiam quandam, & difficultatem annexam: Operationes autem
4 productæ, à virtute iam acquisita, faciles, & delectabiles sunt, quia
5 habitus inest per modum cuiusdam naturæ, quod autem prouenit
6 rei, ex natura rei, est delectabile. Cum igitur homo operatur moraliter, & delectatur, est signum generatæ virtutis: cum autem operatur cum tristitia, & difficultate, est signum nondum generatę Virtutis; & hoc manifeste in nobis experimur, & alijs: Nam cum videmus aliquem delectabiliter respuere voluptates, &c. dicimus, quia temperatus est. E contrà cum videmus eum tristari, & egrè ferre, & quod frui non possit huiusmodi voluptatibus, dicimus, quia intemperatus, est.

Secundus sumitur ex parte virtutis, hoc est ex habitudine, quam habet delectatio, & tristitia ad virtutem: & circa hunc modum
7 intendit Arist. quattuor rationes 1. Circa ea habet fieri virtus, per quæ generatur, & corrumpitur. Hæc videtur manifesta: Sed per voluptatem, & tristitiam virtus generatur, & corrumpitur: nam
8 propter concupiscentiã voluptatum operamur multa mala, qualia sunt adulteria, &c. & propter tristitiam, & difficultatem, quam
9 timemus, in laboribus honestis, recedimus, à virtuosis actibus: & proptereà secundum Platonem, homo, in iuuentute sua, necesse est,

vt

vt taliter educetur, & erudiatur, vt gaudeat, & tristetur, quando, &
10 in quibus oportet. 3. omnis Virtus moralis, vel est circa operationes humanas regulandas, vt iustitia, vel circa passiones moderandas, vt mansuetudo circa iras. Sed, ad omnem passionem,
11 sequitur delectatio, vel tristitia: Est enim passio motus appetitus,
12 in consequendo bonum, & in fugiendo malum: & quidem si
13 consequitur bonum desideratum, & fugit malum displicens, gaudet: si autem non consequitur bonum, nec potest vitare malum,
14 tristatur 3. legislator inducit homines ad virtutem, per delectationem, & tristitiam: nam per pęnas, & per subtractionem delectationum, & per tristitias, & dolores illatos, inducit hominem ad virtutem, vt ad sanitatem animæ. Hæc ratio sumitur, per similitudinem medicinæ corporalis. sicut enim potationes amaræ, &
15 delectabilia subtracta, quale est vinum dulce, & delicati cibi, sunt
16 medicinæ corporis ægrotantis, sic pænæ inflictę, & delectationes subtractæ medicinæ sunt animæ, ad recuperandam virtutem. Patet ergo quod omnis virtus solet fieri circa delectationes, & tristitias 4. omnis habitus, tàm virtutis, quàm vitij, sibi oppositi, habet
17 fieri circa ea, ex quibus fit melior habitus virtutis, & peior habitus vitij oppositi. Hæc est manifesta. Sed ex delectatione, & tristitia
18 habitus virtutis fit melior, & vitij, fit peior. Nam propter delectationem, quam sentimus in operibus malis, habitus moralis fit deterior, & propter contristationes, superuenientes operantibus malum, fit melior: se ipsos enim corrigunt. E contrario est de habitu bono, nam in prosequendo, vel fugiendo delectationes, vel tristitias quas oportet, & quando oportet, fit habitus melior. Et hoc est, quod videntes stoici homines fieri malos, propter passiones, quas sequuntur,
19 dixerunt, virtutem esse impassibilitatem, ex eo quod in virtuoso non remanet passio. Sed in hoc non benè dixerunt. Sufficit enim à virtute, & virtuoso remouere non omnes passiones simpliciter, sed irregulatas.

Tertius modus desumitur ex parte Virtuosi, quatuor rationibus 1. est. Cum triplex sit bonum humanum 1. honestum 2. Vtile 3.
20 Delectabile; & triplex sit malum, triplici bono oppositum 1. Vitium
21 2. Nociuum 3. Tristabile. Virtuosus, in omnibus his, benè se habet. Malus autem, in omnibus, peccat: præcipuè autem benè se ha-
22 bet virtuosus, circa delectationes, & tristitias, eo quod, à delectatio-

nibus abſtinet, quando, & quomodo oportet: & ſuſtinet triſtitias, vt
23 oportet. Malus autem, oppoſito modo, ſe habet. Cum igitur vir-
tuoſus benè ſe habeat, circa delectationes, & triſtitias, quæ ſunt
communes homini, & brutis, & conueniunt tàm bono vtili, quàm
honeſto, eo quod bonum honeſtum eſt delectabile, & ſimiliter bo-
num vtile, ſignum eſt, quod virtus moralis eſt circa delectationes,
& triſtitias. Tunc enim hominem maximè laudamus, cum ſcit
delectari, & triſtari, ſecundùm quod ratio dictat: & ex oppoſito vi-
tuperatur. Secunda ratio eſt. Circa illam paſſionem præcipuè eſt
24 virtus, quæ nobis ineſt à natiuitate: hanc enim difficile eſt ſubiuga-
re, & ideò indiget fræno virtutis: Sed delectatio quaſi nobiſcum
25 naſcitur: cuius ſignum eſt, quod infans ſtatim natus delectatur
lacte, ergo circa hanc, & ſuum oppoſitum, præcipuè ſolet fieri vir-
tus. Tertia eſt hæc. Circa ea habet fieri virtus, per quæ homines,
26 vt in pluribus, regulant operationes ſuas, ſed per delectationes, &
27 triſtitias regulant homines operationes ſuas: illis enim adherent,
quibus delectantur, & ab illis abſtinent, vel non diù perſeuerant, in
quibus triſtantur, ergo, &c. quarta ratio eſt. Circa difficile verſa-
28 tur ars, & Virtus, ſed moderari voluptates, & eas rationi ſubijcere, eſt
29 difficilè, vt experimur: quoniam difficilius eſt contra voluptatem,
30 quàm contra iram pugnare, & ſic patet, ſecundùm Ariſt: quod
31 circa delectationes, & triſtitias eſt totum negotium, & Virtutis, &
Politicæ: qui enim benè his vtitur, bonus erit, qui autem malè,
malus.

S V M M A R I O L A.

1 *Virtutem mor: non ineſſe nobis à natura ſed generari ex frequẽtatis actibus.*

2 *In artibus ſicut eſt, ita, & in virtutibus.*

3 *In artibus nullus benè operatur, niſi habeat artem.*

4 *In Grammatica nullus Grammaticaliter loquitur niſi ſit Grammaticus.*

5 *In Virtutibus nullus videtur poſſe operari virtuosè, niſi prius habeat Virtutem.*

6 *Idiotam poſſe caſualiter loqui cõgruè.*

7 *Grammaticaliter benè loquitur tantùm Grammaticus.*

8 *Non iuſtum poſſe agere iuſta, ſed non iuſtè.*

9 *Virtuosè ad operandum, tria requiri.*

1 *Quod*

1 *Quod operans sit sciens.*
2 *Quod eligat operari virtuosè.*
3 *Quod operetur firmiter, et immobiliter.*
10 *Virtuosè scire operari, non valet, in mor:*
11 *Virtuosus est tantùm operens, secundum dicta tria requisita.*
12 *Artem esse circa operationes trãseuntes.*
13 *Artem non facere bonum habentem.*
14 *Virtutem esse circa operationes immanentes.*
15 *Secundum artem nullus dicitur bonus, aut malus.*

VIRTVTEM MORALEM NON INESSE NOBIS A NATVRA SED ACQVIRI PROPRIIS VIRIBVS, EX Arist.2.Eth.

Caput X.

1 PRÆSVPPONITVR ab omnibus, Virtutem moralem non inesse nobis à natura, sed generari, ex frequentatis actibus bonis, vt iustè operando, efficimur iusti, sicut citarizando, efficimur citarędi.

Contra arguit Arist. sic. Sicut est in artibus, sic, & in Virtutibus,
2 sed in artibus, nullus facit opera artis, nisi habens artem, vt patet, in
3 Grammatica, & in Musica; nullus enim congruè loquitur, nisi ha-
4 bens Grammaticam, &c. ergo à simili, nullus facit opera iusta, nisi habens iustitiam, ex consequenti, ex operari iustè, non fit homo
5 iustus, sed iam supponitur iustus.

Soluit obiectum Arist. 1. Negando minorem, non enim in-
6 conuenit, idiotam ex casu loqui congruè; licet nullus possit loqui
7 congruè, secundum artem Grammaticæ, scil: ex proposito, & per-
8 seueranter, nisi habeat artem Grammaticæ: sic non inconuenit, non iustum agere opus iustum, non tamen iustè, idest secundum omnes illas conditiones, quas requirit habitus iustitiæ. 2. Negando illam similitudinem (sicut est in artibus, &c.) ratio dissimilitudinis est hæc. Ad operandum virtuosè, tria requiruntur. 1. quod operans
9 sit sciens, quod operatur, & non operetur ex ignorantia. 2. quod eligat operari, propter Virtutem, & non propter aliud: Vnde si agat opus Virtutis, ob passionem, vt ob timorem, ob vanam

gloriam, ob lucrum, &c. non operatur ſecundum Virtutem. 3. quod operetur firmiter, & immobiliter, ideſt perſeueranter: ſed ad operandum artificialiter, ſufficit primum iſtorum, vt ſcilicet ſciat operari, ſecundum artem. Nam poſito, quod non operaretur, nec vteretur arte, dummodò ſciat eam, erit, & dicetur bonus artifex. Sed ſcire operari virtuosè, parum, aut nihil reputatur, in moralibus;
10 ex hoc enim non erit bonus, nec Virtuoſus, niſi operetur cum tri-
11 bus conditionibus prædictis. Patet ergo diſſimilitudo inter artem, & Virtutem moralem. Eſt & alia diſſimilitudo. Nam ars eſt, circa operationes tranſeuntes, quæ non ſunt ſubiectiuè, in operante, ſed
12 in operato; & ideò non faciunt bonum operantem, ſed operatum.
13 Virtus autem eſt circa operationes immanentes, quæ remanent
14 ſubiectiuè in operante, & ideò faciunt operantem bonum. Hinc
15 propter artem nullus dicitur bonus, aut malus moraliter.

S V M M A R I O L A.

1 *Cardinales Virtutes eſſe quatuor.*
- *1. Prudentiam.*
- *2 Iuſtitiam.*
- *3. Fortitudinem.*
- *4. Temperantiam.*

2 *Cardinales appellari ob quinque rationes.*

3 *Inter Virtutes morales Primatum tenere.*

4 *Ad iſtas omnes alias reduci.*

5 *A cardine Portæ denominari.*

6 *Cardinem eſſe fundamentum Portę.*

7 *Verſari circa materiā magis prę-cipuam Vitæ humanæ.*

8 *Prudentiam haberi pro materia, in quantum eſt conſultabilis.*

9 *Iuſtitiam haberi, pro materia, quæ perficit appetitum, circa operationes ad alterum.*

10 *Fortitudinē haberi pro materia, quę perficit appetitum circa paſſiones iraſcibilis.*

11 *Temperantiam, pro materia, quæ verſatur circa paſſiones concupiſcibilis.*

12 *Nulla alia Virtus mor: appellatur principalis, vt iſtæ quatuor.*

13 *Rationes formales Virtutum eſſe quatuor.*
- *1 Quod faciat bonum habitem, in conſideratione rationis, vnde Prudentia.*
- *2. quod faciat bonū debiti, & recti, vnde Iuſtitia.*
- *3 Quod cohibeat paſſiones, vnde temperantia.*
- *4 Quod faciat firmitatem animi, contra paſſiones, Vnde fortitudo.*

14 *Ad*

14 *Ad Virtutem requiri, operari firmiter.*
15 *Aliæ quatuor rationes, ob quas sunt quatuor.*
16 *Differre, & conuenire simul.*
17 *Appellari varÿs nominibus.*

DE VIRTVTIBVS CARDINALIBVS, QVATENVS SVNT ORIGO ALIARVM VIRTVTVM, ex S. Th. 1. 2. q. 61.

Caput XI.



1 VNT quatuor. 1. Prudentia. 2. Iuſtitia. 3. Fortitudo
2 4. Temperantia. Appellantur Cardinales. 1. quia in-
3 ter Virtutes morales primatum tenent. 2. quia ad
4 iſtas aliæ Virtutes reducuntur. 3. A Cardine Por-
5 tę, Nam ſicut porta regitur, & voluitur ſuper Cardi-
6 ne, ita Vita humana regitur, ſuper quatuor iſtis Virtutibus. 4.
7 Cardo eſt fundamentum portæ. Vita humana, in exercitio iſtarum
8 quatuor Virtutum fundatur. 5. quia iſtæ quatuor verſantur,
9 circa materiam magis præcipuam, & neceſſariam Vitæ humanæ.
10 Nam quælibet materia Virtutum moralium, vel conſideratur, in
11 quantum eſt conſultabilis, & deliberabilis, & pro iſta habetur pru-
12 dentia. Vel in quantum perficit appetitum, & iſte, ſi erit circa ope-
13 rationes, datur iuſtitia: ſi circa paſſiones iracibilis, fortitudo; ſi circa paſſiones concupiſcibilis, temperantia; ideò S. Th. hic art. 3. dicit, nullam aliam Virtutem moralē poſſe appellari principalem, vt iſtę: quia rationes formales Virtutum ſunt principaliter in iſtis quatuor vt etiam dictum eſt ſupra; & ipſe dictas quatuor rationes breuius enumerat ſic. 1. quod faciat bonum habentem, in conſideratione rationis, vnde prudentia. 2. quod faciat bonum debiti, & recti, vnde iuſtitia. 3. quod cohibeat, & deprimat paſſiones, vnde tēperantia. 4. quod faciat firmitatem animi, contra qualcumque paſ-
14 ſiones, vnde fortitudo: ideò ad Virtutem requiritur, firmiter, & immobiliter operari. S. Th. d. q. 61. art. 3. & 2. 2. qu. 123. art. 2. & Ariſt. 2. Ethic.

15 *§. 1. Rationes iterum quatuor deſumptæ à qualitatibus Corporis, ob quas enumerantur quatuor iſtæ Virtutes.*

Sicut in anima assignantur quatuor Virtutes principales, supra expressæ, sic, & in Corpore, quatuor Virtutes, illis correspondentes 1. Viuacitas sensuum, quæ proportionatur prudentię; velut cognitio quædam existens speculata, in corpore animalis. 2. robur corporis, qui proportionatur Virtuti fortitudinis, velut reddens corpus constans, vt ferat labores. 3. Pulchritudo, quæ proportionatur temperantiæ, representat enim commensurationem quandam, in magnitudine, compositione, & integritate partium corporis. 4. Sanitas, quæ proportionatur iustitiæ, quasi in complexione, & humorum ordinatione, quandam, secundum naturam, analogiam seruans.

16 §. 2. *Virtutes Cardinales differre, & conuenire simul.*

Differunt inter se istæ quatuor Virtutes, ex diuersitate obiectorum, sed tamen inter se ipsas communicant mutuò, & alternatim earum conditiones, & se ipsas alternatim coadiuuant: & illud, quod est proprium vnius, reperitur participatiuè in altera. Vnde iuxta S. Greg. 22. lib. Moral: c. 1. omnis Virtus moralis, dum habeat statũ Virtutis, est prudens, est iusta, est fortis, est temperans S. Th. d. q. 61. ar. 4.

17 §. 3. *Varijs nominibus appellari.*

Appellantur etiam Politicę; purgatoriæ, purgati animi, exemplares. S. Th. d. q. 61. ar. 5. Politicæ in quantum rectè componunt hominem, in Vita humana, erga se ipsum, & alterum, in bonum commune. Purgatorię, in quantum, mediantibus istis, ferimur à rebus transitorijs, in Diuinam similitudinem, iuxta illud: estote perfecti, sicut Pater vester Cęlestis perfectus est. Purgati animi, quando iam consecuti sumus Diuinam similitudinem, in Vita beata, vbi prudentia meditatur solùm Diuina. Temperantia non recognoscit amplius cupiditates terrenas. Fortitudo nescit passiones. Iustitia perfectè consideratur, in voluntate Diuina. Exemplares, in quantum sunt in Deo, nam in Deo sunt exemplaria omnium virtutum. Prudentia in Deo est Diuina sapientia. Iustitia est obseruantia legis æternæ. Fortitudo est immutabilitas Diuini consilij. Temperantia est conuersio Diuinæ voluntatis, ad se ipsam, & ad Deum. S. Th. d. q. 61. ar. 5. & ibi Med.

SVM-

S V M M A R I O L A.

1 *Virtutem vnam dici adiunctam alteri, magis principali.*
2 *Iustitiæ adiungi Virtutes vndecim.*
3 *Fortitudini subordinari Virtutes septem.*
4 *Temperantiæ submitti Virtutes num 22.*
5 *Vindicatio, siue vindicatiua Iustitia quid.*

EXPLICATVR QVOMODO VIRTVS DICATVR

ADIVNCTA ALTERI. Ex S. Thom. 2. 2. q. 80. art. 1.

Caput XII.



1 D hoc, vt vna Virtus dicatur adiuncta alteri Virtuti principali, duo requiruntur; 1. Quod Virtutes adiungendæ in aliquo, cum principali Virtute, conueniât. 2. quod in aliquo deficiât à perfecta ratione illius Virtutis principalis.

2 Virtuti Iustitię adiunguntur, & quasi subordinantur, iuxta S. Th. vbi supra Virtutes sequentes. 1. Religio, quæ tenetur reddere debitum cultum Deo, sed non potest ęquale reddere. Partes Religionis sunt. Oratio. Deuotio. Lętitia. Contemplatio. Meditatio. 2. Æquitas. 3. Pietas erga Patriam, & Parentes, quæ non potest Patri, & Parentibus ęqualiter recompensare, sed tenetur in quo potest. 4. Iustitiæ obseruantia, quæ obligat ad obsequium erga dignos honore, quatuor modis, ex quatuor respectibus, vt in proprio Tit: de obseruantia. 5. Iustitiæ Veritas quæ obligat hominem, ad exhibendum se alteri in verbis, & in factis. 6. fides, seu fidelitas erga alterum, quæ reuocatur ad Iustitiæ veritatem, & importat fidam exhibitionem sui ipsius. 7. Iustitiæ gratia, quæ est amicitia, & officiorum alterius memoria, & proprie dicitur gratia, seu Gratitudo, per quam compensamus alteri beneficium acceptum. 8. Vindicatio, siue vindicatiua Iustitia, per quam maleficia quoque dignè compensantur. 9. liberalitas, quæ habet respectum ad debitum honestatis: & consulit aliorum vtilitatibus, per largitiones, præsertim pecuniarum. 10. Magni-

Magnificentia, quæ etiam habet debitum honestatis, quippe quæ, quadam ratione honesta, facit magna, magis sumptibus rationabilibus. 11. Affabilitas, seu amicitia, quæ etiam habet debitum honestatis, cum offitijs varijs, reddat hominem alteri charum, & amabilem. 12. Obedientia, quæ habet debitum naturale, morale, & legale, erga superiorem. Sed cum Iustitiæ veritas sit idem cum fide, seu fidelitate, remanent tantum num. 11.

Ad fortitudinem reuocantur. 1. Magnanimitas. 2. Pacientia. 3. Perseuerantia. 4. Longanimitas. 5. Constantia. 6. Fiducia. 7. Securitas.

3

Ad Temperantiam reducuntur. 1. Mansuetudo. 2. Clementia.
4 3. Castitas, Pudicitia. 4. Humilitas. 5. Abstinentia. 6. Sobrietas. 7. Virginitas. 8. Pax. 9. Concordia. 10. Verecundia, quatenus sit passio laudabilis. 11. Humanitas, benignitas, Iucunditas, festiuitas. 12. Beneuolentia. 13. Pudor, vti passio laudabilis. 14. Beneficentia. 15. Philothimia. 16. Eutrapelia. 17. Misericordia. 18. Parcitas. 19. Simplicitas. 20. Nemesis. vti laudabilis passio. 21. Continentia. 22. Modestia.

5 *§. 1. Quid sit Vindicatio, seu Vindicatiua Iustitia.*

Supradictum est Vindicationem esse Virtutem: Videamus quomodo hoc sit verum. Vindicatio generaliter sumpta, est per quam violentia illata, aut iniuria, & omnino quicquid obscurum est defendendo, aut vlciscendo, propulsatur. Sed aduertatur, Vindicationẽ duobus modis posse sumi. 1. Iustè per authoritatem Publicæ Potestatis, secundum sententiam veri Iudicis, & vt sic non est virtus distincta à Iustitia, sed species Iustitiæ commutatiuę, per quam commutatur damnum in damnum, iniuria in iniuriam: iuxta illud. Vitam pro Vita, oculum pro oculo, dentem pro dente: ex consequenti in hoc sensu, non est pars iustitiæ potentialis, sed subiectiuæ.

Secundo accipitur, quatenus vindicatio potest fieri iustè, proprio motu, authoritate priuata, non tamen contra legem. Vt quando quis non potens aliter saluare se ipsum, occidit inuadentem. Vel quando vindictam à Iudice requirit, & vt sic, est virtus annexa Iustitiæ, & eius pars potetentialis.

S V M M A R I O L A.

1 *Virtutes mor: puras, secundum Philos. esse num.* 12.

2 *Prudentia, & Iustitia quomodo differant ab alijs, &c.*

3 *Prudentia, & Iustitia vbi collocentur.*

4 *Fortitudo, vbi collocetur.*

5 *Passiones, quarum obiecta sunt vita hominis, esse timorem, & audaciam.*

6 *Timorem, & audaciam versari circa determinata Vitæ, qualia sunt pericula mortis.*

7 *Temperantia, quomodo detur.*

8 *Delectationem, & tristitiam versari circa vtilia vitæ.*

9 *Liberalitas, & Magnificentia quomodo dentur.*

10 *Diuitias duplices eße.*
   1 *Magnas.*
   2 *Mediocres.*

11 *Dari sic etiam duplices Virtutes.*
   1 *Liberalitatem.*
   2 *Magnificentiam.*

12 *Medietas liberalitatis, & Magnificentiæ.*

13 *Mansuetudo, quomodo detur.*

14 *Medium mansuetudinis.*

15 *Virtutes versantes circa exteriores actus, quæ.*

16 *Veritas, Veracitas quid.*

17 *Extrema huius Virtutis.*

18 *Eutrapelia quid, & eius extrema.*

19 *Amicitia, affabilitas, quid.*

20 *Extrema huius Virtutis.*

21 *Virtutes morales puræ, secundum Philosophum.*

22 *Virtutum moralium epilogus.*

23 *Iustitiæ quę Virtutes subyciantur secundum Philos.*

24 *Temperantiæ, quæ, secundum Philos.*

25 *Fortitudini, quę, secundũ Philos.*

26 *Virtutum moralium numerus secundum Philos.*

27 *Quas, illis, virtutes addat Philos. Christianus.*

NVMERVS VIRTVTVM MORALIVM

Secundum Arist: & sic secundum purum Philosophum.

Caput XIII.



1 ARIST: in. 2. Ethic. assignat virtutes morales sequentes. 1. Prudentiam. 2. Iustitiam. 3. Fortitudinem. 4. Temperantiam. 5. Magnificentiam. 6. Liberalitatem. 7. Magnanimitatem. 8. Mansuetudinem. 9. Veritatem. 10.

Eutrapeliam. 11. Affabilitatem. 12. Philothimiam, quatenus circa
2 paruos honores poteſt conſtituere medium, iuxta dicenda in cap.
de Magnanimitate.

Prudentia eſt in intellectu practico, vt videbimus in proprio
Titulo de Prudentia. Iuſtitia verò eſt in voluntate, & differt ab alijs
virtutibus moralibus. Illæ enim ſunt circa paſſiones interius re-
gulandas in homine, ſed quid, & qualiter exterius homo operetur,
per dictas Virtutes, non conſideratur, niſi ex conſequenti, ſcilicet
in quantum exteriores operationes, ex interioribus paſſionibus
procedunt, ſed circa Iuſtitiam, & ſuum oppoſitum, attenditur
principaliter quid, & qualiter homo operetur. Qualiter autem af-
ficiatur interius, non conſideratur, niſi ex conſequenti, iuxa expli-
canda inferius, in proprio Titulo de Iuſt:

Virtus fortitudinis datur in appetitu ſenſitiuo, hoc modo. Paſ-
4 ſiones, quarum obiecta ſunt vita hominis corporalis, ſunt Timor,
5 & audacia, in iraſcibili; delectatio, & triſtitia, in concupiſcibili. Ti-
6 mor, & audacia verſantur circa determinata vitæ: qualia ſunt peri-
cula mortis, & ideò ad regulandum huiuſmodi timores, & audacias,
datur fortitudo: Quid ſit, & quando hoc fiat, dicetur ſuo loco.

Temperantia datur hoc modo. Delectatio, & triſtita, non vni-
7 uerſaliter ſumptæ, ſed vt concernunt ſenſum tactus, verſantur circa
8 vtilia vitę: & hoc dupliciter, aut in conſeruando vitam, in indiui-
duo, aut in ſpecie. Primo modo verſantur circa cibum, & potum.
2. modo, circa Venerea. Vt igitur regulentur huiuſmodi delectatio-
nes, & triſtitiæ, quæ communiter dicuntur voluptates, & triſtitiæ
ſenſuales, ponitur in appetitu ſenſitiuo, virtus temperantiæ. De eius
definitione, & modo eam adhibendi, dicetur ſuo loco.

Liberalitas, & Magnificentia dantur hoc modo. Dantur etiam
9 Virtutes morales, quæ ſunt circa paſſiones, quæ verſantur circa
bona exteriora, vtilia homini; quales ſunt pecuniæ, ſiue diuitiæ,
& honores: & quoniam bono vtili exteriori opponitur malum
nociuum exterius, circa cuius propulſationem verſatur ira, ideò
ex conſequenti aſſignatur Virtus moderatiua iræ; & cum duplices
poſſint poſſideri diuitiæ, ſiuè pecuniæ, ſcilicet mediocres, & magnę.
10 duplices etiam Virtutes morales dantur. 1. liberalitas. 2. Magni-
11 ficentia. Liberalitas conſtituit medietatem circa dationem,
12 & receptionem diuitiarum mediocrium: Magnificentia verò
con-

constituit medietatem, circa dationem, & receptionem magnarum diuitiarum.

Mansuetudo datur sic. Sicut circa bona vtilia exteriora, quales
13 sunt diuitiæ, & honores dantur dictæ duæ virtutes, liberalitas, & Magnificentia, sic circa propulsationem mali nociui, quod opponitur bono vtili, ponitur particicularis virtus. Dicit igitur Arist: 2. Ethic: quod circa iram, per quam quærimus propulsare malum
14 illatum, ponitur Mansuetudo, quæ constituit medietatem inter iracundiam, & inirascibilitatem.

15 *Numerus Virtutum, versantium circa exteriores actus.*

Virtutes versantes circa exteriores actus regulandos, in quibus homines ad inuicem communicant, & præsertim circa communicationem verborum, & operum, sunt.

Veritas seu veracitas, cuius extremum superabundans dicitur
16 iactantia: & est quando quis fingit de se maiora, quam habeat, &
17 dicitur iactator. Extremum deficiens dicitur ironia: & est quando quis fingit minora de se, quam habeat, vilificans se ipsum, & talis dicitur irrisor.

Eutrapelia, qua quis se exhibet delectabilem in ludis. Eius extre-
18 mum superabundans dicitur bomolochia: extremum deficiens, agroichia. Dicetur clarius in eius titulo.

Amicitia, vel amicabilitas, vel Affabilitas, qua quis se exhibet
19 gratiosum, & affabilem cum omnibus, in dicto, in verbo, in opere, in omni sua conuersatione. Extremum excessiuum, si non sit nisi causa delectandi, dicitur placiditas: inde placidus. Si autem id fiat
20 alia causa, puta ex lucro, aut vt honoretur, dicitur adulatio, vel blanditio: Inde adulator, & blanditor. Extremum deficiens, dicitur litigiositas, inde litigiosus, & est ille, qui in omni conuersatione sua,
21 est alijs molestus, & onerosus, & qui verbo, actu, & gestu est, sine gratia.

S. Tho. 1. 2. qu. 60. ar. 5. ponit, secundum Arist: decem Virtutes, versantes circa passiones. 1. fortitudinem contra maximos timores. 2. Temperantiam, contra delectationes gustus, & tactus. 3. liberalitatem, contra mediocres sumptus. 4. Magni ficentiam, contra magnos sumptus. 5. Magnanimitatem, contra spem, & despe-

deſperationem. 6. Philothimiam, ideſt amatiuam mediocris honoris. 7. Manſuetudinem, circa iras. 8. Amicitiam, quæ attenditur in factis. 9. Veritatem. 10. Eutrapeliam. Prudentiam autem collocat, in intellectu practico; & Iuſtitiam in voluntate, ad operandum, vt ſupra, in principio huius capituli dictum eſt.

22 *Epilogus Virtutum moralium.*

1 Iuſtitia.	7 Philothimia.
2 Fortitudo.	8 Manſuetudo.
3 Temperantia.	9 Amicitia.
4 Liberalitas.	10 Veritas.
5 Magnificentia.	11 Eutrapelia.
6 Magnanimitas.	12 Prudentia.

Sed cùm Iuſtitia, Fortitudo, & Temperantia habeant ſub ſe, alias Virtutes morales, tamquam earum partes ſubiectiuas, etiam ſecũdum purum Philoſophum, ſaltem Platonicum, illas quoquè infra ponimus.

Sub Iuſtitia collocantur. 1. Iuſtitiæ veritas, aliàs Veracitas, quia
23 obligat hominem, ad exibendum ſe veracem, in verbis, & in factis. 2. liberalitas, quia habet reſpectum ad debitum honeſtatis. 3. Magnificentia: quia etiam ipſa habet debitum honeſtatis, in ſumptis magis rationabilibus. 4. Affabilitas, vel Amicitia; quia etiam ipſa habet debitum honeſtatis, in præſtandis officijs varijs. Sed iſtæ quatuor iam enumeratæ ſunt in præſenti §. & ſic comprehenſæ, in expreſſis Virtutibus duodecim: ideò hic exprimimus nõ expreſſas, & ſunt.

1. Religio: quia, ea redditur debitus cultus Deo, etiam ſecundum purum Philoſophum.

2 Pie-

2 Pietas: quia per eã redditur debitũ officium Patriæ, & Parentibus.

3 Obedientia: quatenus est habitus, quo exequimur actus imperatos quatenus sunt imperati.

4 Iustitiæ obseruantia: quia per eam tenemur exhibere reuerentiã illis, qui sunt nobis maiores.

5 Æquitas: quatenus est quædã mitis interpretatio legis, & moderatio rigoris.

6 Iustitiæ gratia, alias Gratitudo; quia per eã tenemur compensare beneficium acceptum.

7 Vindicatio, seu vindicatiua iustitia. Nã per eã maleficia quoque dignè compensantur.

24 Sub Fortitudine collocantur. 1. Magnanimitas, quę iam expressa fuit supra, in Catalogo Virtutum duodecim, & præterea.

1 Patientia.	4 Constantia.
2 Perseuerantia.	5 Fiducia.
3 Longanimitas.	6 Securitas.

25 Sub temperantia autem ponuntur. 1. Mansuetudo. 2. Philithimia. 3. Eutrapelia. Sed istæ tres iam positæ sunt in supradicto numero Virtutum duodecim, Vlterius collocantur.

1 Modestia: quatenus constituit moderationẽ, in actibus humanis, & præsertim in extremo motu corporis.

2 Clementia: quatenus est lenitas Superioris in inferiorem, & importat modum conuenientem, in ipsa punitione externa.

3 Castitas, Pudicitia: quatenus statuunt moderationem, circa delectabilia sensus venerei.

4 Abstinentia: Vti statuens moderetionem; circa vsū ciborum.

5 Sobrietas, vt statuit moderationem, circa vsum potus.

6 Concordia quatenus dicit relationem ad alterum, & vti vnitiua voluntatis diuersorum in vnum.

7 Humanitas.

8 Beneficentia.

9 Misericordia.

10 Parcitas.

11 Simplicitas.

12 Nemesis, vti aliqualiter est virtus.

13 Verecūdia, quatenus possit esse aliqualiter virtus.

14 Pudor: quatenus est laudabilis passio.

Theologus autem, sub tēperantia ponit, & numerat
26 alias Virtutes, & sunt.

15 Humilitas.

16 Virginitas.

17 Pax.

18 Beneuolentia.

19 Continentia.

20 Penitentia.

27 Vnde Virtutes morales, secundum Philosophum, erūt,

1 Prudentia.

2 Iustitia.

3 Fortitudo.

4 Temperantia. 24

5 Liberalitas.

6 Magnificentia.

7 Magnanimitas.

8 Philothimia. 25

9 Mansuetudo.

10 Amicitia.

11 Veritas. Veracitas. Fides Fidelitas.

12 Eutrapelia.

13 Religio.

14 Pietas.

15 Obedientia.

16 Obſeruantia.

17 Æquitas.

18 Iuſtitiæ gratia.

19 Vindicatio. Vindicatiua Iuſtitia.

20 Patientia.

21 Perſeuerantia.

22 Longanimitas.

23 Conſtantia.

24 Fiducia.

25 Modeſtia.

26 Clementia.

27 Caſtitas. Pudicitia.

28 Abſtinentia.

29 Sobrietas.

30 Concordia.

31 Humanitas.

32 Beneficentia.

33 Miſericordia.

34 Parcitas.

35 Simplicitas.

36 Nemeſis.

37 Verecundia.

38 Pudor.

Sed ſecundum theologũ adduntur ſequentes Virtutes.

1 Fides.

2 Spes.

3 Charitas

Virtut. theologicę.

4 Oratio.

5 Deuotio

6 Lętitia.

7 Contemplatio.

8 Meditatio.

ſunt partes Religionis.

9 Humi-

9 Humilitas.

10 Pœnitentia.

11 Virginitas.

12 Beneuolentia.

13 Continentia.

14. Pax.

15 Bonitas.

16 Gaudium, &c.

Et alij fructus Spiritus Sancti, suo loco exprimendi, &c.

SVMMARIOLA.

1 *Sermones de operationibus, in vniuersali, esse magis inanes quàm particulares.*

2 *Sermones particulares esse magis veros.*

3 *Operationes esse circa singularia.*

4 *Virtus quomodo sit medium inter extrema.*

5 *Medium, quod est Virtus, quomodo ostendatur.*

6 *Virtutem dupliciter considerari.*

1 *Quoad eius essentiam, & vt est habitus.*

2 *Vt est quoddam bonum animæ.*

7 *Virtutem esse vnum extremum, & vitium alterum extremum.*

8 *Bonum, & malum esse duo extrema.*

9 *Virtutem omnem contineri, sub bono.*

10 *Vitium omne contineri sub malo.*

11 *Medium, in ordine ad Virt: quotuplex.*

12 *Medium determinandum esse à sapiente.*

TABELLA OMNIVM VIRTVTVM, IN ORDINE AB OSTENDENDVM EARVM EXTREMA VITIOSA.

Caput XIV.



1 ERMONES, qui sunt de operationibus; si permaneant,
2 (secundum Arist: in.2.Ethic:) in vniuersali, sunt ma-
3 gis inanes, quàm particulares, eo quod particulares
sunt magis veri: Operationes enim sunt circa singularia: Vnde nos rationabiliter descendimus hîc, in particulari, ad ponendas singulas Virtutes, cum suis extremis; & licet

supra

supra in Cap: 2. §. 4. Ostensum fuerit, quomodo Virtus dicatur constituta medietas, inter duo extrema, tamen non putamus irrationale, iterum demonstrare, quomodo Virtus sit medium, inter duo extrema, ad hoc, vt melius Tabella infra ponenda, declarata remaneat.

4 §. 1 *Quomodo Virtus sit media inter duo extrema.*

Virtus, secundum Arist: 2. Ethic: dupliciter consideratur. 1. quoad suam
5 quidditatem, & sic vt est habitus medius, inter duas malitias. 2. Vt
6 est quoddam bonum animæ, sicut sanitas est bonum corporis, &
vitium est malum animæ, sicut ęgritudo est malum Corporis; &
7 sic Virtus est vnum extremum, & vitium est alterum extremum.
8 Bonum enim, & malum sunt duo extrema, sed omnis virtus conti-
9 netur sub bono, & omne vitium sub malo. Patet igitur quomodo
10 Virtus est medium, & quomodo extremum.

11 §. 2 *Quotuplex sit medium.*

Medium istud duplex est. 1. secundum rem. 2. Quoad nos. Medium se-
12 cundum rem est, quod æqualiter distat ab vtroque extremo, Medium quoad nos, est quod nobis, nec excedit, nec deficit, idest nec superfluum, nec diminutum est. Medium secundum rem est idem apud omnes: medium autem quoad, nos non est idem apud omnes. Medium secundum rem est medium, secundum proportionem Arithmeticam. Medium quoad nos est medium, secundum, proportionem Geometricam. Verb: gr: Medium rei est quod tantum excedit vnum extremum, quantum exceditur ab altero, & tale dicitur medium Arihmeticum, & hoc modo sex est medium inter duo, & decem. Nam sicut excedit duo in quatuor, sic exceditur à decem in quatuor. Medium quoad nos, est medium Geometricum, in quo non seruatur ęqualis distantia ab vtroque extremo, sed eadem proportio, puta sexquialtera, & sic sex sunt medium, inter, nouem, & quatuor quia quæ proportio est inter sex, & quatuor, eadem est inter nouem, & sex. Nam vtrobique est proportio sex quialtera, sicut enim sex continet quatuor, & medietatem eius, sic nouem continet sex, & medietatem eius. Hoc autem medium,

quoad nos, non est idem apud omnes, quod Arist. sic declarat. 2. Ethic: Si comedere decem panes in vno prandio, est nimis vni, & comedere duos, sit parum alteri, non sequitur, quod comedere sex, sit medium, idest sufficiens: ita quod non sit nimis, neque parum: Nam ei, qui præsidet Gymnasio, sex erit nimis: Tales enim se abstinēt à multo cibo, vt expeditiores sint, in certando; & Miloni, qui vt dicitur, comedebat, in die, bouem, erit parum. Vnde si alicui quatuor panes sufficiunt, ei erunt medium: quia nec nimis, nec parum: & si Miloni decem sufficiunt, illi erunt medium. Patet ergo quod medium, quoad nos, non est idem apud omnes: & tale medium est, quod ponitur in definitione Virtutis moralis; & quoniam variabile
13 est secundum personas, ideò determinandum est à sapiente, idest prudente. Puta prudens Medicus determinat medium diætandi infirmum, & pædagogus cibandi puerum, & prudens æconomus prouidendi familiæ, ita quidem, quod aliud medium assignabit Vxori, aliud filio, aliud Seruo.





Tabella Virtutum, in ordine ad ostendendum medium illarum, constitutum, inter duos habitus vitiosos.

Caput XV.

Vitia per excessum.			Vitia per defectum.
Idolatria.	1	Fides. Virtus theologalis.	Incredulitas; Infidelitas.
Presumptio. Præsumit ille, qui nimis quàm opportet, sperat.	2	Spes. Vir: theol:	Desperatio. Desperat, qui cadit à spe, suadẽs sibi, nec per propriã virtutẽ, nec per gratiam posse consequi bonum speratũ.
Odium contra Deum.	3	Charitas, Vir. theol:	Accidia, vel nullus amor.

Posita sunt extrema ad aliqualem expressionem; sed cùm sint Virtutes infusæ, non possunt dici constitutæ in puro meditullio.



Vitia excessiua.	Virtutes morales.	Vitia defectiua.
Calliditas.	1 Prudentia.	Stultitia.
Iniustitia. Vel lucrum.	2 Iustitia.	Damnum.
	Medium iustitię distributiuę, est iustum, extrema sunt magis, & minus. Commutatiuę mediũ est iustum, extrema, dãnum, & lucrum,	
Audacia.	3 Fortitudo.	Impauiditas, Vel Timor.
Intemperantia, vel immoderantia.	4 Temperantia.	Insensibilitas.
Banausia, quasi omniũ consumptrix,	5 Magnificentia.	Paruificentia.
Caumotes, quasi ardor in appetitu honoris.	6 Magnanimitas.	Pusillanimitas.
Instabilitas.	7 Perseuerantia.	Deficientia in opere.
Anxietas nimia.	8 Longanimitas.	Pusillitas.
Peru icacia.	9 Constantia.	Inconstantia.
Credul itas nimia.	10 Fiducia.	Nulla credulitas.
Afflictio, & cura superflua.	11 Securitas.	Nimia hęsitatio.

Vitia

Vitia per excessum.		Vitia per defectum.
Inobedientia.	12 Obedientia.	Contemptus tacitus superioris.
Prodigalitas.	13 Liberalitas.	Illiberalitas, vel auaritia in genere.
Iactantia. Vnde Iactator	14 Veritas. Veracitas. Fidelitas.	Ironia. Vnde irrisor.
Adulatio, vel blanditio.	15 Amicitia. Affabilitas.	Ineptitudo. Morositas:
Immodestia. Immoderatio. Insolentia.	16 Modestia.	Incompositio. Vel muliebris remissio.
Iracundia irrationalis.	17 Mansuetudo.	Inirascibilitas.
Crudelitas.	18 Clementia.	Nulla punitio; segnities.
Impudicitia.	19 Pudicitia. Castitas.	Inhabilitas ad Venerē. Vel nimia frigiditas.
Incontinentia.	20 Continentia.	Extremum defectiuū est innominatum; secundum Arist.
Luxuria. Vel corruptio voluntaria claustri Virginalis.	21 Virginitas.	Insensibilitas; vt infra in suo Titulo.

Cata-

Extrema exceſſiua.		Extrema defectiua.
Cataplex, ideſt qui de omnibus verecundatur.	22 Verecundia. Non eſt Virtus, ſed paſſio. Datur tamen in ea, medium laudabile.	Inuerecundia. Impudentia. Inde inuerecundus, qui de nulla re verecundatur.
Inuidia: inde inuidus, qui triſtatur de proſperitatibus bonorũ, & malorum.	23 Nemeſis. Non eſt Virtus, ſed paſſio. Datur tamen in ea, laudabile medium.	Epyrecatia; ideſt de nulla re triſtatio.
	24 Pudor. Non eſt Virtus, ſed paſſio laudabilis.	
Guloſitas.	25 Abſtinentia.	Indiſcreta abſtinentia.
Ebrietas.	26 Sobrietas.	Abſtemiatio irrationalis: inde abſtemius.
Impietas.	27 Pietas.	Barbaries, vel feritas.
Inurbanitas.	28 Obſeruantia.	Incultæ Vitæ ratio.
Ingratitudo.	29 Gratitudo.	Obliuio beneficij.
Philothimia, ideſt inordinatus amor honoris.	30 Philothimia.	Aphilothimia: ideſt nõ amor honoris.
Bomolochia, ideſt ſcurrilitas.	31 Eutrapelia. Comitas. Vrbanitas.	Agria, vel agroichia, ideſt ruſticitas.
Immiſericordia.	32 Miſericordia.	Durities cordis.
Meleficentia, vel offenſio.	33 Beneficentia.	Simplex amor ſui ipſius, ſecuudũ ſenſum, & non rationem.

Vitia per exceſſum.		Vitia per defectum.
Maleuolentia.	34 Beneuolentia.	Torpor.
Arrogantia. Superbia.	35 Humilitas.	Nimia paupertas ſpiritus.
Impænitentia.	36 Pænitentia.	Obſtinatio. Cor induratum.
Nimium deſiderium. Impatientia.	37 Patientia.	Triſtitia. Inertia.
Superſtitio.	38 Religio.	Irreligio. Nulla religio.
Nimius rigor.	39 Æquitas.	Nimia remiſſio.
Diſſentio, & repugnantia appetitionum.	40 Pax. Cum ſit virtus infuſa, & fructus Spiritus Sancti, propriè non conſiſtit inter extrema.	Confuſio: ſeu deſidia.
Diſcordia. Contentio. Rixa. Seditio.	41 Concordia.	Ingenij mobilitas, vel durities.
	42 Æquanimitas. Videtur eſſe eadem cũ patientia: vel cũ Pace.	
Inhumanitas.	43 Humanitas. Benignitas.	Stupiditas. Inciuilitas. Ruditas.
Mollities corporis. Luxus. Singularitas in apparatu, & veſtitu.	44 Parcitas.	Sordities.

Vitia

Vitia per excessum.		Vitia per defectum.
Solicitudo nimia.	45 Simplicitas.	Pigritia. Nulla cura.
	46 vindicatio, siue vindicatiua Iustitia. Est pars Iustitiæ, vt supra sub Tit: 12. §. 1.	

S V M M A R I O L A.

1 *Virtutem, vti, medietatem inter duo extrema, contrariari vtrique.*

2 *Extrema duo magis contrariari adinuicem, quàm ad Virtutẽ.*

3 *Virtutem magis contrariari vni, quàm alteri extremo.*

4 *In homine tres reperiri dispositiones.*

1 *Excessiuam)* *vtrasque*
2 *Desinientem)* *vitiosas.*
3 *Mediam, quæ est virtus.*

5 *Virtutem se habere ad duo extrema, sicut æquale ad magnum, & paruum.*

6 *Æquale esse medium inter paruum, & magnum.*

7 *Æquale contrariari magno, & paruo.*

8 *Fortem, respectu timidi, esse audacem, & respectu audacis esse timidum.*

9 *Liberalem, respectu prodigi, esse auarum, & respectu auari, esse prodigum.*

10 *Virtutem, & extrema dupliciter considerari.*

1 *Vt virtus est in genere boni.*
2 *Et extremum vt est in genere mali.*

11 *Bonum, & malum esse extrema.*

12 *Tepidũ opponi calido, & frigido.*

13 *Maiorem esse distantiam extremi ad extremum quam medij ad extremum.*

14 *Distantia vbi est maior, ibi etiam maior contrarietas.*

15 *Inter extremum, & extremum nulla similitudo.*

16 *Inter medium, & extremum esse aliquam conuenientiam.*

17 *Extremum vnum esse magis dissimile quam alterum.*

18 *Timiditatem esse magis dissimilẽ, quam sit audacia.*

19 *Fortem reputari aliqando audacem, non autem timidum.*

20 *Homo naturaliter habet maiorẽ inclinationem ad vnum extremum, quam ad alterum, &c.*

21 *Virtutem magis contrariari illi extremo, quod in nobis prævalet, quàm alteri.*

22 *Delectari omnes appetũt, & paucissimi naturaliter renuũt delectationes.*

23 *Temperantia magis contrariatur intemperantiæ, quam insensibilitati.*

24 *Extremum excessiuum aliquãdo magis contrariatur Virtuti, aliquando alterum defectiuum.*

25 *Fortitudinem magis conari contra timorem, quam audaciam.*

26 *Audacem facilius fieri fortem, quã timidum.*

QVOMODO VITIA INTER SE, ET VIRTVTES CONTRARIENTVR, ex Arist. 2. Ethic.

Caput XVI.



LICET ex vltimo Capite constet, Vitia opponi Vir-
1 tuti, tamen non erit incongruum ad materiam, su-
2 pra expressam, præsens Caput. Tria videbimus. 1.
quod Virtus, quæ est medietas, inter duo extrema,
quæ sunt vitia, cõtrariatur vtrique extremo. 2. quod
duo extrema vitiosa magis contrariantur ad inuicem, quàm ad Vir-
3 tutem. 3. quod licet Virtus contrarietur vtrique extremo, magis tamen vni, quàm alteri....

§. 1. *Quod virtus contrariatur vtrique extremo.*

Quoad primum dicitur ex Arist. ibi: tres in homine reperiri dispositio-
4 nes duas vitiosas, ex quibus vna est excessiua, altera deficiens, tertiã
mediam, quæ est Virtus, quæ mediat, sicut liberalitas, inter prodigalitatem, & auaritiam. Quælibet illarum trium disponentium opponitur cuilibet, quia duæ extremę vitiosæ contrariantur ad inuicẽ, & contrariantur mediæ, & media contrariatur vtrique extremæ,
5 quod sic probatur ex Arist. sicut se habet æquale ad magnum, &
6 paruum, sic Virtus ad duo vitia. Hęc similitudo patet, quoniam sicut ęquale est medium inter paruũ, & magnũ, sic, & virtus est media inter duo vitia. Sed æquale contrariatur magno, & paruo, vt
7 duobus extremis: nam ęquale comparatum paruo, est magnum, &

 com-

comparatum magno, est paruum, ergo à simili virtus media contrariatur vtrique vitio extremo. Nam fortis respectu timidi, est au-
8 dax, & respectu audacis, est timidus, & liberalis respectu prodigi,
9 est auarus, & respectu auari, est prodigus, & ideò qui est in vno extremo, ęstimat mediũ esse in altero extremo, vt qui est timidus ęstimat fortem esse audacem; & qui est audax ęstimat fortem esse timidum. Ratio est, quia medium contrariatur vtrique extremo, & respectu vnius extremi, habet rationem alterius extremi.

Pro euidentia huius rationis aduertatur, quod virtus, & extrema
10 possunt dupliciter considerari. 1. Vt virtus est in genere boni, & ex-
11 tremũ in genere mali, & quoniam bonum, & malum sunt extrema, ideo vi rtus, vt bona opponitur extremo, vt malum est, sicut extremum extremo. 2. Vt virtus est medietas inter extrema excessiua, & defectiua, & vt sic opponitur, vt medium extremis, sicut tepidum
12 opponitur calido, & frigido.

§. 2. Duo extrema magis contrariari ad inuicem, quàm ad virtutem.

Probatur, duo extrema vitiosa magis contrariari inter se, quàm ad virtu-
13 tem. Nam maior est distantia extremi ad extremum, quàm medij
14 ad extremum, vt patet. Sed vbi est maior distantia, est maior contra-
15 rietas ex 10. Metaphys. ergo, &c. Propterea inter extremũ, & extremum nulla est conuenientia, nec similitudo, quoniam vnum pęnitus negat alterum, sed inter medium, & extremum est aliqua con-
16 uenientia, nam medium, participat de extremis, vt tepidum de calido, & frigido; sed vbi nulla est conuenientia, est maior contrarietas ergo, &c.

17 *§. 3. Virtutem contrariari magis vni quàm alteri extremo.*

Sic demonstratur. Virtus contrariatur vtrique extremo, vt dictum est, tamen magis contrariatur vni, quàm alteri, puta fortitudo magis cõtrariatur timiditati, quàm audacię; nam vnum extremum est magis
18 dissimile virtuti, quàm alterum; vt timiditas est magis dissimilis
19 fortitudini, quàm audacia; cuius signum est, quod fortis reputatur audax, non autem timidus. Vbi autem est maior dissimilitudo, est
20 maior contrarietas ergo, &c. Pręterea habemus maiorem inclinationem

tionem ad vnum extremum vitiosum, quam ad aliud, ergo virtus
21 magis contrariatur illi, quam alteri, quia difficilius est nobis decli-
22 nare ab illo. Ver: gr: Quia omnes appetunt delectari, & paucissimi
naturaliter renuunt delectationes, ideo intemperantia magis con-
23 trariatur temperantiæ, quàm insensibilitas, quæ est non curare de-
lectari.

Pro euidentia huius rationis adiungitur; aliquando extremum
superabundans magis contrariari virtuti, aliquando autem extre-
24 mum deficiens. Nam in virtutibus, quæ sunt circa passiones con-
cupiscibilis, & quæ pertinent ad prosecutionem boni sensibilis, vt
delectationes, extremum excessiuum magis contrariatur, vt intem-
perantia temperantiæ: & ideò temperantia conatum facit, contra
intemperantiam, & non contra insensibilitatem. In virtutibus au-
tem, quæ sunt circa passiones irascibilis, ordinatas in fuga mali: ex-
tremum deficiens magis contrariatur virtuti, vt timor fortitudini:
25 & ideò fortitudo magis conatur contra timorem, quàm contra au-
26 daciam, facilius est enim audacem fieri fortem, quàm timidum.

S V M M A R I O L A.

1 *Virtuosum fieri homini difficile.*
2 *Vitiosum fieri, facile*
3 *Centrum in circulo inuenire; difficile.*
4 *A medio declinare; moueri passionibus, facile.*
5 *Irasci, consumere pecuniam, facile*
6 *Dispositionem bonam ad Virtutē facilitare eius consecutionem.*
7 *Infirmum, adeptis dispositionibus ad sanitatem, illam adipisci.*
8 *Animus humanus vitiorum morbo affectus, consecutis dispositionibus, Virtutem adipiscitur.*
9 *Dispositiones ad Virtutem, triplices.*
10 *Medium qui vult attingere, vitet vtrunque extemum, sed magis vnum, quàm alterum.*
11 *Extremum magis contrarium Virtuti, esse magis peccaminosum.*
12 *Pro magis extremo vitando, exēplum de Nauigatore.*
13 *Virtutem quærens, vitet magis extremum.*
14 *Contra extremum sibi magis amicum, conatū maiorem faciendū.*
15 *Delectationem esse circa magis conueniens, secundum naturā.*
16 *Qui magis delectatur in effundendo, inclinat magis ad prodigalitatem.*
17 *In declinando ab altero extremo,*

modus ſeruandus.

18 *Pro medio inueniendo, regula.*

19 *Delectationes corporales maximè vitandas, quia maximè opponuntur Virtute.*

20 *Ad delectationes maximè inclinamur.*

21 *Medium verum determinare, in moralibus quaſi impoſſibile.*

22 *Medium à prudente iudicari.*

23 *Medium Virtutis non conſiſtere in puncto, & in quodam indiuiſibili.*

VIRTVOSVM FIERI HOMINI DIFFICILE,

Etiam ſecundum Ariſt: 2. Ethic:

Caput XVII.

1 Ex Capitulis præcedentibus argumentari poteſt, quàm
2 ſit difficile fieri Virtuoſum, & facile, fieri vitioſum. Nam cum Virtus moralis conſtituatur inter duas malitias; Vna exceſſiua, defectiua altera, maximus adhibēdus erit labor, pro inueniendo, & ſeruando medio. Patet
3 hoc in exemplo Centri, in Circulo, quod inuenire non eſt cuiuſli-
4 bet, ſed Geometræ. Declinare verò à medio, aut moueri paſſioni-
5 bus, ſine medio, ideſt ſine dictamine rationis, commune eſt omnibus. Nam iraſci, & dare pecuniam, & conſumere, vt prodigus, facile eſt, ſed quod quis det, cui oportet dare, & quantum, & quando, & qua legitima cauſa, hoc non eſt omnium, propter ſuam difficultatem.

Licet igitur homini ſit difficilis acquiſitio virtutum, qui tamen
6 ad eas bene ſe diſponit, facillimè conſequitur. Nam ſicut infirmus,
7 adeptis diſpoſitionibus ad ſanitatem, ſtatim illam adipiſcitur, ita
8 humanus animus vitiorum morbo affectus, conſecutis diſpoſitionibus, quibus arceat oppoſita virtuti, abſque dubio virtutem ipſam inueniet. Ad ſanandam animi ægritudinem. Ariſt: hic. 2. Ethic: vt
9 moralis medicus tria documenta, & remedia proponit, quæ ſunt optimę quidem diſpoſitiones, vnde perfecta ſalus oritur, & quibus homo maximè fieri poteſt virtuoſus.

Primum Qui vult fieri virtuoſus debet attingere ſupradictum
10 medium, & abeſſe ab vtroque vitioſo extremo: ſed primo conetur euitare illud extremum vitioſum, quod magis contrariatur virtuti

Licèt

Licèt autem vtrumque extremum contrarietur virtuti, tamen magis vnum, quàm alterum, vt ostensum est supra. Extremum magis
11 contrarium vitari debet, vt magis impeditiuum virtutis, quod Arist. dicit esse magis peccatum, sicut minus contrarium, minus pecca-
12 tum. Idem Arist: pro casu nostro refert, quosdam nauigantes à Calipso nauigatore, vel secundum aliquos, à Circe accepisse hanc regulam: Extra fumum, & vndam, custodi nauim, idest extra caliginem, quæ nautæ visum impedit, & extra tempestatem, quæ nauim agit, cura nauim. Hæc enim prius duo extrema maris pericula, vt maiora debet vitare nauta, deinde minora. Vitet ergo. 1. ho-
13 mo vitiosum extremum magis contrarium virtuti. 2. declinet ab extremo minus contrario, & sic, per abnegationem vtriusque extremi, perueniet ad medium virtutis.

Secundum. Cum omnes non inclinemur ad vnum, sed multi ad
14 multa, debet, qui vult fieri virtuosus, considerare ad quid magis naturaliter à propria inclinatione trahatur. Hoc enim cognoscere poterit ex delectatione, quam circa aliquid habet, cum delectatio
15 sit circa conueniens secundum naturam. Ex: gr: Qui magis dele-
16 ctatur in effundendo diuitias, quam in retinendo, signum est, quod magis inclinatur ad prodigalitatem, quam ad auaritiam. Hoc igitur considerato, qui videt se inclinatum ad vnum extremum vitio-
17 sum, vertat se ad aliud: sed cum tali aduertentia, vt non transeat ab vno extremo vitioso ad alterum. Ver: gr: Inclinatus ad prodigalitatem vertat se ad auaritiam, minus scilicet effundendo, & paulatim veniet ad medium liberalitatis, qua sciet effundere, & retinere quando, & quomodo oportet; Vnde in hoc agere debet homo, si-
18 cut qui dirigere curat lignum curuum, vertit eum ad gibbositatem adeò, quòd curuum tandem tendit in rectum.

Tertium. Qui cupit virtutem adipisci, abstineat à corporalibus
19 delectationibus, ne scilicet sibi dominentur, quoniam cum omnes
20 inclinentur ad tales delectationes, non potest homo diu immorari in illis, quin impetuosè moueant concupiscibilem, & faciant recedere à recta ratione; & ideo sicut senes plebis Troianæ suadebant abijciendam esse Helenam, ne Troia subuerteretur, sic qui vult fieri virtuosus abijciat voluptates, quoniam si in illis immorabitur, trahetur ad vitam bestialem, & nullam ex Virtutibus moralibus possidebit.

Quoniam verò est quasi impossibile in moralibus determinare
21 verum,& totale medium, secundum rectam rationem,ac sufficen-
22 tiam omnium circumstantiarum, quæ requiruntur ad bonum, & laudabilem omnino actum moralem; relinquitur hoc iudicio prudentis. Laudamus, enim aliquando deficientem irasci, & dicimus eum mansuetum; aliquando laudamus superabundantem in ira,& dicimus ipsum virile. Sciendum etiam est medium virtutis non consistere in puncto, & in quodam indiuisibili,ita vt qui illud indi-
23 uisibile non attingit, non sit virtuósus, & qui parum ab eo declinauerit, fiat vitiosus.


SVMMARIOLA.

1 *Voluntarium quid.*
2 *Voluntarium, & liberum distingui.*
3 *Voluntarium an in Infantibus,& brutis.*
4 *Liberum an in Pueris, & brutis.*
5 *Voluntarium, & violentum differre.*
6 *Omissio quando voluntaria.*
7 *Metus quotuplex.*
8 *Ex metu acta, an voluntaria.*

DE VOLVNTARIO, ET INVOLVNTARIO,

Secundum S. Thom: 1. 2. q. 6.

Caput XVIII.



Ctiones humanas illas tantùm dici, quæ deliberata voluntate fiunt, supra habitum est: modo pro earum declaratione, dicitur de voluntario, & inuoluntario.
1 Voluntarium est,cuius principium est intrinsecum,cum cognitione finis. Vel est operatio appetitus, cum cognitione finis.
2 Voluntarium, & liberum distinguntur: nam in infantibus,& bru-
3 tis voluntarium inuenitur, sed non liberum, scilicet voluntarium
4 imperfectè, quia eis competit imperfecta cognitio finis: Nam finis tunc perfectè cognoscitur, quando non solum apprehenditur,sed etiam cognoscitur, vt finis, & ratio mediorum,cum proportione. Habens verò vsum rationis,apprehendit finem,sub ratione finis,& deliberat de medijs.

Volun-

Voluntarium quoque, & violentum differunt. Nam voluntarium
5 est à principio intrinseco: Violentum autem ab extrinseco. Violentia etiam causat inuoluntarium, modo, in sequenti capitulo, declarando.

Omissio tunc est voluntaria, quando concurrunt tres conditio-
6 nes. 1. Vt possim. 2. Vt tenear. 3. Vt non faciam.

Quæ fiunt ex metu sunt voluntaria simpliciter; quia à principio
7 intrinseco: siuè metus sit leuis, cadens in virum meticulosum, &
8 inconstantem, siuè grauis, cadens in virum fortem, & constantem. S. Th: hic ar: 6.

S V M M A R I O L A.

1 *Moralis tractat de voluntario, & inuolontario.*

2 *Ex opere virtuoso laus, & econtra.*

3 *Inuoluntarium aut per violentiã, aut per ignorantiam.*

4 *Violentum duplex.*

5 *Violenti ad rationem duo requiri.*

6 *Violentum simpliciter quid.*

7 *Violentum secundum quid.*

8 *Violenti operationes, secundum quid, habere mixturam.*

9 *Violenti operationes esse magis voluntarias, quàm econtra.*

10 *Operationibus ex timore deberi laudem, vel econtra.*

11 *Sustinere turpe, vel dolorosum, propter magnum bonum, laudabile est.*

12 *Sustinere turpe, pro leui malo vitando, vel paruo bono assequendo, vituperabile.*

13 *Operationes propter timorem, quando venia digne.*

14 *Actiones ex timore, si maximè malæ, etiam maximè vituperabiles.*

15 *Inuoluntarium propter ignorantiam, quid.*

16 *Ignorantiæ tres, secundum Arist.*

17 *Factum per ignorantiam est.*

1 *Aut contra voluntatem.*

2 *Aut præter voluntatem.*

3 *Sed non secundum voluntatem.*

4 *Nec contra voluntatem.*

18 *Inuoluntarium propriè dici, quod est contra voluntatem.*

19 *Voluntarium non est propriè, quod est præter voluntatem.*

20 *Voluntatem non ferri in incognitum, quoniam eius obiectum est bonum cognitum.*

21 *Medium inter voluntarium, & inuoluntarium, quid.*

22 *Operari per ignorantiam, & ignoranter, maximè differre.*

23 *Malus omnis operatur ignorans.*

24 *Non omnis malus operatur per ignorantiam.*

25 *Igno-*

25 *Ignorans, & per ignorantiam operari quis dicatur.*

26 *Quod ignoratur, posse esse duplex.*

27 *Ignorantia affectata quid.*

28 *Quæ ignorantia causet inuoluntarium.*

29 *Circumstantiæ quomodo causent inuoluntarium.*

30 *Circumstantiæ quotuplices sint.*

31 *Quæ circumstantiæ possint ignorari ab operante.*

32 *Ignorantia circumstātiarum qualiter causet inuoluntarium.*

33 *Ignorantiam innatam causare inuoluntarium.*

34 *Ignorantiam affectatam esse duplicem.*

35 *Ignorantia inuincibilis, quid.*

36 *Voluntarium secūdum Arist: quid.*

37 *Inuoluntariū manifestari per duas conditiones.*

38 *In inuoluntario per violentiam, principium esse extra.*

39 *In inuoluntario per ignorantiam, est nescientia circunstantiarū.*

40 *Non omne, cuius principium est intrinsecum, debere dici voluntarium.*

41 *Operata per passiones, dici operata voluntariè.*

42 *Nulla operatio humana, vt sic, est inuoluntaria.*

43 *Homo potest operari benè, & malè, volens, & nolens.*

44 *Opus iustum, cum iustificatione est, cum fit voluntariè.*

45 *Operans iustum nolens, operatur per accidens.*

46 *Nihil specificari per id, quod est per accidens.*

47 *Operationes per se, iusti, & iniusti, determinari, per voluntariū.*

48 *Hominem posse cogi ad opus bonum sine merito.*

49 *Item ad opus malum, sine demerito.*

DE VOLVNTARIO, ET INVOLVNTARIO,

Secundum Arist. 3. Ethic.

Caput XIX.

1 AD moralem spectat tractare de voluntario, & inuolunta-
2 rio, cum ipsa agat de Virtute, & eius opposito. Ex opere
autem virtuoso quis meretur laudem, & ex opposito,
vituperium: sed actiones humanæ merentur laudem,
aut vituperium, veniam, aut pœnam, quatenus sunt voluntariæ,
ergo, &c.

Inuoluntarium aut est per violentiam, aut per ignorantiam. Vio-
3 lentum est duplex. 1. Simpliciter. 2. Secundum quid. Violentum

4 simpliciter

4 ſimpliciter eſt, cuius principium eſt extrinſecum, in quo nihil con-
5 fert operans, vel patiens. Ad rationem violenti ſimpliciter, duo re-
quiruntur. 1. Violentum excludit motum appetitus, qui eſt, in no-
bis, vt principium intrinſecum, cum ſit potentia animæ, neceſſe
6 eſt, vt violentia fiat à principio extrinſeco. 2. quia appetitus poteſt
moueri ab aliquo extrinſeco, cui aſſentit; vt qui perſuadetur aliquid
agere, gratia mali vitandi, vel boni conſequendi, ideò requiritur
ad violentum ſimpliciter, quod nō ſolum ſit à principio extrinſeco,
ſed totaliter, ita vt appetitus operantis, vel patientis, nullo modo aſ-
7 ſentiat: vt ſi Princeps hominem ſibi ſubditum expulerit à Patria.
Violentum autem ſecundum quid, eſt illud, quod fit, propter timo-
rem maiorum malorum, ſibi imminentium, niſi ſic faciat: puta, ti-
met occidi, niſi pergat ad bellum, vel propter bonum, quod quis ti-
met amittere, vt qui ſuſtinet abſciſſionem pedis, ne vitam perdat.
Violentum ſimpliciter eſt omninò inuoluntarium, nec voluntas
vllo modo aſſentit. De violento ſecundum quid, dubitatur merito,
an ſit voluntarium. Ariſt: diſſoluens dubium, duo dicit.

Primo. huiuſmodi operationes eſſe mixtas, ex voluntario, & in-
uoluntario. Non enim ſunt ſimpliciter voluntariæ, quia mercator
8 non proijcit merces, in mare, voluntariè, abſolutè, cùm hoc ſit
damnum ſuum, nec ſunt abſolutè inuoluntariæ, quia aſſentit eas
proijcere, propter maius bonum Vitæ: ſunt igitur participantes de
vtroquè, ſicut medius color de albo, & nigro.

Secundo. Iudicandas eſſe magis voluntarias, quàm inuolonta-
9 rias, quia cum operationes ſint circa ſingularia, magis iudicanda eſt
qualitas earum, iuxta conſiderationem ſingularium circunſtantia-
rum, quam iuxta conſiderationem in vniuerſali. Conſtat autem,
quod, conſideratis omnibus circumſtantijs, quæ illo tempore oc-
currunt, quando huiuſmodi operationes fiunt, vt quando proijciūt
merces, in mare, operans verè aſſentitur ſic agere, & eſt in poteſtate
ſua, ſic, & non ſic, agere, cuius ſignum eſt, quod applicat membra
ſua, vel manus, vel pedes, ad proijciendum, &c. ergo dicendę ſunt
verè, & propriè, licet non merè volontariæ.

10 Præterea pro talibus operationibus, ex timore factis, debetur ope
ranti laus, vel vituperium, honor, vel pęna, ergo iudicandę ſunt verè
voluntariæ. Conſequentia patet, nam ex puro inuoluntario, nulli
debetur laus, vel vituperium. Antecedens autem manifeſtat Ariſt.

in triplici gradu talium operationum.

Primus est, quando quis sustinet aliquid turpe, vel dolorosum,
11 propter magnum bonum acquirendum, sibi, aut Reipublicæ, vel
propter euidēs malū imminēs sibi, aut Reipublicę, puta verbū igno
miniosū, aut verbera, aut carcerē, meretur laudē, &c. verùm si quis,
12 pro leui malo fugiendo, vel paruo bono assequendo, sustinet ali-
quid turpe, sicut gulosus, pro bolo pingui, sustinet flagella, in Pla-
tea, vituperium meretur. Prudens enim non sustineret quid turpe,
pro conseruando aliquo bono, aut euitando aliquo malo, nisi iu-
dicaret pręponendum bonum illud, aut malum ignominiæ, quam
eligit sustinere, & qui aliter faceret, esset prauus, & vilis.

Secundus Gradus est, quando, ex operationibus, factis, propter
13 timorem, quis non meretur laudem, nec vituperium, sed quandam
veniam, vt scilicet non multum vituperetur, sed apud bonos Viros,
pro maiori parte, excusetur, vt si alicui comminatur adustio ignis,
nisi dicat mendacium iocosum, apud Philosophum, talis mereretur
veniam, sed non laudem.

Tertiùs Gradus est, quando operationes, factæ, ex timore, & mā-
dato alicuius, sunt adeo malæ, quod homo debet potius sustinere
14 mortem, quàm talia perpetrare, tunc sunt maximè dignę vituperio.
Cum igitur ex operationibus factis, ex timore malorum à quibus
prouenit violentum, secundum quid, homo sit dignus aliquando
laude, iuxta primum gradum, aliquando venia, iuxta secūdum, ali-
quando vituperio, iuxta tertium gradum, constat quod magis assi-
milantur voluntarijs, quàm inuoluntarijs.

Inuoluntarium per ignorantiam sic se habet, secundum Arist. Nō
15 omnis ignorantia, nec omne, quod ignoranter fit, causat actum in-
uoluntarium propriè dictum, ideò duo inspicienda erunt. 1. De dif-
ferentijs ignorantiæ. 2. De circumstantijs singularibus, quæ com-
muniter concurrunt ad actum humanum, vt sciamus, quæ causant
ignorantiam, à qua inuoluntarium, vel non.

Tres ignorantias assignat Arist. 1. quæ dicitur facti, vel penes fa-
16 ctum, & ponitur talis distinctio. Eorum, quę fiunt per ignorantiam,
quoddā est inuoluntariū; quoddā nec voluntariū, nec inuoluntariū,
sed nō voluntariū. Huius diuisionis ratio est: quod fit per ignorantiā,
aut est contra voluntatem, aut pręter voluntatē, sed non secundum,
17 voluntatem, nec contra voluntatem. Si est contra voluntatem,

18 dicitur

18 dicitur propriè inuoluntarium, propter ignorantiam, & eſt illud, quod poſtquam cognoſcitur, inducit triſtitiam, & pęnitentiam in operante, ita vt ſi cognouiſſet, numquam operatus fuiſſet; vt ſi quis de nocte, occideret Patrem, credens eſſe inimicum. Si pręter
19 voluntatem; non poteſt dici propriè voluntarium, quia non eſt vo-
20 luntarium, niſi cognitum; voluntas enim non fertur in incognitũ; quoniam obiectum eius eſt bonum cognitum. Nec poteſt dici propriè inuoluntarium, quia licet ſit præter voluntatem, non tamẽ
21 contra. Dicitur ergo propriè non voluntarium, quod eſt medium, inter volontarium, & inuoluntarium: ſicut non videns medium eſt inter videntem, & cęcum. De hoc non voluntario ſit exemplum. Titius, in agro, inuenit vas argenteum, putans ſtamneum: poſt cognouit eſſe argenteum. Illa inuentio non poteſt dici inuoluntaria, cuius ſignum eſt, quod non triſtatur, admonitus, ſe inueniſſe argenteum, nec dicenda erit voluntaria, quia non cognouit, ſe inueniſſe argenteum: erit ergo inuentio non voluntaria, quia non fuit ſecundum, nec contra, ſed præter, voluntatem.

Secunda Differentia ſumitur penes ignorantiam, vt cauſam, & non cauſam. Nam multum differt, aliquem operari, per ignoran-
22 tiam; & operari ignoranter, non enim omne, quod quis operatur ignorans, operatur per ignorantiã, & hoc dupliciter probat Ariſt:

Primo. Ebrius, & iratus operatur ignorans, quia non conſiderat, quid faciat, & tamen nõ per ignorantiam, ſed per iram, aut ebrietatem operatur, ex qua prouenit inconſideratio, propter quàm dicitur ignoranter operari: 2. omnis malus operatur ignorans, ſed non
23 omnis malus operatur per ignorantiam; ergo non omne, quod
24 quis facit ignorans, facit per ignorantiam. Quod autem omnis malus operetur ignorans, ſic declarat Ariſt: Ignorat quidem, igitur omnis malus, quę oportet operari, & à quibus abſtinendum: & propter tale peccatum, iniuſti vniuerſaliter, & mali fiunt: quod ſic intelligitur Ariſt: Omnis malus eſt ignorans, ideſt omnis malus, malitia oppoſita virtuti morali, hoc eſt, vitioſus eſt ignorans; quia ignorat finem, propter quem homo, vt homo debet operari, quia qualis vnuſquiſque eſt, talis ſibi finis videtur. Vel ſic, poteſt intelligi: omnis malus eſt ignorans, in particulari quando actu operatur. Ex hoc patet, quod cum quis operatur ignorans, ſed non propter ignorantiam, non poteſt dici

25 propriè operari inuoluntariè: nullus enim fit iniustus, ex hoc, quod inuoluntariè operatur, nam si peccatum non est vllo modo voluntarium, desinit esse peccatum. Potest igitur aliquis operari ignorans, & tamen volontariè operari. Nam malus voluntariè operatur, & tamen operatur ignorans, quia iudicat aliquod esse bonum, quod non est bonum, & aliquod malum, quod non est malum.

Tertia Differẽtia ignorãtę sumitur ex parte rei, quę ignoratur. Il-
26 lud, quod ignoratur, potest esse duplex. 1. quoddã est, quod oportet agere, aut vitare, & quod homo tenetur scire, vt possit illud agere, si est bonum, aut vitare, si est malum. 2. quoddam est, quod non tenetur, nec potest homo scire. Primum ignoratum non causat inuoluntarium, immò talis ignorantia est voluntaria, quod patet, quia non prouenit homini, habenti vsum rationis, nisi ex negligentia, & quilibet tenetur diligentiam adhibere, vt sciat, quid eum oportet facere, aut vitare, & si est negligens, imputatur sibi, & vituperabilis est, si non curat scire. Hæc ignorantia appellatur affectata, &
27 est eorum, qui amant ne scire, vt non benè agant: ideò est voluntaria interpretatiuè, & peccaminosa. 2. ignoratum causat inuoluntarium, vnde si quis, secundum talem ignorantiam, operatur malum, meretur veniam, aut misericordiam. Verb: gr: Titius, qui semper fuit absens à Patria, ignorat quis sit eius pater, & reuertens in Patriam; iniuriatur Patri, quem nescit esse Patrem; illa iniuriatio est inuoluntaria, & meretur veniam, & misericordiam, quia non pro-
28 curauit talem ignorantiam.

Patet igitur, ex prima differentia, quæ ignorantia causet inuoluntarium, & quæ non voluntarium. Ex 2. quod agens ignoranter, non agit inuoluntariè, immò voluntariè. Ex. 3. quod agens per ignorantiam eius, quod tenetur scire, non agit inuoluntariè, nec est dignus venia: agens autem, per ignorantiam eius, quod non tenetur, aut non potest scire, agit inuoluntariè, & meretur veniam, aut misericordiam.

Quantum ad circunstantias, videnda sunt tria, secundum Arist:
29 ad dignoscendum, quomodo causent inuoluntarium. 1. quot sint. 2. quæ, & quot, ex illis, possunt ignorari. 3. qualiter ignorantia dictarum circunstantiarum causat inuoluntarium, propriè dictum.

In Primo. Septem sunt. 1. quis. 2. quo. 3. quid. 4. gratia cuius. 5.
30 quid. 6. in quo. 7. qualiter. Sic declarantur. Circumstantia, vel est

quoad

quoad causam actus, vel quoad ipsum actum. Si quoad causam, hoc accidit tripliciter. 1. Vel circa causam efficientem. 2. Vel materialem. 3. Vel finalem. Si quoad efficientem est (.quis.) Si quoad instrumentalem, est.(quo.) Si quoad materialẽ est (quid) si quoad finalem est (Gratia cuius.) Si quoad actum; hoc fit tripliciter. 1. si quoad substantiam, est (quid) 2. Vel si quoad mensuram loci, & temporis, sic est (in quo) 3. Vel si quoad modum, sic est (qualiter).

In Secundo quæ, & quot circumstantiæ possint ignorari ab ope-
31 rante, & quæ non, dicitur secundum Arist: quod prima non potest ignorari, scil: quis sit operans principalis: omnis enim homo operans, nisi sit insanus, cognoscit se ipsum operantem. Aliàs autem circunstantias contingit ignorare. Potest enim quis ignorare, quid operatur, vt secundum Arist: reuelans secreta, nesciens talia, nam ignorat sic, quid operatur. Datur etiam ignorantia, quoad instrumentum; vt si credas operari gladio obtuso, & tamen sit gladius acutus. Item circa finem, ad quem terminatur operatio. Item circa circumstantiam (qualiter) idest circa modum. Item circa mensurã, nempe quando, aut vbi operatur. Dicit igitur Arist: quod circa omnes dictas circumstantias, contingit esse ignorantia, præter quàm, circa primam, & qui aliquam ignorat, videtur nolens, & inuoluntariè operari.

In Tertio qualiter ignorantia prædictarum circumstantiarum
32 causet inuoluntarium, propriè, dictum, dicitur, secundum Arist: quod sola ignorantia alicuius, vel aliquarum, ex dictis circumstantijs, non sufficit, ad causandum inuoluntarium, propriè dictum, nisi operatio inducat tristitiam, & pænitudinem, quando scil: cognoscitur, quid actum sit, & tristatur operans sic fecisse. Conclusio de ignorantia, quando causet inuoluntarium, imputandum, & quan-
33 do non, sit.

Prima. Ignorantia innata, & quasi naturalis, vt in amente, causat inuoluntarium, non imputandum.

Secunda conclusio. Quoad ignorantiam affectatam, quæ est
34 duplex. 1. Ex operatione. 2. Ex omissione; dicitur. 1. Ex operatione est, quando quis aliquam operationem facit, ex proposito, ad quàm ordinariè sequitur ignorantia, vt si quis voluntariè se inebriat, & post, in ebrietate, nescit, quid, circa quid, & qualiter operetur. 2. est, quando quis, ex negligentia, aut contemptu omittit inuestiga-

re,

re, &c. iſta etiam dicitur ignorantia craſſa, & ſupina. In vtroquè caſu non excuſat, cum ad ſit voluntarium interpretatiuè.

Tertia ſit concluſio. Ignorantia non affectata, quæ eſt, quando quis aliquid ignorat, quod non tenetur ſcire, vel non poteſt ſcire, etiam adhibita diligentia, excuſat, non imputatur ad culpam, & cauſat inuoluntarium. Vt ſi quis adhibita diligentia, ne alicui no-
35 ceat, iaceat ſagittam, & occurens homo occiditur. Iſta appellatur etiam inuincibilis.

36 §. 1. *De voluntario, ſecundum Ariſt: vbi ſupra.*

Voluntarium eſt, cuius principium eſt in ipſo ſciente ſingularia, ideſt circumſtantias, ſecundum quas fit operatio. Pro maiori declaratione dicitur, quod cùm voluntarium opponatur inuoluntario, habet conditiones oppoſitas. Duæ conditiones manifeſtant inuolunta-
37 rium. 1. Per violentiam. 2. & per ignorantiam. 1. In inuoluntario,
38 per violentiam, principium eſt extra, cui non confert paſſum, vti
39 declaratum eſt ſupra. 2. In inuoluntario, per ignorantiã, eſt neſcientia circumſtantiarum. Si igitur alicuius operationis principium eſt intrinſecum ipſi operanti, puta ipſius voluntas, aut appetitus, & in operante eſt ſcientia circunſtantiarum, ſecundum quas operatur, clarum erit, quod illa operatio eſt voluntaria. Rationabiliter igitur Ariſt: deſcribit voluntarium, per conditiones, oppoſitás illis, quæ cauſant inuoluntarium.

Quidam opinati ſunt contra Ariſt:, non omne, cuius principium
40 eſt intrinſecum, etiam cum notitia circumſtantiarum, debere dici voluntarium, quia poſſibile eſt, illud principium intrinſecum non eſſe voluntatem à qua denominatur voluntarium, ſed erit aliqua paſſio appetitus, puta amor, delectatio, ira, &c. quæ autem fiunt, per paſſiones; non videntur voluntaria, ergo, &c.

Reſpondet Ariſt: tribus rationibus, probantibus, operata, per
41 paſſiones, dici operata voluntariè. 1. Omnia inuoluntaria ſunt triſtia, & cum pęnitudine, ſed non omnia, quæ fiunt, propter paſſiones, ſunt triſtia, immò delectabilia, vt quæ fiunt ex amore, & concupiſcientia, vel ex ira. Gaudet enim iratus de vindicta, ergo, &c. 2. Peccata, quæ fiunt, propter paſſiones, ſunt fugienda, vt occidere ex ira, &c. turpiter amare matrem, &c. ergo ſunt voluntaria.

Conſequentia

Consequentia patet; quia homo, propter inuoluntaria, nec laudatur, nec punitur, ergo, &c. 3. Nulla operatio humana est inuoluntaria,
42 dicitur enim propriè operatio humana, quæ est in potestate hominis operantis, sed actiones, factæ, propter passiones, possunt esse humanæ, quia appetitus sensitiuus, in quo sunt passiones, est aptus obedire rationi, ergo, &c.

43 §. 2. *Quomodo cognoscatur opus iustum esse meriorium, & iniustum non punibile.*

Homo potest facere opus iustum, vel iniustum, volens, & nolens, aliàs
44 voluntariè, & inuoluntariè. Voluntariè, quando reddit, ex se, alteri, quod suum est. Inuoluntariè, quando reddit, astrictus à Iudice, opus iustum, cum iustificatione, tunc est, quando voluntariè fit:
45 Vnde si homo operatur iustum nolens, non operatur iustum, nisi per accidens, & tunc non operatur, cum iustificatione, nec cum iniustificatione, quoniam nihil specificatur, per id, quod est per ac-
46 cidens, sed per id, quod est per se, & ideò iustificatio, & iniustificatio, quæ sunt operationes, per se, iusti, & iniusti, non determinantur,
47 nisi per voluntarium. Cum igitur possit homo operari opus iustũ, & iniustum, violenter, sequitur, quod potest operari illud, & tamen ex eo, nec iustificatur, nec iniustificatur, nisi quando accesserit voluntas, & hoc est, quod solet dici: Hominem posse cogi, ad opus
48 bonum, ex quo non habet meritum, & ad opus malum, ex quo non
49 habet demeritum.

S V M M A R I O L A.

1 *Virtutem in operationibus consistere.*
2 *Rationalem naturã agere propter finem.*
3 *Actiones, quæ procedunt ab aliqua potentia tendunt in obiectũ potentiæ.*
4 *Obiectum voluntatis est bonum.*
5 *Bonum, & finis sunt idem.*
6 *Voluntas omnia appetit sub specie boni.*
7 *Actiones humanæ illæ dicuntur, quæ sunt hominis, vt sic.*
8 *Homo est Dominus suorum actuum per rationem, & voluntatem.*
9 *Liberum arbitrium, quid.*
10 *Voluntas deliberata, quid.*
11 *Finis, quid.*

12 *Actiones humanas specificari à fine.*

13 *Homo omnia appetit, veluti bonũ, vel vti medium ad bonum.*

14 *Pro vltimo fine sufficere primam intentionem.*

15 *Bonum, in ordine consistere.*

16 *Bonum est, quod omnia appetunt.*

17 *Quietitudo non datur in hac vita.*

18 *Totus mundus non est finis hominis.*

19 *Mundus est propter Deum.*

20 *Homo est pars mundi.*

DE OPTIMO FINE HVMANARVM OPERATIONVM

Secundum S. Thom:

Caput XX.

1 SI Virtus est habitus operatiuus, vt supra firmatum fuit,
ergo Virtus in operationibus consistit, sed cum actio-
nes, vt propriæ hominis, debeant moueri ab aliquo fi-
2 ne, ideò congruenter hic ponitur Titulus præsens. Ra-
tionalis naturæ propriũ est agere propter finem: Vnde
3 omnes actiones humanæ sunt propter bonum, & propter finem.
Nã actiones, quę proueniunt ab aliqua potentia, tendunt, in obie-
ctum potentiæ, sed obiectum voluntatis, est bonum, & finis, ergo
4 omnes actiones sunt propter finem. S. Th. 1. 2. q. 1. ar. 1. ideò
Medina ibi subiungit. Bonum, & finem, in actionibus humanis,
5 esse idem. Nam omnia agunt propter finem: quia sicut voluntas
6 omne id, quod appetit, sub specie, & ratione boni appetit, ita omne
id, quod appetit, sub ratione finis appetit.

Actiones, quæ ab homine aguntur, illæ solæ propriè dicũtur hu-
7 manę, quæ sunt propriæ hominis, in quantũ est homo. Differt autẽ
homo à brutis, in hoc, quod est suorum actuum dominus: est autem
8 homo dominus suorum actuum, per rationem, & voluntatem:
9 Vnde, & liberum arbitrium esse dicitur facultas voluntatis, & ratio-
nis: illæ ergo actiones propriè humanæ dicuntur, quæ ex voluntate
deliberata procedunt: si quæ autem aliæ actiones homini con-
ueniant, possunt quidem dici hominis actiones, sed non propriè
humanæ, cum non sint hominis, in quantum homo est. Manifestũ
verò est, quod omnes actiones, quæ procedunt ab aliqua potentia,
causantur ab ea, secundum rationem sui obiecti: obiectum autem

voluntatis

voluntatis est bonum,& finis,ideò apparet,omnes actiones huma-
nas esse propter finem. S. Th. d. ar. 1.
Deliberata voluntas est illa, quæ sequitur deliberationem, &
10 consilium rationis, & facta deliberatione,operatur.Homo autem
dicitur habere dominium suorum actuũ,in quantum,vel ex se ipso,
vel auxilio, vel consilio Diuino, potest operari, & non operari, in
hoc, vel in illo modo.
Finis est ille,cuius gratia aliquid fit,& sicut bonum est illud quod
11 primo trahit voluntatem, iuxta illud: Bonum est, quod omnia ap-
petunt,ita finis est ille, qui primo mouet appetitum, iuxta illud,Fi-
nis est, cuius gratia aliquid fit, & sicut finis habet ex se qualitates
amabiles, ita bonum ex se habet qualitates diligibiles. Actiones
humanę specificantur à fine, & secundum finem est laudabilis, aut
12 vituperabilis actio. S.Th. 1.2.q.1.art.3.
Omne,quod vult homo,totum vult propter vltimum finem.Nã
13 homo omnia appetit,vel vti bonũ,vel vti mediũ ad vltimũ bonũ,
& finem:& secundæ res appetibiles non mouent, sine primis:veluti
secundæ causę non operantur, sine primis, neque est necessarium,
quod agens,dum agit, cogitet de vltimo fine, sed sufficit prima in-
tentio, vti itinerans non semper cogitat, de termino. S. Th. d. q. 1.
14 art. 6.
Bonum in ordine consistit. S. Th. 2.2. q. 114. Bonum est, quod
15 omnia appetunt. Arist. Bonum absolutè,vt sic debet esse vniuersa-
16 le, & vt tale perfectè quietare appetitum hominis, sed in hac vita
17 non datur ista quietudo appetitus, ergo bonum, & beatitudo non
consistunt, in aliquo creato,ergo in solo Deo, est summum bonũ,
18 cum Deus sit omne bonũ. S.Th. 1.2.q.2.art.8. Totus Mundus,non
19 est finis hominis, sed Mundus est propter Deum, & homo est pars
20 Mundi. S.Th.d.art.8.

S V M M A R I O L A.

1 *In actionibus humanis dari finem triplicem.*
- 1 *Bonum.*
- 2 *Meliorem.*
- 3 *Optimum.*

2 *In optimo fine felicitas.*

3 *Dari dictum finem bonum,probatur.*

4 *Principia operationum humanarũ duo.*

1 *Intellectus.*
2 *Voluntas.*

5 *Intellectus duplex.*
1 *Practicus.*
2 *Speculatiuus.*

6 *In intellectu practico, ars.*

7 *In speculatiuo, scientia.*

8 *Prudentiam esse respectiuam finis.*

9 *Bonum esse, quod omnia appetunt, declaratur.*

10 *Bonum communiter sumptum distingui, à summo bono.*

11 *Omne ens actu, habet inclinationem ad aliquod sui perfectiuum.*

12 *In homine datur appetitus triplex.*
1 *Naturalis.*
2 *Sensitiuus.*
3 *Rationalis.*

13 *In brutis datur tantùm.*
1 *Naturalis.*
2 *Sensitiuus.*

14 *Appetentem appetitu sensitiuo, & rationali posse appetere, & verè bonum, & existimatum bonum.*

15 *Actiones humanas esse duplices.*

16 *Actiones sensuum terminari in se ipsis.*

17 *In Agente voluntario operatum esse nobilius operatione.*

18 *Dari finem bonum, & meliorem.*

19 *Dari actiones subordinatas ad alterum.*

20 *Actionem subsequentem esse meliorem praecedente.*

21 *Finis non ordinatus ad vlteriorẽ, est vltimus, & optimus.*

22 *In vltimo fine quiescere desideriũ*

23 *Vltimus finis est felicitas.*

24 *Non dari processum in infinitum, in finibus.*

25 *Desiderium naturale, est inclinatio insita rei, ex ordinatione primi mouentis.*

26 *Desiderium cum non sit vanum, dâtur dicti tres fines.*

27 *Finis vltimus est duplex.*

28 *Deus est vltimus finis, in latitudine entium.*

29 *Finis vltimus, in homine, datur etiam secundum carnem, vt sũt diuitiæ, gloria, honor, &c.*



DE EODEM FINE HVMANARVM OPERATIONVM

Secundum Ariſt: 1. Ehic.

Caput XXI.



VO videbimus. 1. Probabitur, quod in rebus hu-
1 manis, eſt aliquis finis, qui habet rationem boni, & aliquis, qui habet ratioñe melioris, & aliquis, qui habet rationem optimi boni; & eſt vltimus, ad quem
2 ordinantur omnes alij fines, & ipſe non ordinatur ad vlteriorem, ſed eſt terminatiuus omnis deſiderij, & in eo ſolo quieſcit humanus affectus, & dicitur felicitas. 2. Probabitur, opportunum eſſe homini, cognoſcere talem vltimum finem, & ad ſcientiam moralem ſpectare de tali fine conſiderare.

§. 1. *In operationibus humanis dari aliquem finem bonum.*

Quod in rebus humanis, detur aliquis finis bonus, ſic probatur, ſecundũ
3 Ariſt: In omni actione humana, quæ procedit, ex voluntate, & ratione præcognoſcente, homo operatur, aut ex arte; aut ex doctrina, aut ex electione, aut ex actu, ideſt exeqendo electioñe factam; ſed ars omnis, & omnis doctrina, & omnis electio, & omnis actus executiuus electionis, bonum quoddam appetere videntur, vt finem, quẽ intendunt acquirere, ergo in actionibus humanis datur aliquis finis, qui habet rationem boni, aliter homo numquam, aut vanè operaretur: finis enim mouet agentem: Maior quidem ſic manife-
4 ſtatur. In homine duo ſunt principia, ex quibus operatur, vt homo: ſcilicet intellectus, & appetitus intellectualis, qui dicitur voluntas. Intellectus autem diuiditur in practicum, & ſpeculatiuum, & in vo
5 luntate ponitur electio, & executio electionis imperata à voluntate. Cum igitur, in homine operante, vt homo eſt, & non vt ens eſt, nec vt animal eſt, non ſint plura principia, quibus operatur, quàm intellectus, & voluntas, & in intellectu practico ponatur ars, & in
6 ſpeculatiuo doctrina, ideſt omnis ſcientia, quæ non ordinatur ad
7 opus, & in voluntate electio, & eius executio, ſequitur quod in omni actione humana, homo operatur, aut arte, aut doctrina, aut

electione , aut exequendo electionem factam.

Non facit Arist: hic mentionem de prudentia , secundum quam
8 debet homo semper operari, cum sit respectiua finis , quia sufficit
mentio de electione , cum prudentia sit directiua electionis.

Minorem manifestat Arist:ex descriptione boni,ab antiquis con-
9 corditer tradita,dicentibus;Bonum est,quod omnia appetũt, idest
quæcumque appetentia appetunt aliquid, appetunt illud,vt bonũ;
& operantur, vt illud, quod reputant, & appetunt bonum, conse-
quantur.Nec obstat,quod appetantur etiam mala, quia ea appetũ-
tur,vt apprehensa,pro bonis,& hoc ex imaginatione, & vehemen-
ti passione insurgente; sicut qui, ex magna tristitia, interficit se ip-
sum: nullus enim respiciens ad malum, vt malum est, operatur.

Aduertatur, quod hic non describitur aliquid vnum determi-
natum bonum,quod appetatur ab omnibus; Hoc enim est summũ
10 bonum, prout omnes naturaliter appetunt esse fęlices; sed hic de-
scribit Arist: bonum communiter sumptum,idest bonum,vt bonũ
est,quod est perfectiuum appetitus,& ideò omne appetens appetit
bonum,vt sui perfectiuum.

Aduertatur iterum,quod ly (omnia) verificatur pro omni agen-
11 te voluntario, & pro omni ente actu. Nam ad omne ens actu se-
quitur quædam inclinatio ad aliquod sui perfectiuum, & conser-
uatiuum , & ideò in omni ente actu datur appetitus naturalis. In
12 animalibus autem datur,& naturalis,& sensitiuus. In homine verò
13 datur naturalis,sensitiuus,& rationalis.Differentia est in hoc,quod
14 omne appetens appetitu naturali, non appetit nisi id,quod est verè
bonum. Tendit enim in illud, non vt præcognitum ab ipso, sed vt
directum à primo cognoscente,qui est author Naturæ, in quo,nec
in eius intelligentia potest esse error. Appetens autem appetitu sen-
sitiuo, & rationali, potest appetere,& verè bonum,& existimatum
bonum,licet non sit verè bonum.Nam appetitus sensitiuus,& intel
lectiuus sequuntur cognitionem sensus,& intellectus in nobis,quæ
possunt esse cum errore: & ideò homo multoties appetit, quod nõ
deberet appetere.

§.2. In agibilibus ab homine datur vnus finis altero melior secundum Arist:

Actiones

Actiones humanæ sunt in duplici differentia: Quædam sunt fines operā-
15 tis, ita quod post operationem, nullum aliud remaneat operandum,
16 sicut sunt actiones sensuum, vt videre, audire, equitare, &c. Quædā
autem non sunt fines operantis, sed ordinantur ad operationem
alicuius alterius operandi, vt in arte ædificatiua, ædificatio non est
finis, sed domus ædificanda, vel ædificata.

Ex his arguitur sic. Quando agens voluntarium ordinat ope-
rationem ad aliquod operatum operandum, vt ad finem, vt in exē-
17 plo posito de ædificante, nobilius est operatum ipsa operatione, nō
enim agit propter operationem, sed propter operatum, quo produ-
cto quiescit, ergo operatum est melius ipsa operatione, & cum ope-
ratum sit finis, sequitur quod in humanis, non solum datur finis,
18 qui habet rationem boni, sed etiam finis, qui habet rationem me-
lioris. Desiderabilius est enim operatum operanti, ipsa operatione,
vt patet, ergo, &c.

Prçterea diuersæ artes humanæ diuersos habent fines, alius est
enim finis medendi, alius artis ædificandi, &c. vt patet: & inter ar-
tes humanas, quædam sunt subordinatæ, ita quod vna deseruit alte-
ri, & omnes respiciunt vnam supremam, vt principalem, & archi-
19 tectonicam, ad quam omnes præcedentes ordinantur, quod patet
exemplo. Ars frænefactiua ordinatur ad artem equitandi, ars
equitandi, ad artem militandi. Sicut autem istæ artes subordinatæ
sunt, sic & fines earum: & sicut subsequens est nobilior præceden-
20 te, & vltima est nobilissima inter omnes sibi deseruientes, sic se
habet in finibus earum. Nam finis artis equitandi, est nobilior fine
artis frænefactiuæ, & finis artis militaris est nobilior fine vtriusque
artis præcedentis: Finis enim artis militaris est Victoria, & Pax in
dominio, quæ quod sit nobilior, patet ex eo, quod artes prçceden-
tes, & finis earum quæruntur propter victoriam, & non ē conuerso,
ergo manifestum est, in humanis, nō solum dari finem bonum, sed
etiam meliorem altero.

§. 3. *In humanis datur vnus vltimus, & optimus finis, secundum Arist.*

Finis non ordinatus ad vlteriorem finem, sed ad quem alij fines ordinan-
21 tur, est vltimus, & optimus. Hæc patet, quoniam si non ordinatur
ad

ad vlteriorem finem, vltra ipsum non est finis, ergo est vltimus: &
si omnes ordinantur ad ipsum, est optimus. Nam dictum est supra,
quod omnis finis est bonus, & in finibus subordinatis, vlterior est
22 melior, ergo vltimus est optimus, eo quod in eo quiescit desideriũ
ordinatè appetentis. Sed in rebus humanis, datur vnus finis, non
ordinatus ad vlteriorem finem, & ad quem omnes alij ordinantur,
23 ergo datur vnus, & vltimus, & optimus finis, qui dicitur felicitas.
Minor sic probatur. Si non datur, in rebus humanis, vnus finis, non
ordinatus ad vlteriorẽ finem, & ad quem omnes alij fines ordinantur,
ergo quocumque fine dato, est dabilis vlterior, in infinitum, &
24 sic erit processus in infinitum, in finibus desideratis ab homine. Sed
hoc est inconueniens, & impossibile, ex hoc enim sequeretur, desiderium
naturale hominis, quo naturaliter desiderat consequi finẽ,
& quietari in eo esse vanum, & frustratorium, quod est inconueniens.
Nam desideriũ naturale est inclinatio insita rei, ex ordinatio-
25 ne primi mouentis, quæ non potest frustrari. Quod autem sequatur,
tale desiderium hominis esse vanum, patet, quia si est processus in
infinitum, in finibus desideratis, ab homine, nunquã posset consequi
fines omnes desideratos, aliter daretur vltimus, quod repugnat
processui in infinitum, sed frustra, & vanè quis desiderat id, quod
non potest consequi, ergo, si in finibus, desideratis ab homine, est
processus in infinitum, desiderium hominis, desiderantis finem, &
desiderantis quietari in fine, esset vanum, & frustra. Cum igitur naturale
desiderium non sit vanum, concedendum est in rebus humanis,
dari finem bonum, & meliorem, & optimum, & hunc esse vlti-
26 mum, in cuius acquisitione quietatur vis desideratiua, & non in
alio.

Pro euidentia huius rationis aduertantur duo. 1. quod finis vlti-
27 mus est duplex, scilicèt vltimus in latitudine entium, & vltimus in
28 ordinatione actionum humanarum: primus est Deus gloriosus, de
quo loquutus est Arist: in lib. 12. Metaph. quod omnia entia ordinãtur
ad ipsum, sicut exercitus ad Ducem, & dicitur esse causa finalis,
& conseruatiua, & effectiua omnium entium. 2. est ad quem acquirendum
dirigit homo omnes actiones suas humanas, idest ex voluntate,
procedentes, & est illud, quod vnusquisque reputat sibi
29 summum bonum, siue sit honor. siue diuitiæ, siue dominium, &c.
Arist: non intendit hic de vltimo fine, primo modo, quoniam, quod

hominis

hominis felicitas consistat in Deo, Clarè viso, vt ponit Theologus, non est cognitum, lumine naturali; Sed fide, & prætereà Arist: non intendit de vltimo fine, nisi acquisibili, ab homine in hac Vita, intendit autem de 2.

SVMMARIOLA.

1 *Finem necessariò cognoscendum ab homine.*

2 *Vltimum finem esse illum, ad quem homo dirigit vitam suam.*

3 *Vltimum finem per aliquam scientiam cognoscendum.*

4 *Fines scientiarum superiorum sunt meliores finibus scientiarum subministrantium.*

5 *De optimo fine considerationem spectare ad scientiam supremã.*

6 *Politicam inter practicas principalissimã esse, & ad eam spectare vltimi finis cognitionem.*

7 *De ratione scientiæ principalissimæ, duo sunt.*

8 *Politicã præcipere multis scientijs practicis.*

9 *Libri continentes turpia debent ex Ciuitate expelli, vel igni tradi, ne corrumpant bonos mores etiam, secundum Arist:*

10 *Politicam versari circa hominem voluntariè operantem.*

11 *Politicam vti alijs scientijs inferioribus ad suum finem.*

12 *Politicæ conuenire duas conditiones scientiæ principalissimę, & sic ad eam spectare considerationem de optimo fine.*

13 *Politicæ finis est maximum bonũ.*

14 *Bonum quanto cõmunius, tanto diuinius, propter similitudinem ad Deum.*

15 *Melius esse procurare bonũ commune, quàm particulare.*

16 *Metaphysica est nobilissima scientiarum, considerat enim bonum Vniuersi, quod est Deus.*

OPPORTVNVM ESSE HOMINI COGNOSCERE

Talem vltimum finem, & ad Moralem spectare considerationem de eo secundum Arist: 1. Ethic:

Caput XXII.

1 IN principio præcedentis Capitis duo proposuimus discutienda. 1. discussum est. Restat secundum, iuxta rubricam positam. Tria hic agenda sunt. 1. Probandum, cognitionem vltimi, & optimi finis

finis, eſſe neceſſariam homini. 2. Hanc cognitionem ſpectare ad ſcientiam, quæ inter practicas, eſt principaliſſima. 3. Talem ſcientiam eſſe ſcientiam Politicam, ex conſequenti ad eam pertinere conſiderationem de vltimo, & optimo fine..

§. 1. *Cognitio vltimi, & optimi finis eſt neceſſaria homini.*

Probatur ſic, ſecundum Ariſt: finis, ad quem dirigere debet homo totam
2 vitam ſuam, & omnes actiones ſuas, vt conſequatur eum, modo, quo poteſt, neceſſariò eſt cognoſcendus ab homine. Hæc patet: quia niſi cognoſceretur, vanè, & in incertum dirigeret homo Vitã ſuam, ad illum, ſicut ſagittator, niſi videret ſignum, ad quod dirigit ſagittam, vanè dirigeret eam, nec pro certo attingeret ſignum, niſi fortè, caſu. Sed finis vltimus, & optimus eſt ille, ad quem homo totam Vitam ſuam dirigit, vt eum conſequatur. Nam omnis homo ex propoſito operans, omnem actionem ſuam dirigit in illud, quod proponit ſibi, vt ſummum bonum, & hoc, apud ipſum, eſt vltimus, & optimus finis, ergo neceſſe eſt homini, per aliquam ſcientiam,
3 ſiue ſpeculatiuam, ſiue practicam, cognoſcere quid, & in quo conſiſtat vltimus, & optimus finis, in rebus humanis.

§. 2. *Vltimi finis notitiam ad omnium ſupremam, & ſic ad Politicam ſpectare.*

Probatur ſic, ſecundum Ariſt: Fines ſcientiarum ſuperiorum ſunt melio-
4 res, finibus ſcientiarum ſubminiſtrantium, ſicut finis Artis Militaris eſt melior fine Artis frænefactiuæ, ergo finis ſupremæ ſcientiæ practicæ erit optimus. Sicut ergo ad ſcientias ſuperiores, quibus inferiores deſeruiunt, ſpectat conſiderare meliorẽ, & deſiderabilio-
5 rem finem, ſic ad ſcientiam ſupremam, & principaliſſimam ſpectat conſiderare de optimo, & deſideratiſſimo fine, qui poſſit inueniri in rebus humanis. Quæcumque ergo ſcientia probabitur eſſe principaliſſima, ad eam ſpectabit conſideratio de vltimo, & optimo fine.

6 §. 3. *Politicam, inter practicas, principaliſſimam eſſe, & ad eam ſpectare vltimi finis cognitionem.*

Manifeſtatur ſic, ſecundum Ariſt: De ratione ſcientiæ principaliſſimæ, & maximæ,

maximæ, quæ architectonica est, duo sunt. 1. Quod præcipiat scientiæ, vel arti, quæ sub ipsa est, quid debeat operari. 2. quod vtatur arte, vel scientia inferiori ad finem suum consequendum: Sicut ars ędificatoria pręcipit arti latericię, quod faciat lateres, & vtitur lateribus ad constructionem domus. Istæ duæ conditiones conueniunt sciētiæ Politicæ. Nam Politica pręcipit alijs scientijs practicis, quod operentur, & quomodo operari debeant: puta, pręcipit Militari, secundum quam gubernatur exercitus, quod ducat exercitum, & præcipit modum ducendi exercitum. Præcipit Rhetoricæ, quod vtatur sermonibus, & orationibus, in Consilijs, & Iudicijs, & qualibus sermonibus, ac orationibus vtendum sit. Pręcipit ęconomicę, quod regat familiā, & quomodo Pater debeat regere aliter filios, aliter seruos. Similiter pręcipit sciētijs speculatiuis, quātū ad vsū sed nō quantū ad modū, puta, pręcipit Politice quod tales sciētię speculatiuę, vt Matthe: & Diuinę, & naturales addiscātur à Ciuibus, & quo tēpore, & quę non debeant admitti, in Ciuitate, puta, libri Poetarum continentes turpia, aut decantantes iras, & facinora Deorū, ne Ado
9 lescentiū animos corrumpant, sed quantū ad modum non pręcipit. non enim Politica præcipit Geometrę, quod de triangulo concludat habere tres angulos æquales, duobus rectis: licèt enim addiscere, vel non addiscere Geometriam, subijciatur voluntati humanæ, tamen concludere, habere tres de triangulo, non subest voluntati, quia hoc conuenit triangulo ex natura rei. Politica autem non se intromittit in his, quę non sunt voluntaria, cū versetur circa homi-
10 nem voluntariè operantem. Quod autem Politica vtatur alijs scien-
11 tijs inferioribus, ad suum finem, patet ex eo, quod vtitur Militari, & Rhet: & ęcon: ad bonum commune Ciuitatis, ad quod ordinat omnia artificia, quæ sunt in Ciuitate, optimè instituta. Cum igitur
12 conditiones scientię principalissimę, & maximæ, Architectonicè conueniant Politicæ, consequens est, vt consideret de fine vltimo, & optimo rerum humanarum.

Ex his corollariè sequitur, ex intentione Arist: quod quia Politica
13 est scientia principalissima ideò finis suus est maximum, & diuinius bonum, inter omnia bona humana. Hoc autem bonum non est singulare vnius hominis, sed commune Ciuitatis, aut Gentis. Bo-
14 num quanto communius, tanto diuinius, propter similitudinem ad Deum, qui est vniuersalis causa omnis boni, et ideò inquit Arist:

quod si idem est bonum vni homini, et toti Ciuitati, et laudabile, ac amabile est procurare bonum vni homini, melius, et perfectius
15 est procurare bonum toti Ciuitati, et toti Genti, quia diuinius est, ex communicatione. Cum igitur Politica procuret bonum commune ciuitati, aut Genti, meritò ponitur principalissima, inter omnes scientias, quę versantur, circa bonum humanum. Hoc autem non est verum absolutè, sed tantum respectiuè, scilicèt comparata ad reliquas scientias, versantes circa bonum humanum, vt dictum
16 est; Nam Metaphysica, cum in Proëmio Metaph: appelletur sapietia, et Diuina possessio, est dignissima scientiarum. Considerat enim optimum bonum absolutè, quod est bonū Vniuersi, scilicet Deus.

SVMMARIOLA.

1 *Finis vltimus hominis vbi sit positus.*
2 *Finem vltimum formalem esse beatitudinem.*
3 *Beatitudinem esse duplicem.*
 1 Obiectiuam.
 2 Formalem.
4 *Beatitudo obiectiua est Deus.*
5 *Beatitudo formalis, Visio beatifica.*
6 *Beatitudinem non consistere in re creata.*
7 *Res creatæ, vt diuitia, Potentiæ, &c. non sunt finis, sed propter finem.*
8 *Potentia habet respectum ad bonum, & ad malum, & est potius principium actionum, quā finis.*
9 *Beatitudo est bonum perfectū hominis.*
10 *Beatitudinem non consistere in bonis corporis.*
11 *Bona corporis esse ordinata ad animam, vti instrumenta agentis.*
12 *Voluptates, & delectationes corporeę sunt obiecta sensus.*
13 *Beatitudinem constituendam esse in parte nobiliori hominis.*
14 *Beatitudinem non consistere in bonis animæ.*
15 *Beatitudinem consistere in re increata, qui est Deus.*
16 *Beatitudinem consistere etiam in re creata, & in operatione.*
17 *Beatitudinem esse rem creatam, & increatam.*

VBI SIT POSITVS VLTIMVS FINIS HOMINIS, secundum S. Th. 1.2. q.2.

Caput XXIII.


LTIMVS finis formalis hominis est beatitudo. Du-
1 plex est beatitudo: 1. obiectiua, qui est ipsemet Deus.
2 2. formalis, quæ est ipsamet visio beatifica. Ratio est,
3 quia beatitudo non potest consistere in re certa. Nã
4 res creata, vel cõsistit in bonis externis, vti in diuitijs,
5 potentijs, &c. & in istis non potest esse beatitudo, quia diuitiæ, &
6 aliæ res, &c. inseruiunt conseruationi Vitæ humanæ, ergo non sunt
7 finis hominis, sed propter finem : Honor, gloria, fama, & alia, &c.
8 pendent à voluntate aliena, ergo non stabilia. Beatitudo debet esse
stabilis. Potentia habet respectum ad bonum, & ad malum, & est
9 potius principium actionum, quam finis. Beatitudo est bonum, per-
10 fectum hominis, & vltimus finis. Non in bonis corporis consistit
11 beatitudo, quia ista sunt ordinata ad animam, vti instrumentum
12 agentis principalis, sed vltimus finis non est ordinatus alicubi. Vo-
luptates, & delectationes corporeę sunt obiecta sensus, sed beatitu-
13. do debet constitui in parte nobiliori hominis, quæ est anima. Neq;
14 consistit in bonis animæ, vti sunt potentiæ, actus, & habitus, quia
istæ res sunt bona participata, & tanquam inhærentia ipsi animæ, &
vti accidentia illius, sed beatitudo debet esse bonum perfectum, &
completum. Concludatur ergo istud bonum perfectum consistere
15 in re increata, qui est solus Deus. Hęc quoad beatitudinem obiecti-
uam; quoad verò beatitudinem formalem secundæ speciei, quæ est
ipsa visio beatifica, dicamus consistere in aliqua re creata, & in ope-
ratione hominis. Probatur primo, Nam beatitudo formalis est con-
16 secutio illius rei, quæ est beatitudo obiectiua, sed ista consecutio est
ens, existens in homine, & ideò creatum, & productum in tempore
2. Probatur quod sit operatio hominis : Nam beatitudo est
vltima perfectio nostra, quia, post illam, nihil remanet, quo possi-
mus magis perfectionari. S. Th: hic. Dicatur ergo beatitudinem
17 esse rem creatam, & increatam. Increata, quatenus est Deus, qui fa-
cit nos beatos, & potest perfectè satiare voluntatem nostram. Crea-

ta, quatenus importat adeptionem summi boni, & actum animæ nostræ præstantissimum, quo videmus, & possidemus Deum.

SVMMARIOLA.

1 *Duo media ad consequendam felicitatem assignari.*
2 *Medium intrinsecum, & extrinsecum.*
3 *Lumen Vultus Diuini, signatum in cordibus nostris esse regulã.*
4 *Preceptorum Diuinorum obseruãtiam esse alteram regulam.*

QVÆ SINT MEDIA AD CONSEQVENDVM VLTIMVM FINEM.

Caput XXIV.

DEVS in creatione hominis, intendens illum facere beatum, duas regulas, tanquam media, ad felicitatem con-
1 sequendam, illi constituit. Vnam intrinsecam, extrin-
2 secam alteram. Intrinseca est illud lumen Vultus Diui-
3 ui, signatum, in mentibus nostris, & est illa cognitio synderesis, & conscientiæ, quæ dicitur recta ratio humanarum actionũ. Extrinseca est promulgatio suorum præceptorum, & legum Diuinarum, & humanarum.

Obseruantia dictarum duarum regularum, Studium bonorum
4 operum, exercitium Virtutum, actualis practica Moralis Christianę, & auxilium supernaturale Dei, promittunt securam consecutionem beatitudinis, & sic vltimi finis hominis.

SVMMARIOLA.

1 *Finem Moralis esse felicitatem. Medium, virtutem.*
2 *Moralem in exercitio Virtutum occupari.*
3 *Naturam, in se, esse nudam, & mendicam.*
4 *Moralis cogitur acquirere virtutem lacrymis, laboribus, vigilijs, &c.*
5 *Habituum virtuosorum, alij sunt inhęrentes animæ, vt dona Dei alij acquisiti.*
6 *Infusi habitus qui dicantur.*
7 *Habitus bonos acquirẽdos esse vsu*

&

& exercitatione.

8 *Moralem consistere in actione, sed non in contemplatione.*

9 *Felicitatem esse vltimum finem.*

10 *Delectamenta honesta conficere vltimum numerum, quo complectur felicitas moralis.*

11 *Operationes virtuosas reddere hominem felicem; in societate Ciuili.*

12 *Virtutem moralem producere aliquo modo felicitatem.*

DE FINE ET FELICITATE MORALI.

Caput XXV.



FINIS Moralis est felicitas. Mediũ est virtus, ergo in cõ-
1 sideratione, & exercitio Virtutũ occupatur Moralis.
2 Laborat maximè anima moralis in acquisitione ha-
3 bituum virtuosorũ. Nam si consideretur natura in se
4 ipsa apparet nuda, & mẽdica, & ideò coacta lacrymis,
laboribus, vigilijs, & actionibus replicatis, ad se induẽdum. Habituũ
5 virtuosorum alij sunt inhęrentes animę, vti dona Dei, alij acquisiti.
6 Primi dicuntur infusi, cum solam benificentiam Diuinam habeant
authorem. 2. appellati, acquisiti, superant conditionem huma-
nam, sed cum non pottentur ab vtero Materno, ita prouidentia
Diuina, quæ suauiter omnia disponit, bono vsui, & rationi, curam
imposuit illos acquirendi.

Ideò qui vsu, & exercitatione acquirit sibi istos bonos habitus,
habebit ab arte, à studio, & à laboribus, sed nõ à natura, ornamenta
7 animi. Quare legislatores omnem sapientiam illorum applicuerũt,
in promulgationibus legum, ad hoc, vt Populi assuescerent ad benè
operandum, & lex inseruiret pro regula, & regula pro Duce, ad at-
tingendum finem, intentum felicitatis Politicæ, & Moralis.

Moralis non consistit in contemplatione, sed vti fęcunda vtilita-
tis, post cognitionem boni ad operationem se allicit. Operatio dat
8 vitam, & mortem Virtuti morali. Dat ei vitam, quia multoties re-
plicata congerit, intra animam, corpus, quod ipsi causat substantiã,
& quia actibus regulatis, eam producit, & nutrit. Dat ei mortem,
quia excessus, vel defectus eneruat, aut opprimit. In medio quiescit
virtus, cum sit situs, liber, à violentia, situs immunis à ruina, & à pe-
riculis.

Fęlici-

Fęlicitas est vltimus finis moralis. Ad illam dirigit operationes.
9 Virtus, ad praxim, reducta, & non intellectualis, est illa quæ post
compositam animam, iuncta, actu, operationibus virtuosis, reddit
felicem, & beatam, eamdem animam.

Delectamenta, sed legitima, honesta, & non caduca, conficiunt
vltimum numerum, quo perficitur felicitas moralis: legitima, quia
10 quod opponitur legi est etiam rationi inimicum, Honesta, quia om
nia alia, vel sunt violenta, vel sunt laboriosa, vel sunt fugacia, & ideò
non digna, quod, pro illis, laboretur. Non caduca, quia non essent
filij virtutis, quæ habet suos effectus immortales.

Felicitas, Status in vnione omnium bonorum perfectus, quæ nó
ordinatur ad alios, non cognoscit dependentiam à bono extero, ter
reno, suauiter se immitens, in visceribus animæ, se ipsam, se ipsa sa-
tisfacit, et nutriendo nectare, animam, abhoret, quasi res viles, om-
nes sordes humanas; Operationes virtuosę reddunt hominem fe-
11 licem in societate Ciuili. Potest virtuose operari homo, dum viuit,
ergo, viuendo, potest frui statu tranquillo.

Inter instabilitates istarum rerum mortalium, nihil aliud immu-
tabile habetur, quam virtus. Ista quando est virilis, et perfecta, eam
affert victoriam de omnibus, quæ sibi possunt opponi, et pugnam
facere. Hæc facta Patrimonium animæ, non potest prosterni à for-
tuna, et ideò moralis virtuosè operans, erit semper constans, imper-
turbabilis, firmus, rectus, bonus, immobilis, compositus, et prudens,
12 Inuenitur ergo felicitas moralis, sed imperfecta, Perfecta namque,
in Deo tantum, vti infra dicetur.

S V M M A R I O L A.

1 *Felicitatem non reperiri in delectamentis.*
2 *Oblectamentum non dari, sine aflictione.*
3 *Oblectamenti finem esse horrorem.*
4 *Voluptates habere, in earum medio, abyssos.*
5 *Voluptas est cibus sensus.*
6 *Sensus est anima brutorum.*
7 *Voluptas est propria brutorum.*
8 *Ab Oblectamentis, si separetur honestas, fit putredo.*
9 *Libido eneruat.*
10 *Luxus deuorat.*
11 *Gula destrnit.*
12 *Luxus pauperascit.*
13 *Voluptates omnes, laruę.*
14 *Felicitas est bonum ęternum.*
15 *Fęlicitatem non inueniri, in hominibus.*

16 *Tri-*

16 Tributum virtutis est honor.
17 Honor pendet ab alijs.
18 Ambitio coarctat honorem.
19 Ambitionem esse vitium.
20 Honor tribuendus Deo, & humanis Potentijs.
21 Deus etiam non veneratus, est Deus.
22 Princeps, etiam non reueritus, est Princeps.
23 Vitas tres esse, in humanis.
  1 Voluptuosam.
  2 Ciuilem.
  3 Speculatiuam.
24 Felicitas est in felice, nam eum perficit.
25 Honor non est in honorato, sed in honorante, nam honor est exhibitio reuerentiae.
26 Honor quid.
27 Felicitatem non existere in fama, & gloria.
28 Fama quid.
29 Fama vnde proueniat.
30 Passio, vti motus violentus, mendax.
31 Lucrum, artifex auarus.
32 Ars, ministra fraudis.
33 Felitatem non dari, in diuitijs.
34 Aurum, tyranus cordium.
35 Diuitiae sunt ancillę hominis.
36 Diuitiae insatiabiles.
37 Auari credūt se felices in pecunijs.
38 Diuitem posse quicquid vult.
39 Diuitiae non propter se, sed propter aliud.
40 Diuitias esse instrumenta Vitae.
41 Felicitatem non haberi in potentia.
42 Potentia est vestigium Dei.
43 Potentia ad magnas altitudines defert.
44 Potentem nasci esse principium felicitatis.
45 Fortuna concutit etiam Potentes.
46 Electio aliquando est argumentū Virtutis.
47 Ad felicitatē ordinamur per principia interna.
48 In electione, casus, fata, Passio lucrum, sepius impulsum ferūt.
49 Casus, abortus arbitrij, operantis, excludit consilium, & meritū.
50 Fatum cur.
51 Vis tyranna meriti, & arbitrij.
52 Potentis status, per vim euectus, infelix.
53 Felicitatem non in bonis corporis.
54 Esse corporis ordinari ad animā.
55 In aliquibus bonis corporis, hominem superari à brutis.
56 Homo non est maius bonum, neque vltimus finis.
57 Conseruatio hominis non est vltimum obiectum voluntatis humanae.
58 Felicitatem non in aliquo bono animae.
59 Felicitas in cuius sinu.
60 Anima non est summum bonum.
61 Felicitas requirit vnionem omniū bonorum.

62 Fe-

62 *Felicitatem non in cognitione scientiarum speculatiuarum.* 63 *Felicitatem tamen aliqualẽ dari in speculatione.*

DE FELICITATE, PER NEGATIONEM, IN ordine ad vltimum finem hominis.

Caput XXVI.



FELICITATEM non reperiri in delectamentis. Non datur oblectamentum sine aliqua afflictione. Finis oblectamenti est horror. Voluptates habent, in earum medio, abyssos. Voluptas est cibus sensus. Sensus est anima brutorum, ergo voluptas est propria brutorum. Si separetur honestas ab oblectationibus, fit putredo. Libido eneruat. Ludus deuorat. Gula destruit. Luxus pauperascit; Vnde omnes voluptates laruæ sunt. Felicitas est bonum æternum, & persistens, ergo in voluptatibus non reperitur. Felicitas, secundum Arist. est propria naturæ intellectualis, ergo non consistit in his, quæ sunt communia nobis, & brutis.

Non in honoribus. Tributum Virtutis est honor. Auctoritas eum in seruitute detinet. Eminentia illum debitorem reputat, ergo in eo non felicitas. Nam in nobis, inhęrere debet illud, quod nos felices facturum est. Honor attendit eleemosinam à liberalitate aliena. Ista est fallax. Ambitio in angustiam redigit honorem, quippe quæ illum semper persequitur. Ideò modò se induit simulata humilitate, modò adulterata Virtute, sed si ambitio est vitium, ne faciamus vitiosum felicem, dicendum est felicitatẽ ab honore longè abesse. Deo, & humanis Potentijs homines honorem præstant, ergo si Deus, etiam non veneratus est Deus, & Princeps, etiam non reueritus est Princeps, apparet, neminẽ propter honorẽ, esse felicem. Tres sunt Vitæ in humanis, secundum Arist: 1. Voluptuosa, quæ deseruit Veneri, & gulæ. 2. Ciuilis, quæ constituit finem in exercitio laudabilium operum. 3. Speculatiua quæ consistit in speculatione veritatis. Homines eleuati ingenij, relicta vita voluptuosa, eligunt Ciuilem, & isti statuunt fęlicitatem in honoribus, quasi iste sit finis totius vitæ Ciuilis. Sed hæc opinio ex Arist. dupliciter reprobatur.

Primo

Primo sic. Felicitas est, in felice, perficit enim felicem: Sed honor
24 non est in honorato, sed in honorante, nam honor est exhibitio
25 reuerentiæ alicui, in testimonium excellentis boni, ergo, &c. 2. sic
26 Felicitas non quęritur propter aliud, quoniam est vltimus, & optimus finis, in quo terminatur omne desiderium. Sed honor quæritur propter aliud, nam quęrunt homines honorari, vt apud illos, & alios firmetur opinio, quod sunt boni, & maximè desiderant honorari propter Virtutem, per quam homo efficitur bonus, ergo honor
27 ordinatur ad aliud, ex consequenti non stat felicitas, in honore.

Non in fama, & gloria. Fama bona est vox, ex pluribus vocibus
28 composita, confecta laudibus, in gratiam alicuius eminentię. Illius
29 principium aliquando à passione, aliquando à lucro, aliquando ab arte, aliquando ab operibus insignibus deriuat. Passio tamquam
30 motus violentus, habet semper mixturam mendaciorum. Lucrum
31 artifex auarus, qui non cudit vnquam aurum purum, expendit semper monetas ligatas; Non porrigit res, quales sunt, sed quales
32 desiderat, vel fingat. Ars ministra fraudis, & augumenti, omnia operatur, omnia agit, aut ad deludendum, aut ad acquirendum. Passio, lucrum, ars, infelicia principia, & non digna, vt eis tribuatur gloria felicitatis, quæ importat statum, omnium rerum aggregatione;
33 perfectum.

Non in diuitijs. Aurum, tyrannus cordium, potius ad catenam,
34 quàm ad felicitatem perducit hominem. Diuitiæ sunt ancillę homi-
35 nis: Nam cibus, vestitus, Palatia, Villæ, & omnia alia, quæ diuitias pertingunt comprehensis etiam metallis aureis, & argenteis, inseruiunt, vti effectus artis, facultatibus naturalibus, & purę conseruationi Corporis: & quia omnia ista sunt fragilia, caduca, & quæ in momento euanescunt, & ab inopinatis euentibus nobis rapiuntur,
36 non possunt esse genitrices felicitatis. Numquam satiant voluntatem nostram, immò magis exagitant, & excruciant. Felicitas debet nos reddere omninò satiatos.

Auari constituentes felicitatem, in pecuniæ thesauris, dicunt, Di-
37 uitem posse quicquid vult, & pecuniæ obedire omnia, ideò felicem.
38 Sed dupliciter confutatur eorum opinio. 1. Contingit aliquem fieri diuitem violenter, sed nullus fit felix violenter, ergo, &c. 2. quia di-
39 uitiæ non quęruntur propter se, sed propter aliud, sunt enim instru-
40 menta humanę Vitę, sed felicitas non quęritur propter aliud immò

omnia alia propter ipsam, cum sit vltimus finis, ergo non potest
41 consistere in diuitijs.

Non in Potentia; Vestigium Dei est Potentia; defert hominem
42 ad magnas altitudines, sed istæ circundantur præcipitijs, periculis,
43 excidijs, & ruinis. Potens est talis, vel ex natiuitate, vel ex electione,
44 vel ex coactione. Nasci potentem est principium felicitatis, ergo
45 non felicitas, quę est vltimum, quod assequimur. Fortuna concutit
46 etiam Potentes, & sępe ad præcipitia allidit. Electio aliquando est
argumentum virtutis electi, sed tollit ista electio, Potentiæ gloriam
felicitatis: nam felicitas, ad quam nos per naturam ordinati sumus à
47 principijs internis, & non externis attenditur. Qui eligit, potest
48 deponere; ecce timor, qui reddit infelicem. In electione casus, fata,
49 Passio, & lucrum sępius impulsum ferunt. Casus abortus arbitrij,
50 operantis excludit consilium, & meritum. Fata à prouidentia
51 Diuina deriuantia, non semper permittunt res, quæ faciant basem
Imperio, sed vel formositatem, vel varietatem in natura, vel supplicum Mundo. Vis, tyranna meriti, & arbitrij, facit etiam vim sibi
ipsi, aut compressa moritur, aut eneruata languescit, damnosa mul-
52 tis, insidiata à multis, inimica naturę. Status Potentis, per vim, in-
53 feliciter coronatus, aculeis semper subditus, insidijs, & excidijs,
ergo infelix.

Non in bonis Corporis. Esse Corporis ordinatur ad animam,
54 & in multis bonis Corporis superamur à brutis, ergo in bonis Cor-
55 poris non est collocata felicitas. Homo non est maius bonũ, neque
56 vltimus finis. Conseruatio hominis non est vltimum obiectum vo-
57 luntatis humanę. Beatitudo ad vltimum finem dirigit, & sic ad
58 Deum. S. Tho: 1. 2. q. 2. ar. 5.

Non in aliquo bono animæ. S. Thom: 1. 2. q. 2. ar: 7. felicitas
59 est in sinu eius rei, quæ ex se ipsa est vti finis supremus. Qui huius
60 rei dominium conquirit, habet verum titulum beatitudinis. Vnde
anima, quæ non est summum bonum, inter bona, neque vltimus
finis inter fines, non potest esse illa felicitas, ob quam ipsa anima
anhelat. Ad animam spectat possessio felicitatis, ergo externum est
61 illud obiectum, quod potest beare voluntatem. Ad componendam
felicitatem, requiritur vnio omnium bonorum. Vnicum bonum
deficiens, illam destruit. Vnum solum desiderium, non completum,
62 reddit mentem non beatam.

Non

Non in cognitione scientiarum speculatiuarum. Beatitudo hominis perfecta non consistit in speculatione scientiarum speculatiuarum, quia illæ habentur per sensus, & nō nisi imperfectè. Datur
63 tamen aliqualis beatitudo imperfecta, in hac vita, in consideratione illarum, & quomodo hoc intelligatur vid: est in. S. Tho: 1. 2. q. 3. ar: 6.

S V M M A R I O L A.

1 *Summum bonum consistere in operationibus animæ.*

2 *In operationibus animæ consistere felicitatem.*

3 *Operationes important motum, & motus passionem.*

4 *Operationes Virtuosas esse media, & non finem felicitatis.*

5 *Omne ens creatum confitetur dependentiam à Deo.*

6 *Esse humanum est magnum stamē Diuinitatis.*

7 *Vita est magnus radius Diuinitatis.*

8 *Ratio est simulacrum Dei, quia Deus est summa ratio.*

9 *Deus est, in essentia, felicitas.*

10 *Operationes Dei sunt idem cum esse Diuino.*

11 *Non dari Iustitiam in homine, cum æquilibrio perfecto.*

12 *Omne agens, agendo, repatitur.*

13 *Animæ bona posse componere, sed imperfectè, congregationem bonorum.*

14 *Virtutes omnes simul iunctas, inseruire animæ, vti vehicula ad felicitatem.*

DE ERRORE ARIST: ET SEQVACIVM, QVI Constituerunt felicitatem in bonis Animæ.

Caput XXVII.

1 ERRAVIT Aristoteles, & alij Philosopi Gentiles, dū
2 dixerunt, summum bonum cuiuslibet esse operationes Animæ, & ideò consistere felicitatem hominis, in actionibus, quæ sint propriæ hominis, in quo ratio dominetur sensui, & qui operando habeat imperium virtutum, actionibus replicatis, & qui gloriosè vincat omnem aliū,
3 in operando, & absolutè dominetur sibi ipsi.

Nam operationes important motum, & motus passionem, ergo

operationes virtuosæ erunt medium, & non finis. Finis erit Deus
4 ipse, quia ipse solus potest quietare, & satiare cor nostrum. Omne
5 ens creatum confitetur dependentiam a Deo. Esse humanum est
6 magnum stamen Diuinitatis. Vita magnus radius. Ratio imago
7 Dei ergo omnis lingua confiteatur omnia à Deo prouenire. Deus
8 est felicitas in essentia, quia operationes Dei sunt idem, cum esse
9 Diuino, neque in subiecto externo sed, se ipso, in se ipso, perfruitur,
10 ergo extra essentiam felicitatis, non inuenietur felicitas, nisi fugax.

Non datur virtus Iustitiæ, in homine, quæ importet æquilibrium
perfectum. Non datar Prudentia; sine aliquali infirmitate animæ.
11 Non datur fortitudo absque eo quod fortis non repatiatur. Nam
12 omne agens, agendo, repatitur. Vnde non quiescit fortis, vnde non
felix. Non datur Temperantia sine aliquali intemperantia. Appetitus vitalis cum habeat cognitionem, pro Duce, habet bonum vniuersale, pro centro, ergo bona animæ cum non possint componere
13 omnimodam congregationem omnium bonorum, nisi imperfectam, non poterunt plenè satisfacere voluntati humanæ. Omnes virtutes simul iunctæ, inseruiunt animæ, vti vehicula ad felicitatē, non vti finis.

SVMMARIOLA.

1 *Bonum in natura habere conditionem finis.*

2 *A fine solo electio.*

3 *Finis sublimior est, qui vicinior vltimo fini.*

4 *Finis vltimus est ex se ipso amabilis.*

5 *Felicitatem esse vltimum finem, & optimum bonum.*

6 *Felicitatem facere vbiq; vnionem omnium bonorum.*

7 *Deum solum esse vltimum finem animæ.*

8 *Deum solum esse summum bonum.*

9 *Deum solum quietare perfectè animam.*

10 *Felicem non esse illum; cui restat aliquid quærendum.*

11 *Pacationem perfectam non dari, in hac Vita.*

12 *Felicitatem non dari in hoc sæculo*

13 *Intellectus nostri obiectū est quidditas rei.*

14 *Deum cognoscimus ex effectibus visis.*

15 *Beatitudinem sitam esse, in Visione Diuinæ essentiæ.*

DE ESSENTIA, ET NATVRA FELICITATIS.

Caput XXVIII.



QVOD est bonum, in natura, habet conditionem fi-
1 nis: Nam à fine solo electio. Sed quia non omnes
2 actiones habēt idem obiectum, ideo inter sese diui-
sę, & distractę, diuidunt etiam finem, & bonum, &
cum finis sit imperfectus, non potest facere beatum.
3 Finis sublimior erit ille, qui magis adhęrebit vltimo fini. Vltimus
4 finis est ille, qui ex se ipso est amabilis, & non in ordine ad alios, &
cui omnes alij fines sunt tributarij. Vnde felicitas est vltimus finis,
5 & optimum bonum, cui voluntas humana omnem seriem deside-
riorum dirigit, & est illa, quæ facit vnionem omnium bonorum,
6 nobis, amicis, & Patrię, & quæ reddit voluntatē, omninò satisfactā.
7 Deus solus est vltimus finis animæ. Deus solus est summum bonū;
8 Deus solus quietam perfectè reddit animam. Non potest dici per-
9 fectè beatus ille, cui restat aliquid quærendum, aut desiderandum.
10 Sed in hac Vita non datur status perfectę pacationis, ergo beatitu-
11 do, in hac Vita, non datur, sed in solo Deo, qui est in essentia, felici-
12 tas.

Obiectum intellectus nostri est quidditas rei, & essentia, ergo non
13 quiescit eius desiderium, donec quidditatē rei perfectè cognoscat,
14 sed ex effectibus visis, cognoscimus Deum, ergo desideramus eum
intueri, vti authorem omnium hominum, & bonorum; quamquā
ex ratione, & lumine naturali, non appetamus videre Deum, eo mo-
do, quo, per fidem, cognoscimus. Stet ergo conclusio, beatitudinē
15 hominis sitam esse in visione Diuinæ essentię perfectissima, co-
gnoscendo, vel potius cognituri eius quidditatem, in alia Vita, im-
perfectè in hac. S. Th: 1.2.q.3.art.8;

SVMMARIOLA.

1 *Imperij nomen, in moralibus, esse analogum.*
2 *Imperium, in moralibus, quid.*
3 *Imperium esse actum intellectus practici, & non speculatiui.*
4 *Ex parte intellectus tres Virtutes eße necessarias.*

2 Quan-

2 *Quamdam sagacitatẽ, & solertiam.*

3 *Prudentiam executiuam.*

5 *Prudentiam gerere, in nobis, officiũ senatoris.*

6 *Intellectum imperare corpori, imperio seruili, vt Dominus seruo: sed appetitui sensitiuo imperare imperio Politico, & Ciuili, vt Rex Ciui.*

7 *Solertia quid.*

8 *Sagacitas quid.*

9 *Prudentia executiua quid.*

10 *In intellectu practico residere prudentiam.*

11 *Imperare est loqui, & denũtiare, fac hoc.*

12 *Imperare est regere, sed regere est opus sapientiæ.*

13 *Lex est quoddam imperium, sed est lumen, &c.*

14 *Imperium potest reduci ad discursum, & sillogismum.*

15 *Voluntas dicitur regina nostrarum operationum.*

16 *Intellectus dicitur Rex, & Imperator.*

17 *Intellectus absolutè est superior voluntati.*

DE IMPERIO, QVOAD MORALEM, AN SIT Actus intellectus, vel Voluntatis.

Caput XXIX.

1 PRÆMITTITVR, hoc vocabulum (imperium) in materia morali, esse analogum, idest referri ad multiplices significationes: 1. dicitur de illo actu, quo superior imperat subdito. 2 De quocumq; actu voluntatis, vel intellectus à quo deriuetur aliquis alius actus humanus, & secundum istam acceptionem, actus iudicij, sine controuersia, nominatur certum imperium. 3. actus etiam voluntatis, cuius impulsu aliquis alius actus humanus producitur, dicitur imperium. In istis terminis vna Virtus dicitur imperare alteri, quod fit, quando
2 ab actu vnius Virtutis, verb: gr: charitatis; ferimur ad exercitium alterius Virtutis, puta, misericordiæ. 4. Per analogiam, verbum (imperiũ) strictiori modo accipitur, in quantũ est quidam actus humanus imperandi, in se ipso exercitus, veluti quando homo, in se ipso, deliberat aliquid facere: & dicit intra se ipsum, volo hoc facere.

Secundum terminos istius vltimi. 4. modi, quæritur, cuius potentię sit actus imperij, an scil: intellectus, vel voluntatis. Resoluitur,

esse

esse actum intellectus practici, & non speculatiui. Nam ex parte
3 intellectus tres Virtutes sunt necessariæ. 1. bona consultatio medio-
4 rum, qua nobis, & alijs possimus rectè consulere. 2. quædam saga-
5 citas, & solertia, ad benè eligendum media meliora, pro consecutio-
6 ne finis. 3. Prudentia, cuius Officium est, imperare, & præcipere
7 executionem rei deliberatæ. Nam sunt aliqui, qui rectè iudicant,
8 quod faciendũ est sed detenti à quibusdam internis difficultatibus,
9 opus non exequuntur.

In intellectu practico residet prudentia, quæ in nobis, gerit Of-
10 ficium Senatoris, & sicut Senator, in Republica consilijs Rempubli-
cam regit, ita prudentia nobis præscribit, & imperat modum rerum
agibilium. Vnde Arist: dixit, intellectum imperare corpori, impe-
rio seruili; vt imperat Dominus Seruo, sed appetitui sensitiuo im-
perare, ĩperio Politico, & Ciuili, vt imperat Rex Ciui. Probatur etiã
11 hac ratione, Imperare est loqui, & denuntiare, fac hoc, &c. sed
locutio, & enuntiatio est opus intellectus, ergo, &c. Item im-
12 perare, est regere, & gubernare, sed regere est opus sapientiæ iuxta
illud. Per me Reges regnant, & legum conditores iusta decer-
13 nunt, ergo. Item lex naturalis est illud lumen vultus Dei, signatum
in cordibus nostris. Lex est quoddam imperium, & lumen pertinet
ad intellectum, ergo. Item imperium potest reduci, ad discursum,
14 & sillogismũ, nam est veluti quædam conclusio sillogismi practici,
qua concluditur, hoc vel illud faciendum esse, ergo, &c.

Et quamuis dici soleat, Voluntatem esse Reginam nostrarum
15 operationum, debet tamen etiam dici intellectum esse Regem, &
16 Imperatorem, cuius officium est regendi voluntatem, & prescribẽ-
di illi modum rerum agibilium, vel agendarum. Intellectus absolu-
17 tè est superior voluntati, quia illam mouet, imperando, dirigendo,
illuminando; verum tamen est, quod intellectus non regeret, neque
gubernaret, si voluntas, non applicaret, etiam ipsa ad regen. S. Th.
1. 2. q. 17. art. 1. & ibi Medin. & Greg. de Valen.

S V M M A R I O L A.

1 *Electionem distingui ab vsu voluñtatis.*

2 *Electio propriè in quo compleatur.*

3 *Electio est voluntarium praeconsiliatum; vel actus voluntatis pręconsiliatus.*

4 *Electio sonat, duobus propositis, vnius acceptionem.*

5 *Ista quinque videntur esse idem cũ electione, sed non sunt.*

1 Voluntarium.

2 Concupiscentia.

3 Ira.

4 Voluntas.

5 Opinio.

DE ELECTIONE, IN ORDINE AD ACTVM Voluntatis.

Caput XXX.



1 ONGRVIT materia pręsentis capitis, cum praecedenti, vt patet. Electio distinguitur ab vsu voluntatis, nam, & si videatur, quod electio efficax faciendi aliquam rem, sit isdem actus cum vsu voluntatis, vt si ego eligo efficaciter mittere manum ad scribendũ, continuò sequitur opus, & ita videtur isdem actus, vsus voluntatis, cum electione, tamen non est ita, & clarum est, electionem distingui ab vsu, & ideò notandus est iste progressus rationis, & discursus, in rebus agendis. 1. Ægrotus vult sanitatem, quae est simplex volitio finis. 2. vult acquisitionem sanitatis, per media, & ista volitio est intentio finis. 3. Intellectus consultat de medijs conuenientibus. 4. Voluntas eligit vnum medium, prę altero, & in hoc completur ratio electionis. 5. est imperium efficax intellectus, quo dicit, fac
2 hoc, &c. ex quo sequitur vsus voluntatis, & applicatio, ad operandum, si tamen voluntas consequitur finem pręoptatum, fruitio est. S.Th. 1.2.q.60.ar.4.

Electio est voluntarium pręconsiliatum. Vel electio est actus
3 voluntatis praeconsiliatus. Sic electio fit per deliberationem rationis, quod patet ex ipso nomine, sonat enim hoc nomen (electio)
4 duobus propositis, vnius acceptionem, quod vtique non est, sine deliberatione, & iudicio rationis, post consilium factum.

Quinque sunt, quae videntur esse idem cum electione, sed non
5 sunt 1. Voluntarium. 2. Concupiscentia. 4. Ira. 4. Voluntas. 5. Opinio. Vid. Iauellum.

1 *Passio quid.*

2 *Passio in qua parte animę collocetur.*

3 *Appetitiua pars duplex.*
1 *Sensitiua.*
2 *Intellectiua.*

4 *Passionem non esse in voluntate.*

5 *Passionem esse cum transmutatione organi, & pręcipuè cordis.*

6 *Ad omnes passiones sequi delectationem, vel tristitiam.*

7 *Delectationem non fieri sine dilatatione cordis.*

8 *Tristitia fit cum constrictione cordis.*

9 *Passio propriè est in solo appetitu sensitiuo.*

10 *Passiones quot sint, & quomodo distinguantur.*

11 *Appetitus sensitiuus distinguitur per concupissibilem, & irascibilem.*

12 *Appetitus importat inclinationē sequentem formam, vel naturalem, vel apprehensam.*

13 *Appetitus dicitur naturalis, si sequatur formā naturalem. Dicitur sesitiuus, vel intellectiuus si apprehensam.*

14 *Appetitus, quo inclinamur ad cōsequendum bonum apprehensū, & fugiendum malum, dicitur concupiscibilis, cuius obiectum est bonum sensibile absolutè.*

15 *Appetitus, quo mouemur ad resistendum contrarijs, &c. dicitur irascibilis, cuius obiectum est bonum non absolutè, sed vt difficile ad consequendum.*

16 *Passiones sex in concupiscibili. Tres respectu boni. Tres respectu mali. Respectu boni sunt. 1. Amor. 2. Desideriū. 3. Delectatio. Respectu mali sunt.*
1 *Odium.* 2. *Fuga.* 3. *Tristitia.*

17 *Tabellula dictarum sex passionū.*

18 *In irascibili sunt quinque.* 1. *Spes.* 2. *Desperatio.* 3. *Timor.* 4. *Audacia.* 5. *Ira.*

19 *Tabellula dictarum quinque passionum.*



DE RATIONE, ESSENTIA, ET NVMERO Passionum humanarum.

Caput XXXI.



ERTVM est, in animis nostris, reperiri Passiones multas, & varias, quæ continuum bellum internum exercent, & cum ad eas regulandas, assignetur virtus moralis, vt frenum equo inordinatè se mouenti, ad Philosophum moralem spectat, tractare de istis passionibus. Tria hic videbimus. 1. Quid sit Passio. 2. In quo sint, vt in subiecto. 3. Quę, & quot sint, & quomodo distinguantur, & ordinentur.

§. 1. *Quid sit Passio.*

1 Passio est motus appetitus sensitiui, in prosequendo bonum, vel fugiendo malum, vt sibi offeruntur à phantasia, vel cogitatiua. Nam phãtasia, vel cogitatiua apprehendens aliquid, sub ratione boni, dato etiam, quod non esset verè bonum, puta Vinum dulce febricitanti, si offerat illud appetitiui, mouet appetitum, motu desiderij ad consequendum tale bonum, sibi præsentatum. Ex oppositio, si phantasia, aut cogitatiua apprehendit aliquid, sub ratione mali, etiam quod non esset verè malum, & offert illud, sic apprehensum, appetitui, mouetur appetitus, motu fugæ, ad euitandum tale malum.

2 §. 2. *In qua parte animæ sint passiones.*

Non est passio in parte vegetatiua: Nam potentię vegetatiuę sunt actiuę: passio autem ad potentiam passiuam pertinet: est enim passio in patiente. Nec in parte cognoscitiua, sensitiua, nec intellectiua, in qua sunt sensus tàm interiores, quàm exteriores, & intellectus agens, & possibilis. Nam illud, in quo est passio, de qua loquimur, mouetur, & trahitur ad obiectum, nõ habitũ: sed pars cognoscitiua nõ mouetur ad obiectum cognoscibilis, sed est in ea, vt cognitũ, in cognoscente, siue per speciem, siue per essentiã. Si ergo passio non est in parte cognoscitiua, erit in parte appetitiua, sed non in omni. Nam cum distinguatur pars appetitiua, in sensitiuam, & intellectiuam, quæ

3 dici-

3 dicitur voluntas, non est passio in voluntate, quoniam passio est
4 cum transmutatione organi corporalis, & præcipuè cordis. Nam
5 ad omnes passiones sequitur delectatio, vel tristitia corporalis. De-
6 lectatio quidem, si consequimur bonum concupitum. Tristitia au-
tem, si non consequimur, & respectu mali, est oppositum. Nam de-
lectamur, si fugimus malum superueniēs: tristamur autem, si fugere
7 non possumus. Delectatio non corporalis non fit, sine dilatatione
8 cordis, & tristitia cum constrictione. Constat ergo quod omnis pas-
sio, apud moralem, fit cum transmutatione organi corporalis: Vo-
luntas autem, sicut intellectus, cum sit in parte intellectiua, non est
alligata organo, ergo in voluntate non est propriè passio. Relinqui-
9 tur ergo, quod sit in solo appetitu sensitiuo.

10 §. 3. *Quot sint, quomodo distinguantur, & ordinentur passiones.*

Appetitus sensitiuus distinguitur per concupiscibilem, & irascibilem.
11 Distinctionis ratio est. Appetitus importat inclinationem sequen-
12 tem formam, siue naturalem, siue apprehensam, sub ratione boni.
13 Si formam naturalem, dicitur appetitus naturalis, si apprehensam,
dicitur appetitus sensitiuus, vel intellectiuus. Videmus autem, in naturalibus, quod ad formā naturalem non solum sequitur inclinatio, ad prosequendum bonum, rei conueniens, & fugiendum malum, disconueniens, sed etiam ad resistendum impedientibus consecutionem boni conuenientis, Vnde in igne est inclinatio, per leuitatem, ad consequendum locum sursum, vt conuenientem, & conseruatiuum, & recedendum à loco deorsum, vt disconuenienti, & destructiuo: & est caliditas, per quam resistit contrarijs, impediētibus, ne consequatur locum sursum. Eodem modo, ad formam apprehensam, ab animali, sub ratione boni, sequitur inclinatio, ad consequendum bonum, apprehensum, & fugiendum malum oppositum, & etiam ad resistendum impedientibus, consecutionem boni apprehensi, & inducentibus malum apprehensum. Appetitus, quo inclinamur ad consequendum bonum apprehensum, & fu-
14 giendum malum, dicitur Concupiscibilis, cuius obiectum est bonū
sensibile absolutè. Appetitus autem, quo mouemur, ad resistendum
15 contrarijs, & impedientibus, consecutionem boni, & inducentibus
malum, dicitur Irascibilis, cuius obiectum est bonum non, absolutè

ſed vt difficile, ad conſequendum, cuiuſmodi eſt Victoria, quæ apprehenditur, ſub ratione difficilis, & ardui.

Numerus paſſionum eſt, quod in Concupiſcibili ſunt ſex: tres reſpectu boni, tres reſpectu mali. Reſpectu boni ſunt. 1. Amor. 2.
16 deſiderium. 3. delectatio. Reſpectu mali ſunt. 1. odium. 2. fuga. 3. Triſtitia. Ratio autem, propter quam, ſunt tres, reſpectu boni, & tres, reſpectu mali, eſt hæc. Res cognita, vti bona, oblata appetitui, cauſat, in appetitu, ſui complacentiam, qua appetitus inclinatur, verſus eam, & hęc complacentia dicitur Amor, qui eſt prima paſſio concupiſcibilis. Sicut autem res apprehenſa, vt bona, cauſat ſui complacentiam, in appetitu, ſic res apprehenſa, vt mala, cauſat in appetitu ſui diſplicentiam, & horrorem. Hæc paſſio dicitur odium, quæ eſt prima reſpectu mali, in Concupiſcibili. Ex eo autem, quod bonum apprehenſum cauſat ſui complacentiam, ideſt amorem, mouetur, & incitatur appetitus ad conſequendum illud. Hic motus dicitur deſiderium; quod eſt ſecunda paſſio, ſequens amorem, reſpectu boni. Malum autem, quia cauſauit ſui diſplicentiam, ideſt odium, ideò mouetur appetitus ad fugiendum illud. Hic motus dicitur fuga, & eſt ſecunda paſſio, ſequens odium, reſpectu mali. Quod ſi appetitus, motus motu deſiderij conſequitur bonũ amatum, & deſideratum, & vnit ipſum, quieſcit in tali bono adepto, & hęc quies dicitur delectatio, quæ eſt tertia paſſio, reſpectu boni, in Concupiſcibili. Malum autem, quod quærit fugere appetitus, ſi non poteſt vitari, ſed contra appetitum ſuperuenit, cauſat in appetitu, inquietudinem, & perturbationem, quæ dicitur triſtitia, & eſt tertia paſſio, in concupiſcibili, reſpectu mali. Patet igitur quàm conuenienter ſint ſex paſſiones, in concupiſcibili: tres reſpectu boni, & tres reſpectu mali; & figura ſubſequitur.

In Concupiſcibili.

17	Reſpectu boni	Amor	Deſiderium	Delectatio
	Reſpectu mali	Odium	Fuga	Triſtitia

In

In iraſcibili ſunt quinque, ſcilicet. 1. Spes. 2. deſperatio. 3. timor. 4. auda-
18 cia. 5. ira: & ratio eſt, cum iraſcibilis pro obiecto habeat bonum ſenſibile difficile ad conſequendum, & ſit defendens, ac pugnans pro concupiſcibili: Si res quæ deſideratur à concupiſcibili ſit difficilis ad conſequendum, & tamen occurrat medium, quo poſſibile ſit eam conſequi, inſurgit motus, in iraſcibili, qui dicitur ſpes. Si autem nullum adſit mediũ, inſurgit motus, qui dicitur deſperatio: & ſic deſiderio correſpondent, in iraſcibili, duæ paſſiones, ſcilicet ſpes, & deſperatio. Ex parte autem mali, quod fugit concupiſcibilis, ſi ſit difficultas, in euitando, & occurat medium, quo poteſt euitari, inſurgit, in iraſcibili, motus, qui dicitur audacia: Si autem non occurrit medium, vel ſaltem medium ſit debile, inſurgit motus, qui dicitur timor, & ſic fugæ correſpondent duę paſſiones, in iraſcibili, ſcilicet timor, & audacia, & quoniam malum illatum cauſat triſtitiam, in concupiſcibili, inſurgit iraſcibilis, ad propulſandum ipſum: & quoniam propulſare non poteſt, conatur offendere, aut vindicare, & ſic inſurgit in ea motus, qui dicitur ira: cuius obiectum, eſt vindicta de eo, qui malum intulit: ex quo cauſata eſt, in concupiſcibili, triſtitia, & ſic triſtitię correſpondet ira. Amori autem, & odio, & delectationi nulla correſpondet paſſio in iraſcibili; quia non eſt difficile amare bonum oblatum, nec delectari, in bono adepto, nec habere odio malum oblatum: Sed difficile eſt conſequi bonum deſideratũ, & vitare malum, & propulſare iniuriam: & ideò omnes paſſiones iraſcibilis correſpondent deſiderio, & fugæ, & iræ: patet igitur ratio, quare ſunt quinque in iraſcibili, & quomodo ordinantur figura oſtendit.

In iraſcibili.

Reſpectu boni, reſpectu, mali, reſpectu mali.

Deſiderio	Fugę	Triſtitię
Spes	Timor	
Deſperatio	Audacia	Ira

Ta-

Tabella Passionum.

Caput XXXII.

Potentiæ concupiſcibilis.	1 Amor.	Amor eſt intrinſecus inſita in id, quod eſt animo iucundum, habitudo.
	2 Odium.	Eſt quædam diſſonantia, & alienatio appetitus erga id, quod iudicatur noxium, vel malum. Vel eſt auerſio ab eo, quod moleſtia afficit.
	3 Deſiderium.	Eſt appetitus boni futuri, non dum obtenti, & dicitur etiam deſideriũ boni, & mali, apprehenſi ſub ſpecie boni.
	4 Abominatio.	Eſt fuga mali futuri, vel eſt timor mali futuri, difficilis, & ardui ad euitandum.
	5 Delectatio, ſeu gaudium.	Eſt quies in bono congruenti, iam cõſecuto, ſenſibili. Vel eſt iucundus motus in ſenſu.
	6 Triſtitia, ſeu dolor.	Eſt motus appetitus, vel ſenſitiuus, vel intellectiuus mali pręſentis, & eſt contrarius gaudio.
Potentiæ Iraſcibilis.	7 Spes.	Eſt appetitus boni futuri, vti ardui, ſed poſſibilis ad conſequendum.
	8 Deſperatio.	Eſt motus, quo appetitus, vti victus à difficultate conſequendi rem arduã ſuc-

	ſuccumbit, & refugit illam, exiſtimatam impoſſibilem.
9 Audacia.	Eſt motus, quo animus erigitur ad expulſionem mali ardui, vel ad conſecutionem boni ardui. Audacia, & timor ſunt contrarij.
10 Timor.	Eſt motus appetitus mali futuri, difficilis ad reſciſtendũ. Qui plus conſiderat magis timet. Oritur timor ex conſideratione periculi.
11 Ira.	Eſt motus appetitus ad vindictam, cũ dolore, ob contemptum ſui ipſius, vel ſuorum. Vel eſt concitatio animi pergentis ad vindictam. Vel eſt accenſio ſanguinis circa cor, cum appetitu vindictæ.

SVMMARIOLA.

1 *Amor multiplex.*
2 *Amor rationalis, quid.*
3 *Amor duplex.*
   1 *Amicitiæ.*
   2 *Concupiſcentiæ.*
4 *De cauſis amoris.*
5 *Cauſæ Amoris, tres.*
6 *Rationes, ob quas qui amat, amatur.*
7 *Quæ faciant hominem quempiam amabilem.*
8 *Remedia ad reprimendum amorẽ.*
10 *Effectus amoris.*



DE SIN-

DE SINGVLIS PASSIONIBVS: ET PRIMO

De Amore, Prima passione concupiscibilis.

Caput XXXIII.

1 MVLTIPLEX est amor. 1. Diuinus. 2. Angelicus. 3. Spiritualis, vel rationalis, qui est proprius voluntatis humanæ. 4. Animalis, qui est communis hominibus,
2 & belluis. 5. Naturalis, qui est illa inclinatio rerum carentium cognitione, in suas perfectiones, vt grauitas lapidis, tendentis ad centrum. Greg. de Valen. in S. Th. 1. 2. q. 26. Hic loquimur tantum de amore rationali, qui est proprius voluntatis humanę, & amore animali, qui est communis hominibus, & belluis.

Amor est passio appetitus sensitiui: Vel est actualis quædam propensio appetitus, in bonum, existimatum, conueniens. Vel est habitudo intrinsecus insita in id, quod est iucundum. Vel est motus, quo animus fertur quodam pondere, quocunque fertur, sicut corpus pondere. Vnde S. August. Eò feror, quocunque feror, toto pondere feror.

Diuiditur in amorem amicitiæ, & in amorem concupiscentiæ.
3 Amor amicitiæ est inclinatio appetitus in bonum, secundum se ipsum, & vti in terminum. Amor concupiscentiæ est inclinatio in bonum, non secundum, se ipsum, & vti in terminum, sed vti relatũ ad ipsum amantem, & in solam eius vtilitatem. In amore amicitiæ continetur amicitia honesta. In amore concupiscentiæ continetur amicitia vtilis, vel delectabilis. Sola honesta est vera, & propria amicitia. Vnde Quando in re amata quærimus tantùm bonum nostrum, & non amati, est amor concupiscentiæ, ita amamus equũ, canem, &c. Verum, quandò etiam in re amata quęrimus bonum ipsius rei amatæ, est amor amicitię. S. Th. 2. 2. q. 23. art. 1. Inter Deum, & hominem intercedit amor amicitiæ.

4 *De causis amoris §. 1.*

Tres sunt causæ amoris. 1. ipsa bonitas rei, præuia cognitione. Pulchrum,

5 & bonum omnibus est desiderabile, amabile, & diligibile. Bonum, & pulchrum aduocat omnes ad sui amorem: & ideò Deus, vt summum bonum, super omnia est amabilis. 2. est ex parte ipsius amantis, idest similitudo, & conuenientia cum re amata, quod facit, quod in illam inclinetur, sicut in se ipsum. omne animal diligit simile sibi, & omnis homo proximum suum, omnis caro ad similẽ sibi coniungetur, & omnis homo simile sibi sociabitur: Similia similibus mox gaudent, & homo homini iucundissimus. 3. causa, quæ est vti generica, quia, sub se, comprehendit multas alias, est ipse amor. Nam amor vnius rei, procreat amorem alterius. Vnde dicitur, beneficentiam conciliare amorem, quia amor beneficij accepti, excitat ad amandum benefactorem, & amor vnius producit amorem mutuum alterius. Quare seneca. Monstrabo tibi (inquit) amatorium sine medicamento, sine vllius Veneficæ carmine, si vis amari, ama. Et Martial. hoc non fit verbis, Marce, vt ameris, ama, & S. Ioan: Nos ergo diligamus Deum, quoniam ipse prius dilexit nos.

6 §. 2. *Rationes, ob quas, qui amat, amatur.*

Duplex est ratio, propter quam qui amat, amatur. 1. quia ipse amor est quoddam amabile, quod reddit amantem, amabilem. 2. quia ipse amor redundat in ipsum amantẽ, & ideò facit, quod bonum amantis sit quodam modo amati. Valen. in 1. 2. S. Th. q. 26. 27. & 28.

7 §. 3. *Quæ faciant hominem quempiam amabilem.*

1. Amabilis cum primis esse. 2. Congratulantes in bonis. 3. Cõdolentes in malis. 4. Amantes eorum, quos ipsi amamus. 5. Amamus beneficos. 6. Modestos. 7. Non curiosos. 8. Virtute excellentes. 9. Claros vel apud omnes, vel apud optimos. 10. Iucundos. 11. Faciles in consuetudine. 12. Non contentiosos. 13. Non pertinaces: Nam omnes hi pugnaces sunt. 14. Non illudentes. 15. Sufferentes actus. 16. Laudatores, boni. 17. Mundos cultu corporis. 18. Nõ exprobrantes, neque errores, neque beneficia. 19. Immemores iniuriarum. 20. Reconciliabiles. 21. Non contradicentes. 22. Admirantes nostra. 23. Similes. 24. Amare absentes, similiter, atq; præsentes. 25. Esse studio-

ſos in Amicos, neque eos derelinquentes. Hæc omnia, ſecundum Ariſt: vt apud Valen:

Sed ſecundũ S. Ambroſ: homo redditur amabilis ex ſequentibus. 1. ſciant omnes nil vtilius eſſe quàm amari. Nil inutilius, quàm nõ amari. Nam odio haberi, exitiale exiſtimatur. 2. Placiditas mentis, & benignitas animi. Nam popularis, & grata omnibus eſt bonitas, nihilq; quod tàm facile illabatur humanis ſenſibus. 3. Manſuetudo morum. 4. Facilitas animi. 5. Moderatio in imperio. 6. Affabilitas in loquendo. 7. Verba honoris erga omnes. 8. Modeſtia gratioſa. 9. Patientia virtuoſa. 10. Beneuolentia benefica. 11. Deuincire Officijs. 12. oppignorare gratia. 13. Fideles, & obſeruantes in promiſſis. 14. Inuiolabiles in fide. 15. In actione, & ſermone nihil agere, quod Deum offendere poſſit, iuxta illud Apoſt: An quęro hominibus placere? ſi ad huc hominibus placerem, Chriſti ſeruus non eſſem. 16. Sine offenſione eſſe, Iudæis, gentibus, & Eccleſiæ Dei, ſicut, & ego per omnia omnibus placeo. S. P. 1. Corint. 10.

8 §. 4. *Remedia ad reprimendam Paſſionem amoris.*

1. Auerſio ſenſus à re inordinatè amata. 2. Ponderatio malorum, quæ, circa rem amatam, occurrere poſſunt. 3. Recogitatio eorum malorum, quæ affert peruerſus amor. 4. Occupetur mens alijs in rebus, diuerſis, ab illo obiecto. 5. Conuerſio amoris ad ea, quæ, per ſe ipſa, ſunt amabilia, vti Deus.

9 §. 5. *Effectus amoris.*

1. Vnio plurium in vno. 2. Ectaſis, idque vel ſecundum apprehenſionẽ, quatenus amor efficit, vt amans de re amata, aſſiduè cogitans, abſtrahatur cogitatione à rebus alijs, Vel ſecundum ipſum effectum formalem amoris, quia nimirum amans cenſetur quodammodo, ex ſe exire, & ferri in rem amatam. Expertus eſt hunc amoris effectum D. Dioniſius. c. 4. eſt (inquit) mentis exceſſum ectaſimq; faciens amor Diuinus, amatores ſui iuris eſſe non ſinens, ſed, in ea, quæ amantur pænitus transferens. Vnde etiam Apoſt: Viuo ego, iam non ego, viuit verò in me Chriſtus. 3. Zelus, qui prouenit ex intenſo amore, & eſt quidam vehemens appetitus remouendi ea,

quæ

quæ obstant, & quæ sunt contraria amori, & rei amatæ. 4. Quędam animi affectiones, quas scriptura Sacra appellat languorem, liquefactionem, feruorem, ignem, flammam, iuxta illud Cant. 8. Lampades eius, Lampades ignis, atque flammarum.

S V M M A R I O L A.

1 *Odium, quid.* 3 *Odium posse esse bonum, & malũ,*
2 *Causa mouens ad odium.* 4 *Remedium huius passionis.*

DE ODIO, SECVNDA PASSIONE concupissibilis.

Caput XXXIV.

DE definitione odij dictum est supra. Causa mouens
1 ad odium, ex parte obiecti, est aliquod malum verũ
2 vel apparens. Item ira, detractio, calumnia possunt
3 esse causa odij. Odium potest esse bonum, & malum. Tunc est malum, quando sumus animo ita auersi à proximo, vt non velimus conferri illi aliquod bonum earum rerũ, quas ex charitate, tenemur desiderare cuilibet proximo. Vel desideramus Personæ à nobis, odio prosecutę, aliquod malum, contrariũ illi bono, quod, ex charitate, tenemur desiderarare proximo. Sed si odio habeamus, in proximo, malum ipsum culpę, vel ob culpam desideramus illi iustum malum pęne, odium erit bonũ, iuxta illud. Non ne qui oderant te Domine, oderam, & super inimicos tuos tabescebam. Perfecto odio oderam illos, & inimici facti sunt mihi.
4 Remedium huius Passionis est, vt excitemus animum ad contrarium amorem, mediante cogitatione alicuius boni, existentis in illo, quem prosequimur odio.

S V M M A R I O L A.

1 *Desiderium, quomodo compescendum.* 2 *Desiderium duplex.*

DE TERTIA PASSIONE CONCVPISCIBILI, QVÆ est De ſiderium.

Caput XXXV.



OMPESCATVR iſta paſſio, in ſui initio. 1. Non deſi-
1 derando ea, quæ non poſſumus conſequi. 2. Abhorrendo illicita. 3. Meditatione mortis proximę. 4. contemnendo volumptates, vti fluxibiles, & momentaneas.

Duplex eſt deſiderium, ſeu concupiſcentia. 1. Concupiſcentia
2 naturalis pura. 2. Innaturalis, vel rationalis: Naturalis eſt, quę ſurgit ex ipſa natura, ſeu complexione animalis, hoc eſt quibus expectuntur ea, quæ pertinent ad naturalem ſtatum animalis tuendum. Iſta ſunt communia homini cum brutis. Innaturalis vel rationalis dicitur quę oritur ex diſpoſitione, quam habet concupiſcens, non quatenus eſt prædituſ natura, vel complexione tali, ſed quatenus exiſtimat ſibi hoc, aut illud congruere ad delectationem. Iſta eſt propriè hominis, & non belluarum.

SVMMARIOLA.

1 *Abominatio, quid.*
2 *In quo conueniat, & in quo differat cum timore.*

DE QVARTA PASSIONE CONCVPISCIBILIS, quæ eſt, Abominatio.

Caput XXXVI.



Bominatio, tamquam illa paſſio, quæ opponitur con-
1 cupiſcentiæ, ſeu deſiderio, conuenit quidem cum ti-
2 more, in hoc, quod eſt fuga mali futuri: ſed differt in eo, quod timor eſt mali futuri, difficilis, & ardui ad euitandum. Abominatio autem eſt abſolutè mali futuri, Sępè comprehenditur iſta paſſio ſub nomine timoris, eo quod præ-

cipuè

cipuè animaduerti à nobis consueuit fuga eius mali, quod sit difficile, & arduum euitatu. Quò fit, vt hæc passio careat proprio nomine, sibiq; vindicet commune Vocabulum earum passionum, quæ in fuga consistunt. In scriptura Sacra aliquando appellatur abominatio quodcunque vehemens odium, iuxta illud. Longè fecisti notos meos à me, posuerunt abominationem sibi.

S V M M A R I O L A.

1 *Delectatio, quid.*
2 *Conditiones delectationis, quatuor*
3 *Delectationem, & voluptatem habere sedem in appetitu.*
4 *Appetitus duplex.*
 1 *Intellectiuus.*
 2 *Sensitiuus.*
5 *Gaudium, & delectatio, quomodo differant.*
6 *Lætitia, quid.*
7 *Delectationes intellectuales esse maiores sensualibus.*
8 *Delectationes sensuales vehementius mouere.*
9 *Remedia contra voluptates.*
10 *Effectus delectationis, qui.*
11 *Delectabilia sunt, tria secundum sensum.*
 1 *Amor honoris.*
 2 *Amor audiendi, & narrandi fabulosa.*
 3 *Amor bonorum fortunæ.*

DE TERTIA PASSIONE CONCVPISCIBILIS, QVÆ

Est delectatio, seu gaudium ex S. Th: 1. 2. q. 31. ar: 1. & seqq.

Caput XXXVII.

1 DELECTATIO est quies in bono congruenti, iam consecuto, sensibili, idest, quod sensu percipitur. Vel
2 est iucundus motus in sensu. 4. Conditiones requiruntur ad hoc, vt sit delectatio. 1. Coniunctio, & adeptio boni congruentis. 2. quod bonum consecutum sit verè congruens. 3. Vt cognoscatur bonum acquisitum, & sua congruentia, cum sua adeptione. 4. requiritur immutatio appetitus,
3 cum quadam suauitate, quæ est essentia delectationis.
Delectatio, & voluptas habent sedem in appetitu. Duplex est
4 appetitus. 1. Intellectiuus. 2. Sensitiuus. Intellectiuus dicitur de bonis, secundum rationem, & apprehensionem. Sensitiuus est de rebus,

bus, quę sensu percipiuntur. Pręterea delectatio appetitus sensibilis est cum aliquali transmutatione corporali. Nam dilatatur cor, & exagitatur, quando hilarescit, & quando delectatio prævenit opinionẽ, & spem, tunc ita dilatatur, & exagitatur cor, vt aliquando sequatur mors. Delectatio voluntatis non est aliud, quam simplex motus voluntatis, quo animus hilarescit.

5 Delectatio, & gaudium differunt, in hoc, quod delectatio sequitur quamlibet cognitionem. Gaudium verò sequitur cognitionem intellectualem. Vnde gaudium est quædam affectio appetitus intellectualis, in consecutione rerum, quas volumus, & ideò est magis generica delectatio quàm gaudium: nam delectatio comprehendit omnem hilaritatem, & voluptatem, & lętitiam, & sic etiam gaudiũ: sed non è contra gaudium complectitur omnem delectationem. Gaudium verò est affectio animi, dum ad mensuram rationis exhilaratur, & iucundatur.

6 Lætitia verò est quando mouetur animus adeò, vt signa exteriora appareant, & præsertim in vultu. Quare quando mouetur animus ratione, & placidè, & constanter, tunc est gaudium: quando inconstanter, & effusè, tunc est lætitia.

7 Delectationes, quæ sunt in appetitu intellectiuo, secundum se, sunt maiores, & suauiores illis, quæ sunt in appetitu sensitiuo. Vnde illud. Quàm dulcia faucibus meis eloquia tua, super mel, ori meo.

8 Delectationes sẽsus, quoad nos vehementius mouẽt. 1. Quia bona delectabilia sunt nobis magis cognita, nobiscum crescunt, nobiscũ nutriuntur, & coalescunt. 2. quia præmium boni delectabilis statim gustatur, & obiectum præsens magis mouet. 3. quia vti homines indigemus delectationibus, vti medicinis, contra tristitiam, & diuersos mærores. Vnde multi homines non pertingentes delectationes spirituales, declinant ad carnales. 4. Vti homines mortales incipimus nostram perfectionem à bono sensus, & consumimus illam in bono spiritus: & cum sint plures inchoantes, quàm consummentes, ideò delectationes sensuales habent plures sequaces. Esca malorum appellatur voluptas.

9 Remedia contra voluptates. 1. Vt considerentur, vti abeuntes, fugientes, & momentaneæ: 2. Quod omnes sapientes, & Viri probi, de hoc, nobis reliquerunt exemplum, & sententias.

Effectus delectationis sunt. 1. quędam dilatatio cordis, iuxta illud.

illud. Tunc videbis, & afflues, & mirabitur, & dilatabitur cor tuum.

10 2. Delectatio affert sitim, seu desiderium, ex parte operationis, qua res delectabilis vsurpatur: si nimirum ea sit imperfecta, tametsi res ipsa perfecta sit; & isto modo delectatio spiritualis, quam, in ista Vita, capimus de Deo, imperfectè cognito, excitat sitim, & desiderium, illum perfectè cognoscendi, & fruendi, iuxta illud. Qui bibunt me ad huc sitient, & qui edunt me, ad huc esurient. 3. Delectatio obstat cognitioni, quando est quidem de operatione alia. 4. quod perficit, & acuit eam operationem, de qua est, iuxta illud. Delectatio perficit opus.

11 Secundum Arist: 3. Ethic. Tria sunt delectabilia, quæ ingerunt nobis delectationes animales. 1. Amor honoris, & scientiæ. 2. Amor audiendi, & narrandi fabulosa. 3. Amor possidendi, & congregandi bona fortunæ.

S V M M A R I O L A.

1 *Dolor quid sit, & quotuplex.*
2 *Dolor est duplex.*
3 *Tristitiæ, & doloris differentia.*
4 *Tristitiæ septem sunt species.*
   1 *Misericordia, & quid.*
   3 *Inuidia; & quid.*
   4 *Angustia, vel anxietas, & quid.*
   5 *Penitentia, & quid.*
   6 *Nemesis, & quid.*
   7 *Zelus, & quid.*
5 *Tristitiæ causas generales, sex esse.*
6 *Remedia octo contra tristitiam.*

DE TRISTITIA, SEV DOLORE SEXTA PASSIONE,

ex S. Th. 1. 2. q. 35. & seqq.

Caput XXXVIII.



1 DOLOR est motus appetitus, vel sensitiuus, vel intellectiuus mali præsentis, vel existimati præsentis contrarius delectationi, & ideò, sicut delectatio est quies in bono, ita dolor est motus de malo præsenti sensibili, idest quod sensu, vel cogitatione sentitur.

2 §. 1. *Quotuplex sit dolor.*

Duplex est dolor. 1, sensitiuus, qui est externus, & patitur in corpore. 2. Intellectiuus, qui propriè appellatur tristitia. Ista habet sedem, nō in corpore, sed in animo. Tristitia animi potest esse de re præsenti, vel præterita, vel futura, quia intellectus potest percipere tria illa tem-
3 pora: sed dolor, vti torquens corpus, est de re præsenti. Tristitia secundum S. Th. est maior dolore; nam obiectum doloris est malum, iunctum corpori, à quo verè redundat in animam, sed malum, quod est obiectum tristitiæ est interius, & coniunctum intimè ipsi appetitui, & animæ.

§. 2. *Quot sint species tristitiæ.*

Septem sunt species tristitiæ. 1. Misericordia, quæ est tristitia mali alieni, existimati proprij. 2. Inuidia, quæ est tristitia de bono alieno existi-
4 mato Proprio. 3. Angustia, vel anxietas, quæ est tristitia, ita aggrauans animam, vt videatur nil remanere refugij. 4. Accidia, quæ est torpor, præmens adeò, vt videatur prohibere etiam vsum membrorum. 5. Penitentia, quę est tristitia de malo præterito. 6. Nemesis, quàm Arist: 2. Reth. c. 9. dicit esse tristitiam de bono temporali alieno, quatenus iudicamus alterum esse illo indignum. 7. Est Zelus, qui significat tristitiam de bono alieno, quatenus nobis illud deest.

§. 3. *De causis tristitiæ.*

Sex sunt causæ generales tristitiæ. 1. Quando non assequimur bonum
5 desideratum, vel amittimus possessum, vel incurrimus malum, quod timebamus. 2. quando non potest vinci aliqua vis repugnās acquisitioni alicuius boni desiderati. 3. Ira, & desperatio, quando non potest exequi vindicta, aut desperatur assecutio sperati. 4. Dilatio assecutionis boni expectati. 5. Memoria mali perpetrati, quæ est penitentia. 6. Est interna quædā causa incognita, quàm ipsemet attristatus nescit exprimere, & dicitur causa occulta.

Octo sunt remedia contra tristitiam. 1. Omnis tristitia, quę non est secundum Deum est noxia, & praua, ideò fugienda. 2. Est bona illa tristitia, quæ prouenit à dilatione spei fruendi Deo. 3. Item bona, quæ assumitur ex eo, quod quis, in studijs virtutum, non profecerit. Mala tristitia habebit sequentia remedia. 1. Pręmeditatio omnium malorum, quæ possunt occurrere, ideò casus omnes inopinati, & aduersi non concutient nos. 2. Cogitare, qnod aduersa nobis aduenniunt, vt inde sumamus occasionem exercendi virtutes præclaras, præsertim, patientiā, & magnitudinē animi. 3. Auocanda quantum fieri potest, cogitatio est à præsenti molestia, maloque vrgenti, & conuertenda ad ea bona, quæ quis obtinet, vel sperat. 4. Reputandū est humana esse, quæ nobis acciderunt, & ideò tolerabilia. 5. Quod tristatus non ideò malum minuit, aut tollit, sed se ipsum miserè conficit. 6. Qui expertus est ante, aliquam calamitatem, ex ea, qua liberatus fuit, spe erigatur, liberatum etiam iri à pręsenti malo. 7. Lacrimę, & luctus, in męrore, videntur alleuiare tristitiam, vti media ad expellendum dolorem. 8. Consideratio incommodorū, quæ, ex immoderata tristitia, animę, & corpori, proueniunt.

S V M M A R I O L A.

1 *Spes quid sit, & quotuplex.*
2 *Quomodo generetur, & augeatur.*
3 *Humilitatem, & Magnanimitatem esse regulatiuas spei.*
4 *Humiles, & Magnanimi quomodo sperent.*
5 *Princeps benè sperans quatuor attendere debet.*
6 *Effectus spei, qui.*

DE SPE, SEPTIMA PASSIONE EX S. Th. 1. 2. q. 40.

Caput XXXIX.

1 SPES importat quandam passionem appetitus sensitiui, & est appetitio boni futuri, vt ardui, sed possibilis, ad illud consequendum. Diuiditur in irrationalem, & rationalem. Irrationalis est illa, quæ sequitur cogitationem sensitiuā, talem, qualem possunt habere etiam belluæ. Rationalis est illa, quę

sequitur cognitionem potentię cogitatiuæ in homine. Generatur
2 spes, vel augetur ex illis rebus, quę suppeditant facultatem ad consequendum aliquid arduum, aut faciunt iudicare veram, vel falsam, possibilem, vnam rem ad obtinendum. Ex aduerso debilitatur spes ex illis rebus, quæ sunt contrariæ. Vnde Arist. dixit, Ebrios, & iuuenes solitos esse habere bonam spem. Nam tales propter ignorantiã, aut inconsiderationem difficultatum, vel etiam, ob carentiam experientiæ, facilè existimant, se id quod volunt, assecuturos. Item quia ob calorem, vel vino, vel ætate, robustum, fortiores sunt, & alacriores, ad suscipienda ea, quæ sunt ardua. Vel dicamus ex Iauello Canap: quod per spem intendimus vigorosam animi tendentiã, ad acquirendum bonum arduum, prius amatum, & desideratum. Cuius tendentiæ principia regulatiua sunt humilitas, & magnani-
3 mitas. Nam humilitas docet hominem, non tendere in bonum arduum desideratum, nisi ex iustitia, & iuxta vires suas, & qui vltra quærunt, non sunt benè, & laudabiliter sperantes, sed temerarij. Magnanimitas autem docet hominẽ nõ debere deficere à tendentia, in acquisitionem boni ardui, quando iustitia sic requirit, & non deficiunt conuenientia media, considerata propriarum virium facultate, qualitate, & statu Personæ. Qui agunt in oppositum, non magnanimi, sed pusillanimes censendi sunt. Humiles ergo, & ma-
4 gnanimi sperant, vt sperandum recta ratio dictat. Parui animi autem deficiunt, ab ordinata, & laudabili spe, sicut, & temerarij, & arrogantes excedunt, in sperando. Hunc defectum tendentiæ in bonum arduum, iuxta vires, & facultates proprias, attributum pusillanimitati, appellat Iauellus ibi, in proposito de Principe, desperationem, ideſt defectum, vel excessum ordinatæ spei. Addit ibi Iauellus
5 loquendo de Principe, quod vt sit bonus Princeps benè sperans, & non euanescat, in opposito. 4. attendere debet. 1. Quod vera spes est circa bonum, & verè bonum. 2. Quod est circa verè bonum arduum. 3. quod est circa bonum arduum, expectatum, & non pręsens, saltem eo modo, quo speratur. 4. Quod est circa verè bonum arduum expectatum, sed cognitum, vt possibile acquirendũ, iuxta facultatem sperantis.

Effectus spei, principalis est quod reddit operationem expeditã,
6 quoniam excitat animi attentionem, ad rem speratam.

DE

DE DESPERATIONE OCTAVA PASSIONE

ex S. Th: 1. 2. q. 40. ar: 4.

Caput XXXX.



ESPERATIO est motus, quo appetitus, quasi victus difficultate consequendi rem arduam succumbit, & refugit 4
illam existimatã impossibilem. Habet pro obiecto bonũ, & malum; Malum ex se formaliter, vti obiectum fugæ. Bonum per accidens, & quasi materialiter. Ex S. Th: vbi supra quod sic declaratur. Desperatio ponitur in Irascibili. Irascibilis habet, pro obiecto, bonum sensibile, difficile, ad consequendum, & est defendens, & pugnans pro Concupiscibili. Si res, quæ desideratur à Concupiscibili, sit difficilis ad consequendum, & tamen occurrat medium, quo possibile fiat eam consequi, insurgit motus in Irascibili, qui dicitur spes. Si autem nullum adsit medium, insurgit motus, qui dicitur Desperatio, & sic desperatio habet, pro obiecto, malum 5
ex se formaliter, vt obiectum fugæ, quia illud apprehendit, vt summè oppressiuum, & sic fugiens, illi succumbit.

S V M M A R I O L A.

1 *Audacia, quid.*
2 *Audaciã esse ambiguæ significationis.*
3 *Audacia, & timor sunt contraria.*
4 *Audacia duplex.*
5 *Audaciæ effectus.*

DE AVDACIA NONA PASSIONE,

ex S. Th: 1. 2. q. 45.

Caput XXXXI.



1 AVDACIA est passio Irascibilis Potentiæ, qua animus erigitur ad expulsionem mali ardui, & ad consecutionem
2 boni: Audacia, & timor sunt contraria. Timor, refugit
3 malum futurum. Audacia aggreditur præsens periculum ad superandum. Iste terminus (Audacia) est ambiguæ significationis.

nis. Aliquando accipitur pro vitio opposito fortitudini, & vt sic in malum sonat, & in hoc sensu reprehenduntur audaces. Aliquando significat affectionem, & passionem animi, qua animus ipse erigitur contra malum, & in hoc sensu dicitur fortitudo versari circa timorem, & audaciam, quatenus ad medium reducit, frenat, & compescit istas passiones animi, quæ sunt violentæ.

4 *§. 1. Diuisio Audaciæ.*

Diuiditur audacia in irrationalem, & rationalem. Irrationalis est illa, quæ impellit, & fert hominem vehementi, & subitanea apprehensione sensus ad aggressionem periculorum; sed in actu experti periculi, non præuisi, deficit, & aliquando terminat in timorem, & vilitatem. Rationalis est, quæ quadam ratione, & consideratione adhibetur ab homine, quando committit se periculis: & isti homines sunt constantiores, & fortiores.

5 *§. 2. Effectus audaciæ, qui.*

Effectus audaciæ est, quod afferat membris exterioribus, frigiditatem, & tremorem: quoniam reuocat calorem ad interiora, sicut & timor: nisi quod timor dimittit illum ad inferiores partes: Audacia verò ad cor. S. Th. 1.2. q. 44. art. 1. ad 2.

S V M M A R I O L A.

1 *Timor, quid.*
2 *Magis considerans, magis timet.*
3 *Timorem Dei esse verum timorem.*
4 *Timori quomodo succedat tristitia.*
5 *Timor duplex.*
6 *Timoris species sunt sex.*
1 *Segnities, & quid.*
2 *Erubescentia, & quid.*
3 *Verecundia, & quid.*
4 *Admiratio, & quid.*
5 *Stupor, & quid.*
6 *Agonia, & quid.*

DE TI-

DE TIMORE DECIMA PASSIONE

ex S. Th. 1. 2. q. 41. & seqq.

Caput XXXXII.



1 IMOR est motus appetitus mali futuri, difficilis euitatu, sicut spes est fiducia boni futuri, possibilis. Pro intelligentia notandum est esse rem malam, non solum, incidere in malum, sed etiam decidere à bono sperato. Timor oritur ex opinione mali futuri, appropinquantis, ac etiam ex opinione ammittendi, vel non consequendi bonum speratum. Cum oriatur timor ex consideratione pericu-
2 li, qui magis considerat, magis timet: vti prudẽtes, sobrij, & experti. Ideò timor est passio consistens in fuga, & suum obiectum formale est malum, difficile euitatu. Vnde etiam timor Dei est verus ti-
3 mor, qui consistit in fuga à malo culpę, & qui propriè habet originem ab amore Dei, immò amor Dei est illi contrarius, iuxta illud. Perfecta charitas foras mittit timorem: Nam seruus Dei, timens malum culpę expellit timorem, & amore vincit omnia.

Si timor erit tam magnus, vt auferat omnem spem, euitandi ma-
4 lum, tunc cessat timor, & succedit tristitia. Mala, quæ non cogitantur instare proximè, sed abesse procul, aut non timentur, aut parum. Ideò mors, quæ procul abesse creditur, non timetur.

5 *§. 1. Diuisio Timoris.*

Diuiditur timor in irrationalem, & rationalem. Irrationalis est qui cadit in virum meticulosum, & inconstantem, & sine ratione timentem. Rationalis est, qui cadit in virum constantem, & timentem solũ rationabiliter.

6 *§. 2. Species Timoris.*

Ad rationalem timorem pertinent sex species sequentes. 1. segnities, quæ est timor laboris excedentis vires, quo homo ab opere retrahitur.

2. Erubeſentia, quæ eſt timor iacturę ęſtimationis bonę, ob turpe opus, iam geſtum. 3. Verecundia, quæ eſt timor iacturę ęſtimationis bonę, propter malum opus futurum, quod quis perpetrare cogitat. 4. Admiratio, quæ eſt timor alicuius magni mali, cuius nequeat quis reperire vllum exitum; quamuis etiam admiratio aliter vſurpari ſoleat, pro conſideratione nimirum alicuius effectus, cuius cauſam quis neſciat, & ſcire cupiat. 5. Stupor, qui eſt timor alicuius mali, quod propter nouitatem, & inexperientiam, ingens videatur. 6. Agonia, quæ eſt timor mali, cui ipſe quidem timens, nullo modo poſſit occurrere, tametſi hæc omnia aliter etiam vſurpari ſoleant.

S V M M A R I O D A.

1 *Ira, quid.* 5 *Irę tres ſpecies aſſignari.*
2 *Ira, vbi conſtituatur.* 6 *Irę cauſę num. 17.*
3 *Ira non peccaminoſa, quę* 7 *Irę remedia num. 22.*
4 *Differentia inter iram, & odium.*

DE IRA, NONA PASSIONE,

ex S. Th. 1. 2. q. 46.

Caput XXXXIII.



1 RA eſt appetitus vindictę, cum dolore, ob contemptum ſui ipſius. Vel eſt concitatio animi pergentis ad vindictam. Vel eſt appetitus puniendi illum, à quo offenſam accepimus. Vel eſt concitatio animi acerba, quia videt ſe ipſum, vel res ſuas contemptas, cum appetitione vindictæ. Vel eſt accenſio ſanguinis, circa cor, cũ appetitione vindictę. Dicitur ira à verbo, eo, is, eò quòd faciat ire, quia à ſe ipſo, diſcedit, qui in iram accenditur, & ad ſe reuertitur, qui iram deponit.

2 *§. 1. Vbi conſtituatur Ira.*

Conſtituitur in iraſcibili, vel animoſa potentia. Nam paſſiones iraſcibi-

lis

lis differunt in hoc à passionibus. Concupiscibilis, quod obiecta Passionum concupiscibilis sunt vel bonum, vel malum absolutè: sed obiecta irascibilis sunt vel bonum, vel malum cum quadam eleuatione, vel arduitate. Ira respicit duo obiecta: 1. Vindictam, quàm appetit. 2. Illum, contra quem dirigit vindictam. Circa vtrunque requiritur quędam arduitas.

3 §. 2. *Ira non pecaminosa quæ.*

Datur etiam quoddā genus inflammationis in pectore, quando animus concitat se ipsum, & concipit magnos ardores, ad aggrediendum aliquod magnum facinus. Ista propriè non est ira, cum non adsit species mali, neque appetitus vindictę, sed potius effectus animi generosi. Vnde errant illi, qui omnem accensionem sanguinis comprehendunt, sub ira.

4 §. 3. *Differentiæ inter iram, & odium.*

1. Odium crescit tempore, ira, diminuitur. 2. Deponitur ira, post vindictam. Vindicta odij est malè: facere, & multum nocere. 3. Ira appetit, quod sentiatur eius vindicta: Odium non curat hoc, dummodo faciat, & desideret malum. 4. Iratus dolet: odiens non dolet. 5. Ira respicit semper duo obiecta, Vindictam, & hominem offendendum: odium respicit tantum vnum obiectum, nempè malum, quod vult odiato, quem existimat malum. Sed, secundum S. Th. potissimæ differentiæ sunt. 1. Differunt, ex obiecto, modo supra expresso. 2. Differunt, ratione: Nam odiens appetit malum inimici, quatenus est malum illi, sed iratus appetit malum illius, contra quem est iratus, non quatenus est malum, sed quatenus habet quadā rationem boni, in quantū iudicat illud esse iustū, & vindicatiuū. Vnde odium est, per applicationem mali, ad malum, sed ira est per applicationem boni, ad malum. 3. Odium est insatiabile, ira habet mensuram, & modum. Ratio: quia odium appetit malum alterius secundum se. Quæ appetuntur, secundum se, appetuntur, sine mensura. Arist: 1. Pol. c. 6. Vti auarus diuitias: & iuxta illud Eccl. c. 12. Inimicus si inuenerit tempus, non satiabitur sanguine. Sed ira non appetit malum, nisi sub ratione iusti vindicatiui, ideò quando

malum

malum illatum excedit mensuram iustitiæ, secundum existimationem irascentis, tunc irascens commiseratur.

5 *§. 4. De diuisione iræ. S. Th. 1. 2. q. 46. ar. 8.*

Tres species iræ assignantur. 1. Fel, quæ est ira subitò excandescens, & quæ illicò accenditur, proueniens à facultate ipsius motus. 2. Mania, quæ oritur ex ira permanente, & diuturna, & dicitur mania à manendo, quia longo tempore permanet, inhęrens memoriæ. 3. Furor, quę est ira, nunquam quiescens, donec sumatur vindicta. Primi appellantur acuti. 2. amari. 3. difficiles, quia non quiescunt

6 *§. 5. De Causis iræ. S. Th. 1. 2. q. 47.*

Ira à varijs causis concitatur. Quoad intrinsecas irascentis, generatur ex alijs Passionibus, & præsertim tristitiæ. Quoad extrinsecas, excitatur à varijs incommodis, & iniurijs, quæ tamen omnes ad vnicam reuocari possunt, quæ est contemptus, aut parua existimatio irascentis, vel suorum. Particulares causę numerantur. 1. Qui est delicatus. 2. Tener. 3. Lassus. 4. Infirmus. 5. Famelicus. 6. Amans. 7. Insuetus iniurijs. 8. Imbecilles. 9. Senes, qui ideò vti imbecilles, facilè irascuntur. 10. Pauperes. 11. Ignobiles. 12. Ignominiosi. 13. Abstemij, quia habent spiritus tenues. Sed potatores Vini, vel ceruisiæ, cum habeant spiritus crassiores, sunt tardiores, ad motum. 14. Homines ad studia applicati, quia propter laborem intellectus, calor rapitur ad cerebrum, vbi est sedes iracundiæ, subiacent maximè huic affectioni. 15. Delicati, qui amant obsequium, & ideò grauissimæ, & diuturnæ sunt iræ Principum, quia ab omnibus, obsequijs, & adulationibus cumulantur. 16. Contradictio etiam producit iram, quia contradicens videtur parui facere iudicium nostrum, & præsertim si est amicus, si beneficatus, si subditus, si filius, si familiaris. 17. Ex contingentibus, cum contemptus præter, aut contra opinionem accidit, eo ira acerbior est. Aliæ causæ videndæ sunt apud exposit: S. Thom.

7 *§. 6. De Remedijs iræ. S. Th: 1. 2. q. 47.*

Causa vniuersalis producens iram, est opinio iniuriæ. Remedium vniuersale erit eradicare, ex animis nostris, opinionem iniuriæ, & contemptus. Diminuitur ira, ad proportionẽ diminutionis opinionis, contemptus. Placidatur totaliter ira, ablatione totalis opinionis. 2. Pacificatur ira, obliuione contemptus, vel diuersione cogitationis ad aliud. 3. Cessat ira, declaratione, quod non ad fuerit contemptus. 4. Opinio contemptus aboletur, præstatione noui honoris, erga iratum. 5. Dissipatur opinio contemptus, humilitate; nam verus humilis facilè ignoscit, & libenter tolerat iniurias, propter Christum Dominum. 6. Ad nostram præseruationem non est resistendum irato, quia adiungere escam flammæ facit redundare effectus incendij, etiam in nobis. 7. Responsio mollis etiam frangit iram, & præseruat nos. 8. Confessio erroris reddit iram pacatam. 9. Cassianus dicit omnem iram, ex quacunque causa, contra proximũ assumptam, esse grauem: illam solùm esse laudabilem, quæ assumitur, propter peccata, & nominatim propter peccatum iræ. Sed tamen certum, est iram moderatam, & iustam, erga proximum cum obiecto, quod saluo ordine iustitiæ, puniatur, & vindicetur peccatum, non esse malam, vti probat hîc Greg. de Valen. 10. Quãdo concitamur ad iram, compescamus verba, & facta, nam ita paulatim feruor animi remittetur. 11. In Portu silentij sistamus cursum iræ, minuendo opinionem ęstimatæ iniurię. Nam sepè fallimur, existimando iniuriam, quæ non est. 12. Cogitemus, in actu commotionis quod iudicium facturi essemus de contemptu, extra illam commotionem. 13. Attentè ponderemus, in actu commotionis iniuriam, non solum nobis, sed etiam inferenti, esse turpem, & perniciosam. Vnde emergit occasio commiserationis erga illum. 14. Cogitemus iram, & consensum vindictæ non expellere malum, quod intendimus vindicare. Immò medium vindicandi afferre maius incommodum, illo, quod mediante ira, remouere intendimus. Vnde vincendum est, in bono, malum, exercitio pręclarissimarum Virtutum, patientiæ, & mansuetudinis. 15. Assuescere animum ita, vt sit contentus paucis, & simplicibus rebus. 16. Non relaxare habenas petitionibus variarum rerum superuacanearum. 17. Fugere consortium hominum iracundorum, ne eadem passione contaminemur, iuxta illud Prouerb. 15. Vir iracundus prouocat iras, & 21. Melius est habitare, in terra deserta, quàm cum muliere

rixosa, & iracunda, & cap. 22. Noli esse amicus homini iracundo, neque ambules cum viro furioso, nè fortè discas semitas eius, & sumas scandalum animę tuę, & Eccl. c. 8. Non litiges cum homine linguato, & nè strues in ignem illius, ligna. 18. Consideratio laudis, dignitatis, & gradus Virtutis mansuetudinis. Nam facit hominem admirabilem. 19. Propositio exemplorum, illorum hominum, qui in patientia, & mansuetudine præclari fuerunt. 20. Turpitudo iracundiæ inseruire debet pro stimulo, ad illam comprimendam. 21. In actu motus, consideretur non esse licitum irato, facere orationem, neque rogare Deum, & ideò comprimatur. 22. Proponatur semper differe vindictam, post sedatam iram, &c.

S V M M A R I O L A.

1 *Passiones alias sex assignari, & esse.*
 1 *Zelum.*
 2 *Gratiam.*
 3 *Nemesim.*
 4 *Misericordiam.*
 5 *Inuidiam.*
 6 *Verecundiam.*
2 *Quomodo istę ad aliàs reducũtur.*
3 *Quomdo aliquę laudabiles, aliquę non.*
4 *Zelus quid.*
5 *Zelus duplex.*
6 *Gratia quid.*
7 *Gratiosus quid.*
8 *Verecundia quid.*
9 *Nemesis quid.*
10 *Misericordia quid.*
11 *Miserabile, & terribile differre.*
12 *Inuidia quid.*
13 *Esse, vt plurimum, in similibus, & in propinquis.*
14 *Figulus figulo inuidet, faber fabro.*
15 *De medio harum passionum.*
16 *Verecundus est medius inter stupidum, & inuerecundum.*
17 *Stupidus.*
18 *Verecundus.*] *qui.*
19 *Inuerecundus.*
20 *Misericors est medius inter crudelem, & mollem.*
21 *Crudelis.*
22 *Mollis.*] *qui.*
23 *Misericors.*
24 *Nemesius est medius inter placidum, & inuidum.*
25 *Nemesius.*
26 *Placidus.*] *qui.*
27 *Inuidus.*
28 *Gratiosus est medius inter superfluum, & diminutum.*
29 *Gratiosus quomodo peccet.*
30 *Inuidus tenet semper rationem extremi.*
31 *Zelosus, quoad bonum corporis, semper vitiosus.*

DE SEX

DE SEX ALIIS PASSIONIBVS, MINVS principalibus, ex Arist: 2. Reth.

Caput XXXXIV.



SEX aliæ Passiones, vt minus principales, solent as-
1 signari, in appetitu sensitiuo, ex Arist: 2. Reth: & sunt 1. Zelus. 2. Gratia. 3. Nemesis. 4. Misericordia. 5. Inuidia. 6. Verecundia. Duo videbimus. 1. Quomodo istæ sex reducantur ad aliquas ex supradictis, vt ad magis principales. 2. Quomodo aliquæ ex eis, sint laudabiles, & aliquæ vituperabiles.

2 §. 1. *Quomodo istæ minores sex reducantur ad maiores.*

Zelus, & gratia, ad amorem. Verecundia ad timorem. Inuidia, Nemesis,
3 Misericordia, ad tristitiam. Zelus reducitur ad amorem: Definitur
4 enim quod est amor intensus. Iste amor potest esse circa bonum
5 corporeum, vt quando quis intensè amat vxorem, & circa bonum intellectuale, vt quando quis intensè amat scientiam, iustitiam, &c. si est circa bonum corporis, definitur, esse amorem intensum, non permittentem, nec ferentem consortium, in amato. Hic amor intensus erga Vxorem, in scriptura sacra appellatur Zelotipia. Hic Zelus communiter vituperabilis est. Si est circa bonum intellectuale, definitur, quod sit amor intensus, circa bonum, quod ex sui communicatione, non minuitur. Nam ex eo, quod Titius est iustus, non obstat, quin Plato sit iustus. Vnde se habet opposito modo ad Zelum, qui est de bono corporeo. Hic enim non solum patitur consortium, in bono amato, sed etiam gaudet.

Gratia etiam reducitur ad amorem: ex amore enim efficitur homo
6 verè, & non fictè gratiosus. Gratiosus est autem, qui gratis, & non
7 ex debito, confert beneficium, & commodum postulanti. Nam gratia ex Arist: 2. Rhetor: est, per quam dicuntur homines, roganti aliquid boni gratis præbere, non pro re alia, nec vt præbentibus quid boni eueniat, sed vt rogantibus benefaciant. Hinc solemus dicere, magnam gratiam pręstitã alicui, quãdo rogans maximè indiget, aut

quia difficilia rogat, aut quia in tempore difficili, aut quia ſoli, aut quia primo, aut quia ipſi præ alijs benefit. In ſcriptura ſacra aliquando ſumitur, pro ipſa beneuolentia, vt Geneſ: cap. 18. Domine ſi inueni gratiam, in oculis tuis, ne tranſeas ſeruum tuum. Aliquando, pro beneficio, ſiue opere pio, vt Ruth: cap. 2. Benedictus ſit à Domino, quoniam eandem gratiam, quam præbuerat viuis, ſeruauit & mortuis. Aliquando, pro recognitione beneficij, ſiue pro fide erga amicum, vt 2. Reg. cap. 16. Hæc eſt gratia tua ad amicum tuum. Aliquando pro gratioſitate vultus, aut oris, aut ſermonis, vt Prou: cap. 31. fallax gratia, & vana eſt pulchritudo, & in Pſal: 44. Diffuſa eſt gratia in labijs tuis. Sæpiſſimè autem à S. Paulo, pro Diuino dono, vt patet in principio quaſi omnium epiſtolarum ſuarum. Conſtat autem, quod in omni ſignificato ſuo, reducitur ad amorẽ, vt ad principium, & fontem omnis gratiæ.

8 Verecundia reducitur ad timorem. Nam Verecundia eſt timor confuſionis, & repræhenſionis. Sed licet ſit timor, tamen non denominatur ab eo, homo timidus, ſed verecundus, ſiue erubeſcens, prout verecundia dicitur erubeſcentia. Ratio: quia homo timere poteſt mala corruptiua, vt carcerem, mortem, &c. & poteſt timere mala confuſiua, vt ſunt opprobria, inhonoratio, dehoneſtatio. Reſpectu primi dicitur homo timidus, quia non habemus propriũ nomen, quo nominetur, ſed communi nomine dicitur timidus. Reſpectu ſecundi, dicitur verecundus, & timor ille proprio nomine dicitur verecundia, ac etiam erubeſcentia, eo quod verecundantes, in facie patiuntur ruborem: timentes autem pallorem.

9 Nemeſis Græcè, quæ latinè poteſt dici indignatio, reducitur ad triſtitiam, ſiue dolorem: Eſt enim nemeſis triſtitia de proſperitatibus malorum, qui non merentur huiuſmodi proſperitates. Vnde Ariſt. in 2. Rhetor. definiens indignationem, inquit. Indignatio eſt dolor perturbans, propter res ſecundas, indigno collatas. Differt ab inuidia, quoniam inuidia, vt dicemus, eſt dolor de bono alterius ſiue ſit dignus, ſiue indignus tali bono.

10 Miſericordia reducitur ad triſtitiam. Eſt enim miſericordia compati malo alterius, quod pati videtur abſque ſui culpa. Vnde Ariſt. ſic definit: Commiſeratio eſt dolor, ex ſuperuenienti malo corruptiuo, & dolorem inferente in non dignum, ideſt in non merentem tale malum. Dolet autem commiſerans: quoniam putat idẽ ma-

malum se aut aliquem suorum posse pati. Distinguitur ex Arist. 2.
11 Rhet. miserabile à terribili: Nam separari ab amicis, miserabile est, separari autem à propinquis, per mortẽ, terribile est. Vnde Arist. vbi supra dicit, quod Amasis, cũ ad mortem filius duceretur, non effudit lacrimas: at cum amicum mendicare aspexisset effudit: Est enim hoc miserabile, illud autem terribile.

Inuidia reducitur ad tristitiam: Est enim ex Arist: dolor de
12 bono, alicui superuenienti, quia inuidens non habet illud bonum quod vellet habere, & egrè fert, quod alius habeat, & huiusmodi tristitia, vt in pluribus, est in similibus, & propinquis. Vnde Arist. dicit. His, qui proximi sunt, loco, tempore, ætate, gloria, homines inuident; Vnde solet dici. Propinquitas inuidere solet. Qui
13 in aliquo negotio similes sunt, vt in pluribus, sibi inuicem inuidet,
14 iuxta illud. Figulus figulo inuidet, faber fabro.

§. 2. *Quomodo aliquæ ex eis sint laudabiles, & aliquæ vituperabiles.*

Si aliquæ ex prædictis sex passionibus, tenent rationem medij, laudabiles
15 dicendæ erunt. Mediũ enim in moralibus, approbatur. Si quæ autẽ ex natura sui semper tenent rationem extremi, vituperabiles sunt. 1. Misericordia. 2. Verecundia. 3. Nemesis. 4. Gratia, sunt media inter duo extrema. 1. Inuidia. 2. Zelus, qui est respectu boni corporei, sunt extrema, ideò vituperabilia. Vt infra videbimus.

Verecundus est medius inter stupidum, & inuerecundum. Nam
16 stupidus de omnibus verecundatur, tam in bonis, quàm in malis.
17 Sicut rusticus ingrediens Curiam Principis, verecundatur loqui,
18 coram nobilibus, tàm de bonis, quàm de malis, tàm pro se, quàm
19 contra se. Inuerecundus autem, de nullo, quantumcumque reprehensibili, verecundatur. Sicut meretrix, scurra, parasitus, &c. Verecundus autem verecundatur, in his, in quibus debet, putà in turpibus, & reprehensibilibus, sed non in bonis laudabilibus, ergo tenet medium, inter stupidum, & inuerecundum, ex consequenti, Verecundia est passio laudabilis.

Misericors medius est inter crudelem, & mollem, Crudelis est,
20 qui nulli patienti, compatitur, siuè merito, siuè immerito patiatur.
21 Mollis, est qui omni patienti, siue merito, siue immerito, compa-
22 titur. Sed misericors est, qui immeritò, & sine culpa patientibus,
23 compatitur, & sic patet, quod misericordia est Laudabilis: quoniã

tenet

tenet medium, inter molliciem, quæ est propria mulieribus, & pueris, & crudelitatem, quæ est propria barbaris, & rusticis, qui pro maiori parte, sunt extra humanitatem.

Nemesius, idest indignans, medius est inter placidũ, & inuidum.
24 Placidus est enim qui de omnibus prosperitatibus gaudet, siue eue-
25 niant digno, siue indigno: Inuidus est ille, qui de omnibus prospe-
26 ritatibus tristatur, si eueniant alteri, quàm sibi siue alter sit dignus,
27 siue indignus. Inuidus enim in nullo bono vellet habere consortem. Nemesius autem tristatur de prosperitatibus, si eueniant immerito, non autem si eueniant merito. Vnde constat, quod nemesis est tenens medium, inter placiditatem, & inuidiam. Ex consequenti est passio laudabilis.

Gratiosus est medius inter superfluum, & diminutum. Nam qui
28 studet omnibus tàm dignis, quàm indignis, se gratiosum exhibere,
29 vituperabilis, est qui etiam nulli gratiosus est, vituperabilis est. Qui autem dignis, & benemeritis, gratiosus, ac beneficus est, laudabilis est. Vnde constat, quod gratia tenet medium inter duo extrema vituperabilia.

Inuidus autem tenet semper extremum, quoniam inuidus pro-
30 priè est ille, qui dolet de bono proximi, siue proximus sit dignus, siue indignus. Vnde inuidia semper vitium est.

Zelator quoad bonum Corporis, tenet extremum; nimis enim
31 amat, quàm debeat, puta Vxorem, diuitias, &c. Vnde Zelus huiusmodi semper vituperabilis est, eò quod est causa plurium malorum. Ex Arist: vbi supra

S V M M A R I O L A.

1 *Post Passiones, conuenienter poni catalogum Virtutum.*

2 *Finis Auctoris fuit quidditas Virtutum.*

3 *Finis 2. fuit pertingere felicitatẽ.*

4 *Felicitas moralis quæ.*

5 *Felicitas secundum theologũ quæ.*

6 *Virtutes esse velut vehicula ad felicitatem, &c.*

DE

DE VIRTVTIBVS OMNIBVS, IN GENERE, ET in specie, ad dignoscendam earum quidditatem.

Caput XXXXV.



1 POST explicationem singularum passionum, catalogum Virtutum omnium, tàm Theologalium,
2 quàm intellectualium, & moralium subiungimus cũ finis noster principalis fuerit, instruere mentem, de
3 quidditate Virtutum, & ostendere viam, per quam perueniri possit ad fęlicitatem, non solum moralem humanam, secundum purum Philosophũm, sed etiam ad supernaturalem, se-
4 cundum Theologum. Quid sit felicitas moralis pura, dictum est
5 supra sub Titulo Primo §. 15. Quid etiam sit supernaturalis,
6 habetur supra, sub Titulo Vbi sit positus vltimus finis hominis. Virtutes non solum inseruiunt, ad moderandas passiones, de quibus actum est supra, sed etiam sunt velut instrumenta, quibus homo fęlicitatem adipiscitur. Primo ponetur Tabella Virtutum, cum suis definitionibus. 2. Dicetur de singula Virtute.

SVMMARIOLA.

1 *Virtutes theologales.*
2 *Fructus duodecim Spiritus Sancti.*
3 *Virtutes intellectuales.*
4 *Virtutes Cardinales.*
5 *Virtutes sub iustitia.*
6 *Virtutes sub fortitudine.*
7 *Virtutes sub temperantia.*



Tabella Virtutum, cum ſuis diffinitionibus.

Caput XXXXVI.

1 Virtutes Theologales.

1 Fides.	Eſt ſubſtantia rerum ſperandarum argumentum non apparentium.
2 Spes.	Eſt donum, & habitus ſupernaturalis, quem Deus infundit in animam, quo voluntas mouetur, & extollitur ſuper Vires ſuas naturales, ad ſperandum ęternam beatitudinem, auxilio, & gratia Diuina, & meritis bonorũ operum, quæ procedunt ab eadem gratia Diuina.
3 Charitas.	Eſt Virtus infuſa à Deo, in animam, qua homo amat Deum, vti obiectum, & vltimum finem, in cuius viſione, & amore conſiſtit beatitudo, & amat Deum, propter Deum, & ſe ipſum, & proxImum, propter Deum.

2 Fructus Spiritus Sancti. §. 1.

1 Charitas.	Vti eſt radix omnium donorum.
2 Gaudium.	Quod facit hominem ſpiritualem Deo hilariter inſeruire.
3 Pax.	Quę facit, quod in procellis huius Mundi, ſeruiamus Deo, cum tranquillitate animi.
4 Pacientia.	Quę facit tollerare res arduas, pro Deo.
5 Longanimitas.	Quę declarat magnitudinem animi, in expectando bona futura.

6 Boni-

6 Bonitas.	Quę nemini nocet, ſed omnibus benè vult.
7 Benignitas.	Quæ inuitat ad familiaritatem dulcem, in verbis, & tẽperatam in moribus.
8 Mãſuetudo	Quę ſedat, & moderatur omnes motus iræ.
9 Fides erga proximum	Quæ reddit nos fedes, erga proximum, & obſeruatores pactorum, & promiſſionum.
10 Modeſtia.	Quæ excludit omnem ſuſpicionem faſtus, & arrogantiæ.
11 Continentia.	Quæ facit nos abſtinere non ſolum ab exceſſu, in cibis, ſed etiam ab omni alia nequitia.
12 Caſtitas.	Quæ conſeruat mentem caſtam, in corpore caſto.

Vſus iſtorum duodecim fructuum ſpiritualium illuc tendit, quod Virtutes theologales, ſimul cum cardinalibus expediant, in nobis earum vires, & operationes, & ſic expeditæ perfectionem afferant. Præterea ad hoc, vt homo Chriſtianus remaneat inſtructus, veluti, ſpirituali quadam armatura, contra opera carnis. Spiritu ambulate, & deſideria carnis non perficietis S. P. ad Gal. 5. ſi Spiritu facta carnis mortificaueritis, viuetis S. P. ad Rom. 8.

3 *Virtutes intellectuales.* §. 2.

Sunt quinque. Tres intellectuales ſpeculatiuæ, & primæ in ordine: & duæ intellectuales practicæ. Pro earum explicatione habetur ſupra proprius Titulus.

1 Intellectus.	Eſt habitus principiorum, quo conſenſum præſtamus primis, & per ſe, notis principijs ſcientiarum.
2 Scientia.	Eſt habitus demonſtratiuus, circa rem neceſſariam, quæ non poteſt aliter haberi, nec poteſt ſtare, alio modo, ideſt, vt de illa eſt ſcientia in vniuerſali.

3 Sapientia.	Est quædam exactissima scientia, qua non solum cognoscit ea, quæ sunt, & proueniunt à principijs, & per causas vniuersales, sed etiam ea iudicat à principijs aliarũ scientiarum. Solet etiam à Theologis appellari donum Spiritus Sancti.
4 Ars.	Est habitus verus effictiuus, cum ratione.
5 Prudentia.	Est habitus actiuus, cum vera ratione, circa ea, quę sunt, & bona, & mala, homini.

4 *Virtutes Cardinales. Sunt quatuor. Ad istas omnes aliæ Virtutes morales reducuntur.* §. 3.

1 Prudentia.	Est recta ratio agibilium.
2 Iustitia.	Est constans, & perpetua voluntas, ius suum vnicuique tribuens.
3 Fortitudo.	Est firmitas animi, in sustinendis, & repellendis jis, in quibus maximè difficilè est, habere firmitatem: scil: in aliquibus periculis grauibus. Vnde M. Tull: dicit. Fortitudo est considerata periculorum susceptio, & laborum perpessio. S. Th. 2. 2. q. 123. art. 2.
4 Temperantia.	Est Virtus, quæ moderatur passiones concupiscibilis, circa res delectabiles, secundum tactum.

5 *Aliæ Virtutes morales reductiuæ ad quatuor Cardinales Sub iustitia.*

1 Obediẽtia. S. Th. 2. 2. q. 104.	Est habitus, quo exequimur actus imperatores, quatenus sunt imperati, & vt sic, est virtus specialis; sed quatenus respicit executionem omnium virtutum, est virtus vniuersalis.

2 Libe-

2	Liberalitas S. Th. 2. 2. q. 117. ar: 5.	Eſt virtus, qua in vtilitatem aliorum, conferimus munera, & dona.
3	Veritas, fides erga alterũ, fidelitas S. Th: 2. 2. q. 109. ar: 2.	Eſt virtus, qua verbis, & factis exercemus veritatem, & reddimus veram noſtram promiſſionem, & ideò appellant etiam fides, & fidelitas.
4	Amacitia alias affabilitas S. Th: 1. 2. q. 114.	Eſt virtus, qua, varijs offitijs, inſeruimus amicis, vel reddimus nos iucundos alijs, verbis decentibus, & rebus ſerijs.
5	Æquitas S. Th: 2. 2. q. 112.	Eſt quædam mitis interpretatio legis, & moderatio rigoris.
6	Vindicatio, ſiuè vindicatiua iuſtitia S. Th. 2. 2. q. 80.	Eſt virtus, per quam maleficia quoquè digne compenſantur.
7	Gratitudo S. Th. 2. 2. q. 106.	Eſt virtus, qua compenſamus beneficium, gratiarum actione, animo, verbis, & rebus.
8	Relig: S. Th. 2. 2. q. 81.	Eſt virtus, qua redditur debitus cultus Deo.
9	Pietas S. Th. 2. 2. q. 101. at: 1.	Eſt virtus, qua reddimus debita officia, & tributa Patriç, & Parentibus: & largo modo extenditur ad Diuinum cultum, & opera miſericordiæ.

10 Obseruãtia S. Th. 2. 2. q. 102.	Est virtus, qua exhibemus reuerentiam illis, qui sunt maiores nobis, vti sunt superiores, & virtuosi, & digni.
11 Deuotio, S. Th. 2. 2. q. 82. ar: 1. & 2.	Est actus spiritualis voluntatis prumptæ, tradendi se ipsũ, & res, famulatui Diuino.
12 Meditatio, & contemplatio.	Est pars, & causa intrinseca deuotionis.
13 Oratio S. Th: 2. 2. q. 83. ar: 1.	Est actus præcipuus religionis.
14 Lætitia S. Th: 2. 2. q. 82. ar: 4.	Est effectus deuotionis, hoc modo. Deuotiõ causat, per se, & principaliter spiritualem lætitiam mentis; per accidens, tristitiam, quæ est secundum Deum. In passione Christi bonitas, & benignitas Dei lætificant, defectus humani contristant, sed spes Diuini auxilij delectat. Si affectus deuotionis sit inconstans, & effusus, tunc erit potius passio, quàm virtus.
15 Magnificẽtia, S. Th: 2. 2. q. 134. ar: 4.	Est virtus, quæ versatur circa magna dispendia, in vtilitatem aliorum, sed à ratione regulata, &c.

6 Virtutes sub fortitudine.

1 Magnanimitas S. Th: 2. 2. q. 129. ar: 5.	Ista moderatur spem, & desperationem, circa dignitates, & honores, quatenus sunt quoddam bonum arduũ. Vel est Virtus perficiens animum, ita vt operetur rectè, causa res magnas, & præsertim causa honores.

2 Paciencia S. Th: 2. 2. q. 136. ar: 4.	Est virtus, qua promptè tolleramus contraria nostris sensibus irrationabilibus, Vel est Virtus roborans animum, contra tristitias, ita vt non opprimatur.
3 Perseuerantia S. Th: 2. 2. q. 137. ar: 2.	Est virtus perficiens animum, immò sustinens diuturnitatem operationis virtuosæ, quatenus est necessariũ, & in rebus difficilibus.
4 Longanimitas Greg: de Valen. t. 3. f. m. 1731.	Est virtus, qua animus fertur moderatè, & sine anxietate, mediante spe, & expectatione, in id, quod longanimiter differtur.
5 Constantia S. Th: 2. 2. q. 137. ar: 3.	Est virtus animi, qua firmiter homo persistit, in bono, contra difficultates, prouenientes ab impedimentis.
6 Fiducia S. Th: 2. 2. q. 129. ar: 6.	Est virtus perficiens animum, ad aggrediendum opus arduum, citra tamen præsens periculum morris. Pertinet ad Magnanimitatẽ, quia est concipere spem alicuius rei ex aliquo considerato, vel in alijs, vel in se ipso, &c.
7 Securitas S. Th: 2. 2. q. 129. ar. 7.	Est virtus placans, & confirmans animum contra nimiã anxietatem, & curas sollicitas à timore concitaemt. Nõ omnis securitas est laudabilis, sed illa tantum, quę ponit curam, vti debet, & in ijs quibus non oportet timere.

7 *Virtutes sub temperantia.*

1 Modestia, S. Th. 2. 2. q. 160.	Est virtus constituens moderationem, in actionibus humanis, & præsertim in extremo motu corporis.

2 Clemen-

2 Clementia. S. Th. 2. 2. q. 157.	Est lenitas superioris in inferiorem, & importat modũ, conuenientem rectæ rationi, in ipsa punitione externa.
3 Mãsuetudo S. Th. 2. 2. q. 157.	Est virtus, qua moderatur ira. Distinguitur à clementia, quia mansuetudo moderatur passiones iræ: clementia actiones.
4 Castitas; Pudicitia S. Th. 2. 2. q. 51. art. 4.	Est species temperantiæ, statuens moderationem, circa delectabilia sensus venerei.
5 Humilitas. S. Th. 2. 2. q. 161.	Est virtus ita cohibens passionem spei, & audaciæ, vt homo nolit in quolibet genere, quod sibi tribuatur plus quàm conueniat; habito respectu propriæ dignitatis.
6 Verecũdia. S. Th. 2. 2. q. 144. ar. 1.	Est horror turpitudinis, contrariæ honestati: quatenus est quædam laudabilis extimulatio honoris, potest dici virtus, sed quatenus est timor facinoris perpetrati, vti exprobrabilis, erit passio.
7 Abstinẽtia. S. Th. 2. 2. q. 146.	Est quædam temperantia, statuens moderationem circa vsum ciborum.
8 Sobrietas. S. Th. 2. 2. q. 149.	Est quædam temperantia, statuens moderationem, circa vsum potus.
9 Virginitas S. Th: 2. 2. q. 152.	Est virtus, quæ perficit temperantiam, qua firmo animo conseruamus corpus illæsum ab omni actu venereo.
10 Pax. S. Th: 2. 2. q. 29.	Est vnio omnium motuum interiorum, & omnium potentiarum, ita vt cor pacatum maneat.

10 Concor-

11 concordia S. Th: 2. 2. d.q.29.	Dicit relationem ad alterum, & importat vnionem voluntatis, diuersorum,in vnum.
12 Humanitas. Lenitas. Festiuitas. Iucunditas. Benignitas.	Est illa mansuetudo, & facilitas, quæ propriè, & soli huomini conuenit. Humanum propriè dicimus eũ, qui erga hominem, amoris,& miserationis seruat effectum. Appellatur etiam mititas,lenitas,facilitas,benignitas, mansuetudo, & propriè pro amore in homines accipitur.
13 Beneuolẽtia.	Est actus internus, quo alterum amamus. Si parentes erit pietas;si consanguineos,amor naturalis consanguinitatis;si proximum propter Deum,Charitas;si proptebenefitia,gratitudo.
14 Beneficiẽtia S.Th.2.2.q.31.	Est actus externus,quo sub qualibet ratione boni,fit beneficium alteri.
15 Philothimia.	Est virtus temperans passiones concupiscibilis, circa mediocres honores, & dignitates, cum magnanimitas sit circa magnos honores, &c.
16 Eutrapelia	Est virtus,qua exhibemus nos iucundos alijs,in ludis,& conuersationibus,cum dignitate, & decore. Eius obiectum est iucunda communicatio sui ipsius, quatenus affert delectationem illi,cui communicatur.
17 Misericordia.	Est dolor alienæ calamitatis, & quia est motus, si regulatus,erit virtus,aliter passio.
18 Parcitas.	Est virtus,qua contentatur homo,in cultu,& apparatu, opportunis, & decẽtibus,ad benè, & honestè viuere, &c.
19 Simplicitas.	Est habitus moderatiuus sollicitudinis, qua anxiatur homo,

	homo, in procurandis sibi bonis exterioribus, necessarijs ad victum, & vestitum.
20 Nemesis.	Est tristitia de prosperitatibus malorum. Sed quia contingit dari, in hoc, laudabile medium, & duo extrema vitiosa, dicitur laudabilis passio. Nemesius est medius inter placidum, & inuidum.
21 Continē-tia.	Est habitus inuictus ab omni delectatione venerea, & vt sic est pars subiectiua temperantiæ. Accipitur etiam, vti generalis virtus, & applicabilis ad omnes virtutes, & vt sic dicitur refrenatiua cuiuscunque inordinati appetitus, & à verbo (continere) idest quasi inuitum, & repugnantem tenere, ne suo agat libito. Vnde continens appellatur, qui tenet appetitur, ne sectetur amorem in honestum, nec iram, nec auaritiam, nec fraudem, &c.
22 Pudor, erubescentia, &c.	Est timor exprobrationis alicuius malæ cōmissæ actionis. Non est virtus, sed laudabilis passio, & effectus bonus, quia erigit animum à lapsu.

S V M M A R I O L A.

1 *Theologales Virtutes esse tres.*
2 *Appellari infusas, quia proprijs viribus non acquiruntur.*
3 *Cur tres, & non plures.*
4 *Esse necessarias, absolutè.*
5 *Cur appellentur theologales.*
6 *Alia ratio necessitatis.*
7 *Iterum ratio necessitatis.*
8 *Differre specie à moralibus, & alijs, &c.*
9 *Quæ sit maior harum trium.*
10 *Charitas informat fidem, &c.*



DE VIR-

DE VIRTVTIBVS THEOLOGALIBVS, IN GENERE secundum S. Th: 1. 2. q. 62.

Caput XXXXVII.



1 RES sunt. 1. Fides. 2. Spes. 3. Charitas. Non acquirun-
2 tur proprijs viribus. Donantur à Deo: Appellantur
3 Virtutes infusæ. Tres sunt, & non amplius, & hoc
conuenienter, iuxta. S. Thom. hic, ar. 3. Nam homo
ad finem suum connaturalem ordinatur, mediante
intellectu, & voluntate. Ista non possunt attingere finem super
naturalem, iuxta illud. Nec oculus vidit, nec auris audiuit, nec in
cor hominis ascendit, quæ præparauit, &c. ergo perfeci debent ali-
quo super additamento, ad hoc, vt intellectus, & voluntas ordinen-
tur ad finem super naturalem. Intellectus perficitur fide. Voluntas
spe; & charitate, spe, quoad motum intentionis, tendentis in idi-
psum, vti in illud, quod est possibile consequi. Charitate, quoad
certam vnionem spiritualem, qua transformatur certo modo, in
illum finẽ, ergo conuenienter connumerantur tres virtutes Theo-
logicæ.

Sunt necessariæ simpliciter, & absolutè: Nam homo tendit ad
4 beatitudinem super naturalem, quæ excedit vires naturales. Vnde
non potest, proprijs viribus naturalibus illam acquirere, & suf-
ficienter esse ordinatus ad eam, sed necessarium est, quod alia
principia supernaturalia adiungantur, quibus ordinetur, ad illam
felicitatem supernaturalem, sicut, principijs naturalibus, homo
ordinatur ad finem connaturalem. Ista principia super naturalia
5 appellantur Virtutes Theologicæ. 1. quia habent Deũ pro obiecto.
2. quia à Deo solo infunduntur. 3. Quia sola reuellatio Sacræ Scri-
pturæ eas nobis manifestauit.

Ad credendum; Ad sperandum; Ad amandum; necessarium est adiutorium Dei supernaturale. Est definitio fidei, iuxta illud. Sine me nihil potestis facere. Ioan: 15. Nemo potest dicere Dominus Iesus, nisi in Spiritu Sancto. 1. Ad Corint: c. 12. Non sumus sufficientes cogitare aliquid, ex nobis, quasi ex nobis, &c.

Sunt etiam necessariæ, quia Deus disponit omnia suauiter, &

6 mouet quamlibet Creaturam, ad suum finem, principijs intrinsecis, ergo spectat ad suauem dispositionem Dei, mouere hominem, principijs intrinsecis supernaturalibus.

Praeterea cum homo destinatus fuerit, ad beatitudinem su-
7 pernaturalem, & ad illius consecutionem sint necessariae operationes supernaturales necessarium etiam erit, constituere, in animis nostris, principia supernaturalia, proportionata operationibus supernaturalibus.

Virtutes theologicae ab intellectualibus, & moralibus, specie,
8 distinguuntur. Nam morales, & intellectuales sunt, secundum naturam hominis: Theologicae supra naturam hominis. Illud, quod est, secundum naturam, differt ab illo, quod est supra naturam. Item morales, & intellectuales habent, pro obiecto, illud, quod potest comprehendi, humana ratione. Theologicae habent, pro obiecto, Deum, qui excedit humanam facultatem.

Fides est prior spe, & Charitate. Nam. 1. requiritur cognitio. 2.
9 Spes, 3, Charitas: sed ordine perfectionis, charitas est maior fide, &
10 spe: Nam charitas informat fidem, & spem. Quoad habitum, sunt aequales, quia simul infunduntur.

Charitas Informat fidem, & spem, quia facit, quod illae virtutes non sint humanae, & philosophicae, sed Diuinae, & Euangelicae. Commutant totum hominem, & faciunt illum, iustum, & felium Dei: Dant vigorem vincendi mundum, infernum, et Carnem, iuxta illud. Sancti per fidem vicerunt regna, operari sunt iustitiam, &c. Haebr: 11. Fides informata charitate, et dilectione operante, facit quod omnes aliae virtutes sint Diuinae, et referantur in Deum, summe amatũ: Sed fides, distituta charitate, appellatur, informis, impotens, et otiosa, iuxta illud. Si habuero omnem fidem, ita vt Montes transferam, charitatem autem, etc. 1. Corint: 13.

S V M M A R I O L A.

1 *Fides quid.*
2 *Obiectum fidei, prima Veritas.*
3 *Rem visibilem non posse esse obiectum fidei.*
4 *Articulos fidei non esse mutatos.*
5 *Papa tantum explicat, & ordinat articulos fidei.*
6 *Fidẽ esse in intellectu speculatiuo.*
7 *Fides informata charitate, est Virtus, & non aliàs.*

8 *Virtus*

8 *Virtus est habitus, quo actus humanus redditur bonus.*


9 *Actus fidei, informatus, quatenus est ab intellectu, habet profectionem infallibilitatis.*

10 *Fides, quatenus procedit à motione voluntatis, habet perfectionẽ charitatis.*

11 *Alia ratio, ob quam est Virtus.*

DE FIDE, QVATENVS EST VIRTVS Theologica.

Caput XXXXVIII.



IDES est substantia rerum sperandarum argumen-
1 tum non apparentium. Hębr: 11. Nempe est princi-
pium, fundamentum, & essentia rerum, quas spera-
mus. Res à nobis speratę sunt. visio clara Dei. 2. Re-
surrectio gloriosa nostrorum corporum. 3. Alia om-
nia pertinentia ad nostram beatitudinem; fides sustinet, in nobis,
omnia ista bona, & facit, quod habeant in nobis eorum principiũ,
& essentiam, & quod certo modo ea possideamus, & sicut stant in
principijs, & in primis fundamentis, conclusiones, & scientia, quæ
ab illis deriuat, bono discursu rationis, ita in fide, vt in sua radice, cõ-
tinentur omnia sperata à Deo. Dicitur etiam fides argumentum
rerum non apparentium, quod importat, fidem esse firmum assen-
sum rebus inuisibilibus, quas nec videmus oculis, neque tangimus
rationibus naturalibus, qui assensus, vti argumentum infallibile,
causatur ab authoritate Diuina, quæ ea reuelauit.

Obiectum formale fidei est prima veritas, & sic fidei non potest
2 subesse falsum, S. Th. 2. 2. q. 1. art. 1. 2. Non potest esse obiectum
3. fidei res visibilis, neque secundum sensum, neque secundum intel-
lectum, Nam intellectus firmiter credit, cum electione voluntaria,
inclinando firmiter, sine formidine, plus in vnam, quam in alterã
partem: vt. S. Thom. Apost: qui hominem vidit, et credidit esse
Deum.

Articuli fidei, quoad substantiam, secundum successionem tem-
5 porum, non creuerunt, sed sic quoad explicationem. vnde multa
creduntur modo, explicitè, quę prius credebantur implicitè. S. Th:
d.q.1.ar:7.

Ad summū Pontificē spectat ordinare simbolū fidei, quia caput, & pro quo Christus Dominus rogauit, &c. vt non deficeret fides, &c. & quia vnica tatum debet esse fides, cum tota Ecclesia. S. Th: d. q. 1. ar: 10.

Fides est prima Virtutum, quia nobis manifestat Deum, Per accidens, humilitas, qua remouetur, superbia, quæ inducit intellectū ad recusandum se submittere fidei, erit nobilior virtus. S. Thom: 2.2. q.4. ar: 7.

Fides est in intellectu, vt in subiecto. Nam obiectum credendi,
6 est verum, vti diximus, & est in intellectu speculatiuo: & ista fides per extensionem fit practica (dum est operatiua, cum charitate) imperio voluntatis. S. Thom: d. q. 4. ar: 2.

Fides, informata charitate, est propriè virtus, sed informis non
7 propriè virtus. Ratio. Virtus est habitus, quo actus humanus
8 redditur bonus, & perfectus. Fides informata est iste habitus, ergo, &c. Probatur minor. Nam actus fidei informatus, quatenus, est ab
9 intellectu, habet perfectionē infallibilitatis, & certitudinis, & quatenus procedit à motione voluntatis, habet etiam perfectionem
10 Charitatis, qua refertur ad vltimū finem, ergo actus fidei, informatus omni ex parte, est perfectus. S. Th: 2.2.q.4.ar.5. Preterea dicitur
11 virtus, quia fides stat in intellectu, apprehendit bonum infinitum, quod est Deus, & istud bonum est arduum, & difficile consequi, sed tamen possibile, cum Dei adiutorio.

Dubitatur, an fides sit certior scientijs, & alijs virtutibus intellectualibus. Respondetur affirmatiuè. Nam Verbum Dei est certius, & sic à parte rei, fides est certior. Sed ex parte subiecti, nempe intellectus, non est, quia intellectus percipit plenius obiecta scientiarū.

S V M M A R I O L A.

1 *Spes quid.*
2 *Certitudinem esse de essentia spei.*
3 *Fidem præstare certitudinem spei.*
4 *Certitudo spei deriuat in voluntatem.*
5 *Ista certitudo consistit in hoc, quod motus voluntatis est certus.*
6 *Est Virtus, & ratio.*
7 *Eius obiectum esse beatitudinem.*
8 *Esse virtutē distinctā ab alys, &c.*

DE SPE,

DE SPE, QVATENVS EST VIRTVS Theologica.

Caput XXXXIX.



1 PES, est donum, & habitus supernaturalis, quem Deus infundit in animam, quo voluntas mouetur, & erigitur, supra suas vires naturales, ad sperandam æternam beatitudinem, auxilio, & gratia Diuina, & meritis bonum operum, quæ procedunt ab eadem gratia, & adiutorio Dei. Spes ista debet esse certa, ita vt cum certitu-
2 dine speremus à Deo Beatitudinem, & auxilum, ad illam consequē-
3 dam. Fides est illa, quæ præstat certitudinem spei, quia à fide, quæ
4 residet in intellectu, vbi propriè stat certitudo, deriuat altera certitudo, spei, in voluntatem, quæ etiam dicitur certitudo, quia habet similitudinem, cum certitudine intellectus, & participat in illa. Ista
5 certitudo consistit in hoc, quod motus, & vis voluntatis, quę prętē-dit finem beatitudinis, est certus, & non fallitur, & hunc cū certitudine consequitur S. Thom: 2. 2. q. 18. per tot:

Est virtus, quia facit actum bonum, attingentem debitā regulā,
6 nempe Deum, & quia est de bono arduo, futuro, possibili: Beatitu-
7 do æterna est eius obiectum. Est Virtus distincta ab alijs, quia modo distincto stat inhęrens obiecto, idest quatenus, est principium perfectę bonitatis, in nobis. Fides cognoscit Deum, quatenus est principium cognoscendi veritatem. Charitas distinguitur, quia suum obiectum est considerandi Deum, quatenus vnit mentem hominis, ipsi Deo, per amorem. S. Th: 2. 2. q. 17. ar. 1. 2. 5. & 6.

SVMMARIOLA.

1 *Charitas, quid.*
2 *Esse maiorem alijs, &c.*
3 *Amorem inter Deum, & hominem esse amicitiæ.*
4 *Esse Virtutem specialem.*
5 *Hac Virtute iungi nos Deo.*
6 *Posse augeri in infinitum.*
7 *Quomodo in hac vita possit esse perfecta.*
8 *Homo tenetur amare se ipsum, charitate.*
9 *Amicitia tendit in alterum.*

10 *Aliquid maius existere, in nobis, amicitia.*
11 *Amor est Virtus vnitiua.*
12 *Vnitas in quolibet reperitur.*
13 *Vnitas in se ipso, est potior vnione ad alterum.*
14 *Amor, quo quisq; amat se ipsum, est forma, & radix amicitię.*
15 *Amicabilia, quæ sunt ad alterum veniunt ex his, quæ sunt ad se ipsum.*
16 *Peccator quomodo amandus.*
17 *Charitatem non dari sine alijs Virtutibus.*
18 *Charitas, in nobis est radix.*
19 *Fides non fuit in Domino nostro Iesu Christo.*

DE CHARITATE, QVATENVS EST VIRTVS, Theologalis.

Caput L.

1 CHARITAS est Virtus infusa, à, Deo, in animã qua homo amat Deum, vt obiectum, & vltimũ finem, in cuius visione, & amore, consistit beatitudo, & amat Deum, propter ipsum Deum, & se ipsum, & proximum, propter eundem Deum.

2 Est maior, seu principalior, inter tres Theologicas: Nam fides respicit Deum, vt principium agnitionis, veritatis credendæ. Spes, vti supremum authorem, à, quo deriuanda est beatitudo: sed Charitas sistit se in ipso Deo, & amat ipsum, propter ipsum. S. Th. 2.2.q. 33.ar.3. S. Paul. 1. Corint. 12.

3 Inter Deum, & hominem interuenit amor amicitiæ, quia est mutuus, & reciprocus, innixus communicatione, quam Deus nobis participat, suæ beatitudinis. Nam quando in re amata quærimus tantum bonum nostrũ, & non amari, est amor concupiscentiæ: ita amamus equum, canem, &c. S. Thom. 2.2.q.23.art.1.

4 Est virtus, & specialis, quia sicut attingere rectam rationem format actum virtutis moralis, ità attingere Deum, qui est supra regulam humanorum actuum, facit, quod sit charitas, qua congiun-
5 gimur Deo, super quem fundatur. Prętera, sicut bonum Diuinum, vti est, obiectum beatitudinis, habet specialem rationem boni, ergo, & Charitas, cuius bonum est amor. S. Thom. d.q.23.ar.3.4.& 5.

Charitas potest augeri in infinitum, hoc modo. In augmento Charitatis,

6 Charitatis, non adest terminus, quia est participatio infinitæ Charitatis, & Deus agens, & augens, est infinitæ Virtutis, & in subiecto, quod est homo, dum crescit Charitas, crescit etiam habilitas, ad maiorem charitatem. S. Thom: 2. 2. q. 24. ar: 7.

Charitas in hac vita potest esse perfecta, hoc modo. Charitas
7 perfecta, ex parte obiecti, quatenus est diligibile, non potest esse, nisi in Deo infinito. ex parte diligentis, potest esse perfecta Charitas, quando homo amat Deum, quantum potest; & hoc sequitur, quando totum cor actuatur in Deo, Iste actus datur in Patria, sed non in Via. Vel quando homo, dimissis omnibus, ponit omne studium suum, ad seruiendum Deo, & nullum subtrahit tempus, nisi quatenus requirit necessitas Vitæ. Ista perfectio non est in omnibus iustis, sed in paucis tantum. Vel quando homo habitualiter ponit totum cor suum in Deo, & respuit omnem rem, contrariam Deo. Ista perfectio est communis omnibus iustis. S. Thom. 2. 2. q. 24. art. 8.

Homo tenetur amare se ipsum virtute Charitatis, vt probat S.
8 Thom: 2. 2. q. 25. ar: 4. hoc modo. In leuitico dicitur, quod amemus amicum, vti nos ipsos, sed amamus amicum Charitate: ergo, & nos ipsos debemus amare Charitate. 2. In nobis relucet illa Diuina bonitas, vt in imagine sui ipsius: & sumus capaces beatitudinis, & vti tales debemus amare nos ipsos, propter Deum, motiuo Charitatis. 3. Sub communi ratione amicitiæ, non potest dici, quod sit amicitia propriè respectu sui ipsius, quia amicitia tendit in alterum; Sed
9 in nobis ipsis adest aliquid maius amicitia: Nam amicitia importat
10 quamdam vnionem, & amor est virtus vnitiua sed in quolibet est
11 vnitas, in ordine, ad se ipsum, quę vnitas est potior vnione ad alterū:
12 Vnde sicut vnitas est principium vnionis, ita amor, quo quilibet
13 amat se ipsum, est forma, & radix amicitiæ: In hoc enim amicitiam
14 habemus ad alios, qua ad eos nos habemus, sicut ad nosmetipsos. Dicitur enim in. 9. Ethic: quod Amicabilia, quæ sunt ad alterum,
15 veniunt ex his, quæ sunt ad se ipsum.

Erga peccatores tenemur habere Charitatem hoc modo. In pec-
16 catore duo considerantur. 1. Natura. 2. Culpa. Secundum naturā quam à Deo habet, & vti capax beatitudnis, debet amari peccator, motiuo Charitatis: secundum culpam, cum sit contraria Deo, & impeditiua beatitudinis, debet odio haberi peccator, etiam

Pater,

Pater, Mater, &c. S. Luc: 14. Nam debemus in Peccatoribus odio habere, quatenus sunt peccatores, & amare eos, quatenus, sunt homines Capaces beatitudinis, & sic iste amor erit secundũ Charitatem S. Thom: 2. 2. q. 25. ar: 6. Vnde non licet desiderare peccatori, mortem iniustam, vel pænam damnationis, vel illum odio formali prosequi, vel aliud malum iniustum ei desiderare, sed erit licitum tamen desiderare peccatori, sub ratione boni, mortem iustam, vel aliam iustam castigationem, ei infligendam à Deo, vel à Iudicibus, quamuis non sit licitũ propria authoritate illũ castigare.

17 Charitas non potest stare sine alijs virtutibus moralibus: nam morales, cum illa à Deo infunduntur, & amissa charitate, amittuntur etiam omnes virtutes infusæ, quamuis virtuosi patiantur difficultatem, in actibus illarum S. Thom: 1. 2. q. 65. ar: 3. Neque etiã datur Charitas, sine fide, & spe; Nam illa mediante derigimur ad obiectum beatitudinis, quod per fidem, et spem tenemus S. Thom: 1. 2. q. 65. ar: 5.

In nobis Charitas est radix, dans perfectionem fidei, & Spei. In
18 Christo non fuit fides, vel spes, sed, loco ipsarum, habuit visionem,
19 et comprehensionem S. Thom: d. ar: 5.

S V M M A R I O L A.

1 *Prudentia quid: eius officium.*

2 *Prudentiam esse, in ratione, & intellectum cognitione veritatis perficere.*


3 *Prudentiæ partes tres.*
- 1 *Consultatiua.*
- 2 *Iudicatiua.*
- 3 *Executiua.*

4 *Prudentiam esse quandam speciẽ sapientiæ.*

5 *Prudentiam reperiri in hominibus, habentibus gratiam.*

6 *Prudentiæ species quinque.*
- 1 *Monostica.*
- 2 *OEconomica.*
- 3 *Politica.*
- 4 *Militaris.*
- 5 *Regnatiua.*

7 *Prudentiam reperiri in Principe, & in subditis, diuersimodè.*



DE VIRTVTE PRVDENTIÆ.

Caput LI.



1 RVDENTIA est recta ratio agibilium. Omnes. Quod importat. Prudentiæ officium esse, dirigere omnes actiones humanas, secundum rectam rationem: ipsa enim disponit, & applicat operi id, quod recta ratio docet faciendum esse, in qualibet actione, ad bene, & virtuose viuendum, & ad consequendum finem particularem cuiuslibet virtutis, & finem vniuersalem omnium virtutum, quæ est beatitudo: Nam vir bonus, exercendo prudentiam, respicit finem, quem prætendit, qui tamen vnicus esse debet, nempe operandi virtuose, honorandi Deum, & aquirendi ęternam beatitudinem, secũdum istum finem, in omni materia, & operatione sua cogitat de medijs, quibus possit consequi prętensum finem. Considerat etiam circunstantias temporis, loci, Personarum, modi, & aliarum rerum, quibus opus bonum agere intendit, & quæ media adhibebit, in operando, ita vt, in exercendo vnam virtutem, non agat contra regulas alterius virtutis, vt si exerceat abstinentiam, vel misericordiã, non destruat chariiatem vel iustitiam, sed taliter satisfaciat illi virtuti, quam pręmanibus habet, vt etiam alijs virtutibus non pręiudicet, & consequatur finem operandi, & viuendi Sanctè. Vnde licet pru-
2 dentia sit in ratione, & intellectu, cognitione veritatis, perficiat, tamen etiam voluntatem perficit, quia ordinatur ad operandum bene, cum ipsa.

Ista autem consideratio, & applicatio ad media, & ad circunstan-
3 tias boni operis fit à prudentia, mediante virtute, que appellatur cõsultatiua, ad quam pertinet inuenire mediã, ad benè operandum, & super istis medijs petit consilium à ratione, & ab hominibus prudẽtibus, & præsertim à Deo, orationibus.

Post istam consultationem, & inuentionem mediorum, pro benè operando, eligit quod sibi melius videtur, mediãte alia virtute, quæ vocatur iudicatiua, ad quam pertinet, post consultationem iudicare, & determinare, quæ ex dictis medijs eligi debeant pro benè operando; quæ virtus facit hoc iudicium, considerando dispositiones

tiones legum iustarum, bonarum consuetudinum, legis naturalis, rectę rationis, & maximè legis Euangelicæ, à Deo reuelatæ, & promulgatæ, ac etiam ea, quæ Sanctis inspirationibus Deus secretè manifestat, in cordè seruorum suorum; Post istud iudicium, & istam sententiam, Prudentia ordinat, & imperat executionem rei illius. Iste est actus, & proprium exercitium Prudentiæ imperare executionem eius rei, quæ consultata, & iudicata fuit faciendam esse. S. Th: 2.2.q.47.ar.1.

Vnde. S. Augustinus. Prudentia, est scientia rerum illarum, quas debemus amare, & concupiscere, & illarum, quas odio habere, & fugere debemus, quia est, cognitio practica, & efficax, quæ ordinat, & dirigit omnes actiones, iuxta rectam rationem, & Diuinam legē. S. Aug: lib: 1. De lib:arb:c.13.

Prudentia est quædam species sapientię, et notitiæ practicæ, qua
4 homo iustus, in operibus humanis, cognoscit bonum, et approbat et malum, et reprobat, et applicat cognitionem veram rerum vniuersalium, rebus particularibus, ab ipso exequendis. S. Th:2.2.q.47. ar:2. Ideo in scriptura Sacra, dicitur, scientia sanctorum prudentia est Prou:9. Sapientia viri præstantis Prudentia est, Prou: 10. quare benè, dixit. S. Bernard: Sermon: 49. in Cant: Prudentiam, et discretionem non solum esse virtutem, sed etiam Ducem, et magistram, omnium virtutum, quæ moderatur omnes affectiones animæ, et docet omnes bonos mores, et ipsam esse, quæ dirigit, et ponit limites omni virtuti, et quæ dat firmitatem, et pulchritudinem omni operi bono.

Nam, et si officiū sit cuiuslibet virtutis eligere medium, quod ratio dictat, tamen ad disponendum, et ordinandum istud medium ita vt vna virtus alteram non impediat, non sufficit virtus particularis, sed necessaria est prudentia, et discretio, quę applicet regulā rectę rationis, exercitio cuiuslibet virtutis: et quia ratio humana non pertingit omnes veritates, quæ requiruntur ad bonam vitam, quia nō cognoscit finem super naturalem beatitudinis, neque media supernaturalia, quæ fides docet, ad consecutionem, ideò vltra prudentiā humanam, quæ est virtus moralis, est necessaria alia Prudentia, quę est virtus Diuina, et à Deo infusa animæ, quæ sequitur legem reuelatam à Deo, in Euangelio, et eam applicat operibus particularibus omnium virtutum ad dandam, cum ipsis, gloriam Deo, et ad consequen-

ſequendum finem ſuper naturalem beatitudinis. Hinc Prou: 2. ex ore Dei prudentia, et ſcientia.

Hinc infertur. Prudētiam pertinere ad rationem practicam, et nō ſpeculatiuam: quia eſt recta, ratio agibilium. S. Th: 2. 2. q. 47. art. 2.

Item prudentiam eſſe cognoſcitiuam ſingularium, quia applicat vniuerſalia ad opus particulare S. Thom: 2. 2. q. 47. ar: 3.

Item Prudentiam eſſe virtutem intellectiuam moralem, quia applicat bonum, ſub ratione boni: S. Thom: d. q. 27. ar. 4.

Item Prudentiam eſſe virtutem ſpecialem, quia habet ſpeciale obiectum formaliter ab alijs diſtinctum, ideſt contingentia. S. Th: d. q. 47. ar. 5.

Item Prudentiam non præſtituere finem virtutibus moralibus, ſed diſponere de his, quæ ſunt ad finem: S. Thom: d. q. 47. ar. 6.

Item Prudentiæ eſſe inuenire medium, in virtutibus moralibus, quia per hanc conformantur rectæ rationi. S. Thom: d. q. 47. ar. 7.

Item Præcipere eſſe principalem actum Prudentiæ; quia eſt, propinquor fini, et applicat medium ad finem. S. Thom: d: q: 47. ar. 8.

Item Solicitudinem pertinere ad Prudentiam quia, eſt motus, ſecundum præceptum, et directionem rationis. S. Thom: d: q. 47. art. 9.

Item Prudentiam ſe extendere ad regimen multitudinis, quia bonum commune eſt melius, quaſi totum parte. S. Thom: d. q. 47 art: 10.

Item Prudentiam veram ad bonum finem totius vitæ non poſſe eſſe in peccatoribus, quia eſſent boni, ſed falſam, ad malum finem, ſic: Vnde dicitur prudens latro, et de prudentia indifferentium, prudens negotiator S. Thom: d: q. 47. art: 13.

Item Prudentiam reperiri in hominibus habentibus gratiam, 5 quia nullus eſt virtuoſus ſine prudentia, et in dubijs ſaltem ſibi conſulunt, conſilia petendo. S. Thom: d: q. 47. ar: 14.

Item Prudentiam nobis non in eſſe à natura, ſed per experientiã vel doctrinam: ineſſe tamen principia naturalia. S. Thom: 2. 2. d: q. 47. ar: 15.

Item Prudentiam non poſſe amitti per obliuionem, ſed tamen impediri, quia non conſiſtit in ſola cognitione, ſed etiam in appetitu, quia principalis eius actus eſt pręcipere, quod eſt applicare cognitionem, habitam, ad appetendum, & operandum ideo prudē-

tia non directè tollitur, per obliuionem, sed magis corrumpitur, per passiones. Dicit enim Arist. 6. Ethic: quod delectabile, & triste peruertit æstimationem Prudentiæ, Vnde Dan: 13. dicitur. Spes decepit te, & concupiscentia subuertit cor tuum, & Exod: 23. Ne accipias munera, quæ excæcant etiam prudentes S. Th: d. q. 47. ar: 16.

6 Prudentiæ species sunt quinque, secundum quinque fines, & quinque diuersitates obiecti. 1. Monostica idest regitiua sui ipsius. 2. Oeconomica. 3. Politica. 4. Militaris. 5. Regnatiua. S. Thom: 2. 2. q. 47. ar: 11.

Nam ex relatione, ad diuersos fines, diuersificantur species habitus. Diuersi autem fines sunt, bonum proprium vnius, & bonum familiæ, & bonum Ciuitatis, & Regni. Vnde necesse est quod Prudentiæ differant specie, secundum differentiā horum finium. Prudentia quæ ordinatur ad bonum proprium dicitur simpliciter Prudentia: quæ ordinatur ad bonum commune domus, vel familiæ dicitur œconomica: quæ ordinatur ad bonum Cōmune Ciuitatis, & Regni, dicitur Politica: Prudentia vero Politica subdiuiditur, secundum diuersas species Multitudinis, quæ per ipsam reguntur. Nam si multitudo sit adunata ad aliquod speciale negotium, sicut exercitus congregatus ad pugnandum, tunc dicitur Prudentia militaris, quæ habet suas regulas. Si sit Multitudo Ciuitatis, vel Regni: dicitur prudentia regnatiua, quæ etiam habet suas regulas S. Th: 2. 2. q. 47. ar: 11. & q. 48. ar: 1.

7 Hinc infertur, Prudentiam reperiri in subditis, & in Principe, Sed diuersimodè. In subditis, vt operantibus, In Principe, architectonicè. Hoc modo. Prudentia in ratione est, regere autē, & gubernare propriè rationis est, & ideò vnicuiquè in quantum participat de regimine, & gubernatione, in tantum conuenit habere rationem, & prudentiam. Manifestum est, autem, quod subditus, in quantum est subditus, & seruus in quantum est seruus, non est regere, & gubernare, sed magis Regi, & gubernari, & ideò Prudentia non est virtus serui, in quantum, est seruus, nec subditi, in quantum, est subditus, sed quia quilibet homo, in quantum est rationalis, participat aliquid de regimine, secundum arbitrium rationis, in tantum conuenit, ei prudentiam habere: Vnde manifestum, est Prudentiam quidē in Principe esse ad modū artis architectonicę. In subditis autē, ad modum artis manu operantis. S. Th: 2. 2. q. 47. ar: 12.

SVM-

1 *Prudentia Virtutum Abbatissa.*
2 *Eius necessitas.*
3 *Eius præcepta in genere.*
4 *Prima regula continet dicta præcepta.*
5 *Secunda regula fieri omnibus omnia.*
6 *Tertia regula. 1. Memoria præteritorum. 2. Circunspectio præsentium. 3. Prouidentia futurorum.*
7 *Quarta regula, Pęnitētia, & elęemosina.*
8 *Quinta regula. 1. Oratio. 2. Lectio sacra. 3. Testamentaria dispositio.*
9 *Sexta regula. Diligentia spiritualis.*
10 *Septima regula. Circunspectio, & intelligentiam præsentium.*
11 *Octaua regula. Petere consilium à Deo.*
12 *Nona regula. Consulere homines prudentes.*
13 *Decima regula. Iudicium illustratum ad ponderandum, &c.*
14 *Decimaprima regula. Amittere minora pro conseruandis maioribus.*
15 *Decimasecunda regula. Non esse facilem in credendo.*
16 *Decimatertia. Festinare lentè.*
17 *Decimaquarta Quærere certitudinem moralem.*
18 *Decimaquınta. Diligētia. Promptitudo. Opportunitas in rebus.*
19 *Decimasesta. Charitas in procurāda salute peccatorum.*
20 *Decimaseptima. Patientia in calumnijs.*
21 *Decimaoctaua. Cautio in collatione beneficiorum.*
22 *Decimanona. Peritia sęcularium negotiorum.*
23 *Vigesima. Ordo in actionibus.*
24 *Vigesimaprima. Moderatio linguę.*
25 *Vigesimasecunda. Virtus silentij.*

DE PRVDENTIA PRINCIPIS SACRI, REDVCTIVA etiam, respectiuè ad Monosticā, Oeconomicā Politicā, & Regnatiuam.

Caput LII.



1 PRVDENTIA à Sancto Bernar: Virtutum Abbatiua, nuncupata, necessaria est Principi sacro. Oportet Episcopum irreprehensibilē esse, &c. sobrium, prudentem, etc. S. Paul. 1. ad Thimot. 3. Nam sine prudenria Populi regi non poss sunt, et nulla est Virtus, prudentia non existente; Per me Reges regnant

regnant, & legum conditores iusta decernunt. Prou: 8. Acquire prudentiam, quia pretiosior est argento. Prou. 16. Prudentiam voca amicam tuam. Prou. 7. Ambulate per vias Prudentiæ. Prou. 9. Seruus sapiens dominabitur filijs stultis, & inter fratres hęreditatē diuidet. Prou. 17. cumque filius, natura superior sit, & seruus inferior, adeò tamen potens est sapientia, vt ex seruo non modò liberũ,
3 sed etiam liberis superiorem faciat. Nihil est hominis prudentia dulcius. M. Tull. Cic. lib. 1. Tuscul: quæst: Sola est prudentia, quę rebus omnibus præponitur, quando in homine feliciter reperitur. Cassiad. Epist. lib. 6. Epist. 16. Cùm Episcopus dicatur speculator, vel super intendens, eò quod curam Gregis sibi commissi habere, & mores, & Vitam explorare teneatur, ea, quæ de eo hic exprimuntur, adaptari, quadam analogia, poterunt, ad omnes alios Rectores
4 Populorum, ac etiam ad Patres familias.

Prima regula prudentiæ, in genere. Episcopus debet esse tantę eruditionis, vt omnes motus, gressus, & vniuersa opera eius, sint notabilia, veritatem mente concipiat, & habitu resonet, In loquendo doctrina sit Populorũ. Sit Pastor, in tranquillitate, omnia disponens. In omnibus vijs suis prudentiam agat. In bracchio excelso, Gregem suum præcedat, exemplo, & Dominus erit cum illo. Sit temperans. Non superbus. Negotijs opportunus. Nunquam temerarius. Regentis authoritate dignus, & plenus. Omnibus omnia fiat. Alacrioribus tristem vultum, tristioribus alacriorem ostendat. Leuibus, & vagabundis ne quid, pro arbitrio, aliquid concedat. Solidis, & constantibus ne deneget. Industrijs, & laboriosis remissionē sæpius det. Segnes, & ignauos ad exercitia impellat. Ingluuiosos à lautis mensis repellat. Offitiosos, quietos, sobrios frugales, & mansuetos blandimento foueat. Sit austerus, sine tristitia, comis, sine scurrilitate. Seuerus, cum iucunditate; iucundus sine seueritate. Irascatur, sed modicè: obiurget, sed non contumeliosè. Corrigat, sed non acerbè. Dissimulet interdum, sed cautus. Laudet etiam, sed non profusius. Blandiatur quoquè, sed grauius. Remittat, sed non licentius.

Secunda Regula, in specie est, quod Episcopus se accommodet capacitati Personarum, cum quibus tractat: quia hæc est ordinatio medij ad finem.

Tertia Regula prudentiæ est. Recogitet Princeps sacer partes

prudentiæ,

prudentię, quę ſunt. 1. Memoria rerum pręteritarum. 2. Intelligen-
6 tia, & circumſpectio rerum præſentium. 3. Prouidentia, & cautio
rerum futurarum. His enim medijs benè ordinabit ſuas actiones,
ad earum fines virtuoſos, & ad vltimum finem omnium, qui eſt
gloria Dei. Præſentia habent quandam relationem cum pręteritis.
Quid eſt quod fuit, niſi quod futurum eſt? Quid eſt quod factum
eſt, niſi quod faciendum eſt in futurum? Nihil ſub ſole nouum.
Eccleſ: 1. Ideò oportet prudentem ſcire res præteritas, & eas me-
moria retinere, ad benè iudicandum, & eligendum, de rebus præ-
ſentibus. Altera pars prudentiæ eſt, vt iam diximus, prouidentia
futurorum. Debet enim prudens in Chriſto, ſedulò conſiderare
res ſibi euenturas, tàm in hac, quàm in alia Vita, tàm certas, & neceſ-
ſarias, quàm veriſimiles, & dubias, & bonas, & vtiles, & malas, &
nociuas, ad hoc, vt ad præſens ordinet Vitam ſuam, modo ſibi de-
bito; iſta pars prudentiæ eſt principalior, & magis neceſſaria om-
nibus alijs partibus. Quod innuit Deus; Deutron: 32. Gens abſque
conſilio eſt, & prudentia, vtinam ſaperent, ac intelligerent, ac no-
uiſſima prouiderent.

Quarta regula. Etſi omnia opera bona, quæ à viro iuſto, hone-
ſto fine fiunt, ſint media proportionata, ad cauendum ſibi, in futu-
7 rum, & parandam ſibi æternam beatitudinem, tamen pænitentia,
& eleemoſina ſunt remedia magis propria ad hoc:

Quinta regula. Prudens in Chriſto, debet ſibi æternam beatitu-
8 dinem parare, alijs medijs; nempè. Orationibus. Lectionibus ſacris,
& teſtamentaria diſpoſitione.

Seſta regula. Altera pars prudentiæ, qua operationes humanæ
9 benè diriguntur, eſt cautio quędam, quę etiam diligentia, & indu-
ſtria ſpiritualis appellatur, qua homo prudens, in Chriſto, fugit
falſitates, & deceptiones contrarias virtuti, quę pręſeferunt ſpeciem
veritatis, & rationis, & expellit mala, impedientia virtutem, & ap-
parentia ſub colore boni, & vitia damnoſa animæ ſe ſe in forma
virtutum, offerentia. Vnde Sanctus Baſilius. Vera prudentia co-
gnoſcit, quæ agenda, & quæ non agenda ſint, & intelligit fraudes,
& falſitates, fugiendas, & diſcernit melius à bono, ſcit eligere purũ,
& nitidum, & præterire maculatum, & corruptum à vitijs, ſeq;
retrahit ab omni ſpecie mali.

Septima regula. Præter partes expreſſas prudentiæ, quæ ſunt.

10 Memoria præteriti. Prouidentia futuri, & cautio ad euitanda pericula, habetur altera pars neceſſaria, quę circunſpectio nuncupatur. Eſt autē circunſpectio attenta animæ conſideratio, qua homo prudens in Chriſto, benè introſpicit actiones, quas agit, & omnes circunſtantias ipſarum, ad hoc, vt ſint rectè ordinatæ ad finem ſupernaturalem. Iſta pars prudentiæ à Diuo Auguſt: intelligentia rerum præſentium appellatur: quia ſicut memoria repetimus præterita; prouidentia proſpicimus futura, iſta circumſpectione prudens comprehendit præſentia, quæ pretinent ad perfectionē operis boni, exequendi.

Octaua regula. Quod petamus conſilium à Deo, in omnibus
11 noſtris operationibus. Nam in multis caſibus ſola ratio humana non pertingit verum finem, vel proportionata media, ad finem: ideò neceſſaria eſt lux ſupernaturalis, quam orationibus petere debemus, & quamuis, mediante luce Diuina, ſciamus aliquando, quid à nobis faciendum ſit, tamen non ſufficit ſcire, ſed quærenda eſt etiam à Deo, fortitudo ſupernaturalis, ad exequendum. Fac omnia, (inquit S. Bern: in med: c. 6.) vt filius Dei, ad hoc, vt ſis dignus illo Patre, & Domino, qui dignatus eſt accipere te in filium, & talem te appellare. In omnibus tuis actionibus conſidera Deum pręſentem; pone cor tuum in illo, habens ſemper illum ante oculos, & ora, in omni loco, auxilium implorando.

Nona regula. Petere cōſilium ab hominibus prudentibus. Au-
12 diens ſapiens ſapientior erit, & intelligens gubernacula poſſidebit. Prouer: 1. ſine conſilio nihil facias, & poſt factū non pænitebis. Ante omnem actum conſilium præcedat te. Eccl: 12. Qui agunt, cum conſilio, reguntur ſapientia. Prou: 3. Vis conſilij expers, mole ruit ſua. Horat: lib: 3. car: od: 4. Non abundes in ſenſu tuo, ſed alieno magis acquiſcas conſilio, & iudicio. S. Bern: Qui de ſua vnus ſententia omnia gerit, ſuperbum hunc iudicabo magis, quam ſapientē. Talis etiam eſt voluntas Dei, qui vult exercitium charitatis, in conſulente, & humilitatis in conſulto. Hanc declarauit in Moiſe, quia etſi ipſemet Deus, cum illo familiariter loqueretur, noluit tamen illum erudire, quomodo Populū gubernaret, ſed de hoc, ab Ietro eruderi præcepit. Exod: 18. Expreſſit quoquè hanc voluntatem ſuam in Dauide ſeruo ſuo. Nam illi patefecit abſtruſa Miſteria Redemptionis humanæ, & tamen noluit ei reuelare, quod ad ipſum

non spectabat ædificatio Templi, sed voluit, quod de hoc admoneretur à Natan Propheta. 2. Reg: 7.

Decima regula. Ponderare res, non secundum apparentiam,
13 sed secundum essentiam ipsarum, & non ab extrinseco, secundum opinionem hominum, sed secundum ęstimationem, quam de illis facit Deus, & conformare electionem earum huic iudicio: & sic magnas magni facere, & paruas paruipendere. Vnde S. Io: Chrisost: c. 24. in Matth: Hom. 51. Prudentem voco ego, non hominem sapientem, & doctum tantum, sed illum qui habet iudicium sanum, & illustratum, & qui ponderat res, iuxta naturam ipsarum, & illis vtitur, ad præscriptum rationis.

Decimaprima regula. Amittere temporalia, pertinentia ad Vi-
14 tam humanam, pro conseruandis spiritualibus, spectantibus ad Vitam spiritualem, & æternam. Nam quando homo amat plura, & omnia non potest conseruare, ita vt de illis aliqua perdere necesse sit, prudentia docet, minoribus priuari, ad conseruandum maiora. Amamus nos Christi fideles Vitam temporalem, & Vitā spiritualem: bona temporalia, & æterna. Emergunt Casus, in quibus omnia non possunt conseruari, impellit vera prudentia, in Christo, ad relinquendum temporalia, pro spiritualibus, ad spernēdum honorem terrenum, pro gloria Cęlesti, Vitam corporalem, pro æterna, & hoc modo, vitam perdendo, acquirimus: quia eam permutamus cum ęterna. Qui perdet Vitam suam pro me, inueniet eam. S. Matth: 10. Qui odit animam suam, in hoc Mundo, in Vitam æternam custodit eam. S. Io: 12.

Decimasecunda regula. Præsidens non sit facilis, ad credendum,
15 nam esset vitium, contrarium prudentiæ. Qui citò credit, leuis est corde: Eccl: 19. est, ò Eugeni, vnum vitium, cuius si te sentis immunem, inter omnes, quos noui ex his, qui Cathedras ascenderunt, sedebis, me Iudice, solitarius, hoc est facilitas credulitatis, cuius callidissimæ vulpeculæ, Magnorum neminem comperi satis cauisse versutias, ex qua in ipsismet, pro nihilo, multæ nascuntur iræ: inde innocentium frequens abdicatio, inde præiudicia in absentes, &c. Sanct. Bernard: ad Eug. lib: 2. de consid: Nos mala contra aliquem dicta, nolumus prius credere, quàm probare. Extrau: Diuinis: de pęn.

Decimatertia regula. Fęstina tę lentę; ideò nō sit facilis, in negotijs

16 arduis, ad determinandum, sed sumpto spatio, diù, multumque res expendat, & omnia circunspiciat, iuxta sapien: Oculi tui recta videant, & pelpebræ tuæ præcedant gressus tuos. Prou:4. Qui festinus est pedibus, offendit. Prou: 93. Nemini citò manum imponas, ne communices peccatis alienis S. P. ad Thim. 1. cap. 5.

Decimaquarta regula. Quærere certitudinem moralem, & in ea quiescere. Tres sunt certitudines. 1. supernaturalis, qua credimus
17 res fidei, & ista est infallibilis, vt potè reuelata à Deo. 2. Naturalis, qua principia Iuris naturalis credimus, veluti præexistere omnibus rebus vnam primam causam, qui est Deus, & qua credimus Præcepta Decalogi, & alia, quæ ratione naturali videntur esse vera, & aliquã esse falsa, alia bona, alia mala. Certitudo ista est euidens, & clara, & naturaliter non admittit errorem, & appellatur certitudo sciẽtiæ, & demonstrationis naturalis. Tertia. Certitudo dicitur moralis, quæ non est fundata, in reuelationibus Diuinis, vt fides, nequè in demonstrationibus patentibus, vti scientia, sed in coniecturis, inditijs, signis, rationibus humanis, in testificationibus hominum, & scripturarum, quæ pertrahunt intellectum magis ad vnam, quam ad aliam partem, & generant opinionem magis de vna, quã de altera re, & sic causant vnam certitudinem, iuxta S. Th. 2.2. q. 1. ar. 4. & & q. 71. ar. 2. In hac etsi possit reperiri error, & deceptio, & in actu aliquando adsit, tamen communiter, & vt plurimum, euadit firma vera; & sine deceptione. Appellatur certitudo moralis, quia ad mores pertinet; & causat opinionem probabilem, quæ est illa, quæ talis videtur hominibus sapientibus, & bonæ rationis. Certitudo ista quamuis sit compatibilis, cum aliquali dubio, & trepidatione partis contrariæ, & possit, in ipsa adesse falsitas, tamen est sufficiens, & efficax, ad iudicandum mores, & actiones humanas, de quibus, in Diuina scriptura, non habetur reuelatio, nequè in ratione naturali euidentia: et est sufficiens ad determinandum quid homo agere, sequi fugere, et præterire debet, in omnibus casibus, spectantibus ad cõscientiam, ad Gubernationem Reipublicæ, et Gregis, ad negotia, et comercia humana, Quærere in hisce rebus maiorem certitudinem, erit vitium, et defectus rationis. Vnde Arist: dixit: esse hominis sapientis, et prudentis, in qualibet re, quærere illam certitudinẽ cuius est capax illa materia, de qua agitur, et in illa quiescere.

Decimaquinta regula. Diligentia, promptitudo, et opportunitas

18 in negotijs. In omnibus operibus tuis esto velox. Eccl: 31.
Ne differas illa, ex negligentia, et statim illa exequaris. Istud pręscribit prudentia, vt non amittatur opportunitas, ob negligentiam. Hoc modo lucrifit magnoperè apud Deum, et ditatur anima abbundantibus gratijs, et donis diuinis, ideò, iuxta olimpiadorum, prudentia dicitur feruens, et ignea, ex sollicitudine, qua exercet bona opera.

Decimasesta regula. Charitas in procuranda salute peccatorum.
19 In reconciliandis peccatoribus sit diligens, & cautus. Hoc diligit, & curat Christus Dominus. Si diligis me, pasce oues meas. Ioan: 21. Hoc est, in quo mihi summè placere potes, si eos, qui me offenderunt, mihi reconcilies, ob hoc enim ego sanguinem fudi. Vnicus finis, vnicus scopus, vnica consolatio, vnicum refrigerium Pastoralis officij est, adducere animas ad cognitionem, & amorem Dei. Gaudium meum, & corona mea, vocabat conuersos à se S. P. ad Phil: 5.

Decimaseptima. Patientia in calumnijs malignantiũ sit patiens.
20 Non enim Prælatus, & Dominator, etiam iustus, poterit omninò euadere inuidias, detractiones, & calumnias malignantium; sed contemnat, se à talibus contemni, & credat esse de illis, de quibus dicitur S. Matth: 15. Cęci sunt, & duces cæcorum. Quid mirum si contradicunt tibi? Ecce de Domino habetur luc: 2. Ecce positus est hic in signum, cui contradicetur. Agnosce (inquit. S. Bern: ad Eugen: libr: 2.) hæreditatem tuam, in Christi Cruce: & S. P. ad Corint: 2. c. 3. In laboribus multis, omnem tribulationem passi sumus, foris pugnæ, intus timores. Ecce ego, (dixit Christus Apostolis,) mitto vos, sicut oues, in medio luporum, &c.

Decimaoctaua regula. Cautio in collatione benefitiorum; nã
21 circa eorum collationem, præcipuè Curatorum, & spiritualium offitiorum, debitam adhibere debet sollicitudiuem, & vigilantiam, cum eorum sit tantùm dispensator, iuxta illud Apostoli. 1. Corint: 4. sic nos existimet homo, vt Ministros Christi, & dispensatores ministeriorum Dei.

Decimanona regula. Peritia sæcularium negotiorum. Curator
22 enim aliorum, & præsertim Episcopus, cùm subditis suis, nõ solùm spiritualia, sed etiam carnalia subsidia ministrare debeat (exemplo Christi Domini qui turbas sequentes illum, docebat verbo, virtute

ſanabat, & alimentis corporalibus reficiebat,) ſęcularium negotio-
rum ſolerciam, & peritiam habere tenetur, vt eorum cautela, & Ec-
cleſiæ ſeruentur indemnes, & cuiq; neceſſaria, pro ſuo modulo,
miniſtrentur. Vnde Greg: ad Clerum, & Nobil: Neapol: lib: 8.
Epiſt: 40. rel: in c. Petrus. 39. diſtinc: ſic ait. Petrus Diaconus, quem
à vobis electum aſſeritis, omninò, vt dicitur, ſimplex eſt, & nobis,
quia talis, hoc tempore, in regiminis debet Arce conſtitui, qui non
ſolum de ſalute animarum, verum etiam de extrinſeca ſubiectorũ
vtilitate, & cautela ſciat eſſe ſolicitus, &c.

Vigeſſima regula. Ordo in actionibus quibuſcunque etiam
23 in exercitijs Virtutum, aſſignando vnicuique rei, locum ſuum, &
tempus conueniens. Ordo eſt (inquit S. Aug: De Ciuit: Dei lib: 9.
c. 13. & lib. de Nat: bon: c. 3.) vna quædam diſpoſitio bona rerum
ſimilium, & diſſimilium, qua vnicuiquè rei aſſignatur ſuus con-
ueniens locus, & cauſatur pulchritudo, & bonitas, & quo ordinatio-
nes res habentur, tanto meliores ſunt, & quanto inordinatiores
tanto minus bonæ. Vnde S. Boneu: De grad: Vir: c. 9. eſt altus gra-
dus prudentiæ ordinare mores exteriores, iuxta voluntatem Dei,
& eſt altus gradus prudentiæ, ordinare omnes vires, & potentias
exteriores, & interiores animæ, ſecundum Diuinum beneplacitum.
Ac etiam eſt altus gradus prudentię, ordinare Vitam exteriorem, &
interiorẽ, iuxta exemplum Sanctorum, & altiſſimus gradus ipſius,
illam ordinare, ſecundum mores Chriſti Domini.

Vigeſſimaprima regula. Moderatio linguæ, ita vt omne verbũ
24 ſit bonum, vtile, & opportunum. Vita, & mors in manu linguæ.
Prou: 18. & verè eſt altiſſimum beneficium Dei, quod homo ita
comprimat linguam ſuam, vt nullum proferat verbum malum,
vanum, otioſum, inutile, incommodum, iniurioſum, detractoriũ,
iracundum, impatiens, adulatorium, iactatorium, mendax, & fictũ,
vel ſimulatum, ſed omnia verba ſint recta, & ad finem vtilitatis hu-
manæ prolata. Nam iuxta iſtam linguæ armoniam homo eximitur
ab innumerabilibus peccatis. Iuſtus, compeſcendo linguã, proficit,
in augumento gratiæ Diuinæ. Peccator, qui auxilio Dei, benè vti-
tur lingua, recipit fauores à Deo, tàm efficaces, vt faciat pęnitentiã,
& cõſequatur gratiã. Vnde verba prudentiũ ſtatera ponderabuntur.
Ecc: 21. In multiloquio non deerit peccatum. Qui moderatur labia
ſua, prudens eſt. Prou: 10. Fatuus, in riſu exaltat vocẽ ſuam. Eccl: 21.
Vigeſ-

Vigeſſimaſecunda regula. Virtus ſilentij. Moderationi verborum addat virtutem ſilentij. Nam prudentia docet, quando ſit tacendum,
25 quando ſit loquendum, &c. Tempus tacendi, tempus loquendi Eccl: 3. Ad prudentiam pertinet iudicium ferre de vtroq; tempore, & eligere melius. Homo prudens tacebit tempore ſuo. Prou: 11. eſt tacens, & ipſe eſt prudens. Eccl: 19. Adhibet ſilentium prudens, ad exercendam humilitatem, vel patientiam, vel ad ſe ipſum recoligendum, vel ad vacandũ orationi, vel ad cõſeruandam pacem interiorem animæ, vel ad euitandum excitamentum iræ, in proximo, vel ad placandum iram inimicorum, vel quando locutio etiam de re bona, futura eſt, ſine vtilitate audientium. Tacet prudens, expectans tempore opportuno.

SVMMARIOLA.

1 *Prudentia Politica quid.*
2 *Tranquillitas Politica quid.*
3 *Honeſtatis fundamentum in Politicis quod.*
4 *Principatus diſtincti.*
5 *Ariſtocratia quid.*
6 *Olicratia, quid.*
7 *Democratia, quid.*
8 *Monarchia, quid.*
9 *Tyrannis, quid.*
10 *Finis vniuerſalis cuiuſlibet Principatus.*
11 *Imprium dilatare, non ſemper bonum.*
12 *Pax maximè proficua Principatui.*
13 *Prudentia Principis ſit maior priuata.*
14 *Princeps prudens qui dicatur.*
15 *Princeps non ſit credulus.*
16 *Iudicij maturitas, & non ſubtilitas ingenij attenditur.*
17 *In Principe requirũtur quatuor.*
 1 *Bona applicatio.*
 2 *Bona cognitio.*
 3 *Bona electio.*
 4 *Bona operatio.*
18 *Regula benè deliberandi in Principe.*
19 *Princeps ſe ipſum noſcat. 2. Conſideret id quod affectatur operationem.*
20 *Cauſæ mouentes ſint ſemper iuſtę.*
21 *Vtilitas honeſta eſt finis Principis.*
22 *Prȩteritum, & futurum ruminet, & vtroque præſens regulet.*
23 *Opportunitas temporis magnifacienda.*
24 *Modus benè libretur.*
25 *Loci electio magnifacienda.*
26 *Princeps conſulat bonos Conſiliarios.*
27 *Imperturbabilitas prudentis.*

DE

DE PRVDENTIA POLITICA, IN ORDINE AD Regimen Regium, & Paternum.

Caput LIII.


1 RVDENTIA Politica eſt habitus Animæ, quo me-
diante ratione, damnum, quod opprimit, euitatur, & bo-
num, ad felicitatem Politicam perducens, procuratur.
Vel eſt recta, & operoſa cognitio boni. Eius obiectum
eſt Vtilitas honeſta. Vel eſt regula Gubernationis, ſecundum re-
ctitudinem, & ſic ſecundum Deum, Ius naturale, Gentium, & Ci-
uile, cum fine vniendi animas Deo, ſi eſt Princeps Eccleſiaſticus vel
tranquillitatis Politicæ, ſi eſt Princeps laicus. Tranquillitas conſiſtit
2 in commodo honeſto Populorum. Honeſtatis fundamentum eſt
conformitas legibus Diuinis, & humanis, opinionibus ſapientum,
3 vſui, & naturæ rerum.

Diſtinguendæ tamen conditiones Principatuum: Nam habet
4 quilibet finem ſuũ particularem, ob quẽ alter ab altero ſecernitur.

Ariſtocratia, Reſpublica, in qua dominantur pauci, ſed optimi,
5 ideò Gubernatio optimatum, habet honeſtatem virtuoſam pro fi-
ne; ex conſequenti electionem dominantiũ virtuoſam, & regimen
virtuoſum.

Olicratiæ, Reſpublica, in qua principantur pauci, & iſti po-
6 tentiores, finis eſt conſeruatio Potentiæ, in emolumentum Po-
tentiorum, et diuitum.

Democratię, Reſpublica Popularis, in qua principantur Nobiles,
7 Populares, et Plebei, finis eſt conſeruatio libertatis. Sed finis iſte
erit ſemper effuſus. Nam Nobilium, ſi non degenerant, obiectum
erit gloria, et fama. Popularium vtilitas, et commodum proprium.
illi munifici, iſti auari. Quaſi monſtrum duorum capitum.

Principatus Monarchicus, Dominatio, in qua vnus tantum prin-
8 cipatur, quatenus ſit iuſtus, et iuſto Titulo fultus, habet pro fine, fę-
licitatem Populorum.

Tyrannici Principatus, Dominatio, in qua principatur, qui ſine
titulo iuſto occupauit Imperium, vel Tyrannicè regit, vnicus finis
9 eſt, proprium emolumentum.

Omnes

Omnes Principatus prædicti (excepto Tyrannico) si erunt iusti,
10 habebunt vniformitatem finis, vti vniuersalis, nempè dictam feli-
citatem Populorum.

Dilatare Imperium: finis erit generosus; sed non conueniens
omni Principi. Nam in paruo esset temeritas. In circundato pluri-
11 bus Potentioribus, imprudentia, cum tendat ad impossibile: Neq;
omni tempore, conuenit Principibus supremæ Potentiæ; nam cum
prçseferat vastitatem libidinis dominandi, vti funesta alijs Principi-
bus, ita causat aliquando vnionem multorum desperatorum, qui
sic vniti curant prosternationem Potentioris.

Finis conseruandi pacem, est proficuus Principatui; quia in ipsa
12 florescit obseruantia; Iustitia, Religio, fides, & aliç Virtutes morales.
Sçculum aureum, in quo humana conditio ad statum innocentiæ
amissæ reducitur.

Habet Prudentia Politica pondus maius, quam priuata. Prudēs
priuatus gloriam sibi comparat, quoties scit eligere consilium pro-
13 ficuum, &, à, sua conditione non dissonum. Princeps non semper
benè deligit, quoties verum bonum excerpit, sed tunc solum, quā-
do bonum illud, quod habet consequentiam maioris boni, pro sub-
14 ditis, & pro Deo, amplectitur.

Princeps prudens appellatur ille, qui consilio omnia rectè discu-
tit, & in operationibus ratio illum pertrahit. Difficilia duo expu-
gnanda sunt, à, Principe. 1. Non errare in prçstitutione finis, qui
debet esse semper vtilis, et honestus. 2. Optimè sibi cauere, in ele-
ctione mediorum. Duplex vis requiritur. 1. Cognitio. 2. Experien-
tia. Lumen mentis, beneficium temporis. Oportet illum contem-
platum fuisse vniuersalia, et oculis vidisse particularia accidentia: et
ideò decet prudentem Principem ornatum esse dictis duabus qua-
litatibus. Intelligentia, et praxi. Vnde sciat Princeps, ad consequen-
dam laudem prudentis, nōn sufficere bonitatem, sed etiam necessa-
riās ei esse cognitionem, et operationem. Bonitas, quæ dicit natu-
ram communicabilem, se ipsam diffundit. Si est moralis componit
mores. Si est phisica, importat nobilitatem naturç. Sed bonitas Po-
litica ad hanc metam peruenire debet, vt sit vtilis subditis, et Deo,
et ideò semper munifica.

Non sit facilis Princeps ad credulitatem, quia potest facillimè
decipi, et decipere. Non innitatur solis coniecturis; nam in negotijs

Politicis,

15 Politicis, non species, vel forma, sed factum reale librandum est.
Nec verus prudens venatur subtilitates; nec Gubernium Politicum
requirit magnam sublimitatem ingenij, sed certè maturitatem
16 consilij interni, & illustratum, solidumque iudicium. Hebetiores
melius Rempublicam administrant. Tucidides.

Inter nos mortales mixtum est bonum cum malo. Confunduntur simul emolumentum, & detrimentum. Damnum præsefert commodum: Requiritur idcirco magnum acumen mentis, ad bene dijudicandum, vel ad vtiliter diuidendum. Accidentium, quæ nobis offeruntur, aliqua apparent bona, sed non sunt, aliqua sunt, sed non semper, sed non omnibus adaptanda. Quare necesse est benè applicare, benè cognoscere, benè eligere, & benè operari, ad
17 parandam sibi viam prudentiæ.

Regula certa, ad benè deliberandum, erit ista. 1. De se ipso diligens examen premittere. 2. Illius, qui affectatur operationem. 3.
18 Causarum mouentium. 4. Finis sibi præfiniti. 5. Consequentiarum,
quæ possunt occurrere. 6. Temporis electi. 7. Modi adhibendi. 8.
19 Loci, in quo operationes exequendæ erunt.

In primo. Qui se ipsum noscit, & speculo se intuetur, nunquam aggreditur opus, repugnans proprię conditioni. Ratiocinatur cum se ipso, cum sua qualitate, cum adhęrentijs, cum affectibus, & cum tempore. Qui se ipsum nescit, priuatus existit illo meliori lumine, quo possit euadere obstacula; quæ in itineribus Politicis, offeruntur. Non sufficit habere vires, ad illud opus, sufficientes, nisi conditio, qua circundatur Princeps, & quæ illum oculis, & censuræ mortalium supponit, media ad finem, faciliter.

In secundo Instructio emolumentorum, adhęrentiarum, affectuum, & virium aliorum Principum, pręseruat, à, delusionibus. Adhęrentiæ, aut natura, aut vtilitate, aut amore, nitentes, ad varias prudentem circumspicientias deferunt. Nam natura, in affectionibus naturalibus est semper Virgo: Vtilitas, vti Protheus, in mille mutatur formas. Amor, si recens, dubius; si simulatus, venenat; si antiquus, stabilis.

In tertio. Causæ mouentes non sint disiunctæ à Iustitia: Nam sic
20 habebit semper secum assistentiam Dei: Neque à pietate, quia cum
illo operabitur Deus. Neque à tranquillitate, & bono publico, quia
sic impellet Populationes, ad operandum cum ipso.

In quarto

In quarto. Non ſibi proponat vtilitatem, vti finem; nam ſi nuda, & ſimplex, & ſi ditabit, honorem deturpabit, ſi aurum congeret, famam minuet. Intueri honeſtatem eſt finis ſublimior Principis. Nihil pulchrius, apud prudentem, vtilitate honeſta. Homo ſi noxia
21 non propellat, & emolumento honeſto non adhæreat, imprudentiam incurret. Imprudentia, in hoc caſu, ſi à priuato proueniat, auctorem opprimet; ſi à Principe, ſuper ſubditos redundabit.

In quinto. Emergunt aliquando ex aliqua actione, conſequentiæ ita monſtruoſæ, vt altiora ædificia, quæ ab induſtria, vel arte Principis dominantis, erigi poſſint, ſæpius proſternant, quare prudens, in deliberando, præteritum ruminet, futurum ſpeculetur, &
22 vtroque præſens regulet. Sequatur ſemper bonum, quod ſit melius pro Deo, & pro ſubditis, ſed medijs, alienis à crudelitate, & à violẽtia, quia inde inſurgunt indignationes, odia, diſciſſiones, & aliæ defectiones ſubditorum.

In ſeſto. Qui ignorat emolumenta temporis, neſcit præuenire vtiliter, nec expectare opportunitates. Tempus clauus mobilis humanarum operationum, ab homine reuerentiam meretur. Op-
23 portet blandiri fortunam, & fortunare tempus: illam, ne nos derelinquat, iſtud ne variando, impedimenta præparet. Principium lentum, ne prima hora omnes Spiritus deuoret. Progreſſus cum feruore. Augumentum vigiles nos reddat, quamuis etiam ſomnus habilitet digeſtionem illius cibi, qui ad noſtram extenſionem ſumitur. Homo natus in tempore, non poteſt, niſi tempore operari. Opportunitas magni facienda, quia radix omnium emolumentorum.

In ſeptimo. Modus adhibendus diligenter libretur, in operando, & ſit conformis noſtris viribus, quia alias inſurgunt accidentia
24 monſtroſa, & infelicia.

In octauo. Loci electio, modò manifeſtam, modò arcanam red-
25 dit operationem, modo incrementum, modò decrementum affert: quia prudens non niſi per vias fallaces iter agit, vnde ei neceſſaria eſt aſſidua apertio oculorum, & cum non ducatur principijs neceſſarijs, ad vtramque fortunam parandus erit animus. Se ipſo, & ſuis ſenſibus nimis ne innitatur: nam etiam à recto iudicio prouenire facilè poteſt infelix exitus. In determinationibus, vel priuatis, vel Politicis, prędominatur ſæpe caſus diſturbator humanorũ Conſiliorũ.

Super omnia ad effugiendos errores, in electione mediorum. Princeps conſulat ſemper bonos, & fidos Conſiliarios. Audiens
26 ſapiens ſapientior erit, & intelligens Gubernacula poſſidebit. Prou: 1. Ante omnem actum conſilium præcedat te. Eccl: 12. Ideò in Capitulo ſequenti ponentur qualitates boni Conſiliarij.

Pro concluſione prædictorum, Princeps memoria ſemper reuoluat, Palladem, quæ triumphum agit de Neptuno, oſtendere,
27 quo intellectus prudens Victoriam reportat de omni procella, quæ in nauigationibus Politicis, naufragium producere poteſt.

QVALITATES OPTIMI CONSILIARII APVD Principem.

Caput LIIII.

1 SIT amator bonarum opinionum, ad beneficium Principis.

2 Sit morum compoſitorum, & eius exiſtimatio immunis ab omni macula infidelitatis.

3. Habeat iudicium illuſtratum, & ſolidum, ita vt punctum negotij tangat, & ſtrictim attingat. Ingenia ſubtilia, & nimis eminentia, apta ſunt ad inueniendas res, ſed non ad eligendas meliores.

4 In praxi maximè verſatus. Sciat quomodo proponere debeat negotia, diuidere, continuare, & concludere.

5 Ingenuę naturæ, ita vt loquatur cum hominibus, ac ſi loqueretur cum Deo.

6 Cognoſcatur habere finem boni publici, ſed euidentis.

7 In proponendo quod non vtatur artificio verborum, quia eloquentia florida cogit tyrannicè animos, ad reuerendam delectationem.

8 Neque violentia loquendi, nam iſta proſternit, vti fulmem, res etiam aptiores, ad reſiſtendum.

9 Neque contradicat, ſed proponat: & in proponendo nō accendatur extremè.

10 Oſtendat ſe poſſe errare. Credat ideo adeſſe iudicia meliora; & remittat ſapientioribus conſilium propoſitum.

11 In suis opinionibus non demonstret impudentiam, vel adulationem, vel nimiam remissionem.

12 Illum, qui vt plurimum, tibi semper dedit consilium bonum, magnifacias, quamuis in aliqua occasione maximi momenti, videatur tibi, non concordare cum tuo humore.

13 Consilia etiam sua fata habent. Inueniuntur aliquando aliqui ita infortunati, vt sæpè eorum infortunium, etiam in proprium consilium influant. Princeps ab istis caueat.

14 Habeat vigorosam vim spiritus, & iste sit liber, cautus, prouidus, & deliberatus. Id comprobet in consilijs, in expeditione literarum, & negotiorum, in capiendo consilium ex tempore, in eleganti ingenio, in citò percipiendo negotia proposita, in claritate deliberationum.

15 In omni negotio, & audientia quatuor euitet extrema. 1. ostensionem molestiæ. 2. incommodi. 3. Iræ. 4. Nimiæ celeritatis. Sunt isti quatuor scopuli, ad quos allidunt ingenia subtiliora.

16 Nominet res proprijs nominibus. Libenter non audiat malas relationes, neque adulationes. Bonis opituletur. Errantes benignè corrigat.

17 Non ostentet potentiam, qua fruitur, apud Principem.

18 Insinuet se in consuetudinem magnorum hominum, peritorum in materijs Politicis: Nam qui frequenter versatur in officina Vnguentaria, sine labore, odoramento perfunditur.

19 Sit inimicus luxus, nouitatum, & nimiarum licentiarum.

20 Ostendat se compositum in vultu, æqualiter in maioribus, ac in minoribus negotijs.

21 Rumor non incutiat ei timorem, nisi sit rationabilis: Nam timere omnia, imbecillitas; nihil, stupiditas, est.

22 Ex dictis colligitur, quod sicut non est possibile inuenire Rempublicam, iuxta ideam Platonis, nec Oratorem, ad dictamen Ciceronis, nec Ducem Exercitus, ad simulacrum Xenophontis, ita difficillium erit reperire Virum, ornatum qualitatibus expressis, & perfectione necessaria, ad assistendum magno Principi, vel Gubernationi potentis Reipublicæ.

DE IVSTITIA, ET IVRE, SECVNDVM S. THOM: & Arist: in 4. Ethic:

Caputt LV.



OCTO inspicienda erunt. 1. De iustitia, in communi, & de eius membro, nempe de iustitia, & iusto legali. 2. De iustitia particulari, quæ diuiditur in distributiuam, & commutatiuam: & primò De distributiua, & eius medio. 3. De commutatiua, & eius medio. 4. De iusto Politico. 5. De iure Personali secundum leges. 6.

De Iure reali. 7. De Iure Actionum. 8. De regimine Paterno.

§. 1. *De Iuſtitia in communi, & eius membro, quod eſt iuſtitia legalis, ſecundum S. Thom: & ariſt:*

Iuſtitia, vt ſic, eſt habitus, quo ſumus apti, & inclinati operari iuſta, &
1 operamur iuſta, & volumus operari iuſta. Iniuſtitia autem eſt ha-
2 bitus, quo inclinamur operari iniuſta, & operamur iniuſta, & volu-
mus operari iniuſta. Pro declaratione dicitur, quod ſecundum com-
munem ſententiam, Iuſtitia tria in homine cauſat. 1. Inclinat ip-
3 ſum ad operandum iuſta, ita quod, per ipſam, homo eſt diſpoſitus
ad operandum iuſta. 2. Per eam operatur iuſta. 3. Per eam vult ope-
rari iuſta. Iniuſtitia tria oppoſita cauſat. 1. Inclinatur homo, per
eam, ad agendum iniuſta. 2. Agit iniuſta. 3. Vult agere iniuſta. Hęc
definitio eſt ſecundum Ariſt., qui eam exprimit etiam per defini-
tionem contrarij, vt ſupra.

§. 2. *Quotupliciter accipiatur.*

Iuſtitia, vti Virtus vniuerſalis, tribus modis accipitur; quod Ariſt: probat,
per regulam oppoſitorum, quorum eadem eſt diſciplina, vt cogni-
to vno, cognoſcatur, & alterum: Vnde inquit. Iniuſtitia, vniuerſa-
4 liſſimè ſumpta, tribus modis dicitur. 1. Illegalitas, ideſt tranſgreſſio
legis, & ab hac dicitur illegalis, qui eſt ille; qui facit, & operatur
contra legem, ex conſequenti eſt iniuſtus. 2. Auaritia, quæ eſt cu-
piditas habendi plus de bonis, quàm iuſtum ſit, & iniuſtus dicitur,
in hoc ſenſu, auarus, qui vult habere plus de bonis, quàm iuſtum
ſit: ſcil: de bonis, circa quæ eſt bona fortuna, & infortunium. 3. Inę-
qualitas, quæ eſt voluntas habendi minus de malis, vt de laboribus,
de inopia, quàm iuſtum ſit. Naturaliter enim homo vellet abunda-
re bonis, ſuper alios, & minus grauari malis, quàm alij. Vtrumquè
ſpęctat ad inęqualitatem. Ex hac dicitur iniuſtus inęqualis: quia
ſcil: vult habere minus de malis, oppoſitis bonis fortunæ, quàm
iuſtum ſit.

5 §. 3. *Duobus modis accipi iuſtitiam.*

Iniuſtitia

Iustitia vero duobus modis dicitur. 1. Legalitas, quæ est obseruātia legis à qua dicitur iustus legalis, & est ille, qui est obseruator
6 legis, & secundum eam viuit. 2. æqualitas à qua dicitur iustus ęqualis, & est ille, qui viuens in communitate, æqualiter vult participare de bonis, & malis, de commodis, & incommodis, & oneribus, & non quęrit, quòd alius portet onus suum, vt ipse habeat commodū. In hoc casu, non adaptatur regula. Quot modis dicitur vnum oppositorum, tot, & alterum, & sic quot modis dicitur iniustitia, tot, & iustitia dici debeat. Nam regula non tenet, quando vnum oppositum continet plura significata quam alterum oppositum sic accidit in proposito. Nam iustus æqualis opponitur duobus iniustis inæqualibus, quorum alter vult plus de bonis, & dicitur iniustus auarus, & alter vult minus de malis, & dicitur iniustus inæqualis: ideò duo modi iustitiæ sufficienter correspondent tribus modis iniustitiæ.

7 §. 4. *De iusto legali tria consideranda.*

Dictum est supra, quod iustus legalis dicitur, qui est obseruator legis. Pro declaratione adiungitur, secundum Arist: tria de iusto legali consideranda esse. 1. Qualia sunt legalia. 2. Propter quem finem aliquid statuatur lege. 3. quæ sint illa, quæ statuuntur, & pręcipiuntur lege. Quoad. 1. Omnia legalia sunt aliqualiter iusta, modo lex sit rectè, & debita prudentia posita: legalia enim dicuntur quęcūq; sunt per legem determinata. Hæc autem sunt aliqualiter iusta. Implicat enim quod lex sit rectè posita, & quod aliquod pænitus iniustùm statuat. Aduertatur quòd Arist: non dicit, omnia legalia esse simpliciter iusta, sed aliqualiter. Nam omnis lex datur, in ordine ad aliquam Politiam, sed in omni Politia, non est simpliciter iustū; in aliquibus enim est iustum tantum secundum quid. Nam in Politia Democratica, in qua totus Populus dominatur, attenditur iustum: secundum quid, & non simpliciter: illic enim iustum est, omnes Ciues esse ęquales, secundum, quid, idest secundum libertatem. Vnde omnia statuta, in tali Politia Democratica non oportet, quòd sint iusta simpliciter, sed secundum aliquid, vel aliqualiter. In. 2. De fine, ob quem traditur lex, dicitur esse illud, quod est vtile toti Ciuitati: sicut est in rectis Politijs, in quibus intenditur, vti finis,

bonum commune: Vel intenditur quod eſt vtile optimis, ideſt maioribus, Ciuitatem regentibus. Vel intenditur quod eſt vtile Dominis, ſicut in Politijs, quæ reguntur Regibus, aut Tyrannis: & quoniam vniuerſalis vtilitas humana ordinatur ad felicitatem, ideò lex intendit principaliter reddere Ciues virtuoſos, quia Virtutes faciunt hominem felicem, & conſeruant in felicitate. Bona autem exteriora intendit, vt inſtrumenta ad illã:& hoc non reſpectu vnius ſingularis, ſed communitatis Politicæ, quam reſpicit poſitio legis. Quantum ad tertium quæ ſint illa, quæ ſtatuuntur lege, dicendum eſt, legem rectam præcipere pertinentia ad ſingulas Virtutes: V. gr: Præcipit opera fortitudinis, vt non projjcere arma in bello, non deſerere aciem, &c. opera temperantię, vt non mæchari, non inebriari, &c. opera manſuetudinis, vti moderatiuę irarum; vt nõ percutere, non occidere, & ſic, &c.

8 §. 5. *De Iuſtitia eiuſdem praeexcellentia.*

De Iuſtitia eadẽ legali duo principaliter dicit Ariſt: 1. Quod eſt perfectiſ-
9 ſima virtus, & præclariſſima, ſicut heſpertus, & lucifer, inter ſidera. 2. Quod eſt tota Virtus, ideſt in ſe complectens omnem virtutem. Appellatur etiam Iuſtitia communis, per prædicationem de omni
10 Virtute morali; quia omnis Virtus, cuius actus, & vſus præcipitur in lege, vt ſic, dicitur iuſtitia legalis, & quoniam lex præcipit, vt dictum eſt actum cuiuſlibet Virtutis moralis, ideò omnis virtus moralis, vt ſic, eſt iuſtitia legalis. Præterea iuſtitia iſta legalis dicitur omnis virtus, quia, per eam, homo benè diſponitur, in ordine ad
11 bonum Publicum. Iuſtitia particularis eſt Virtus, qua homo benè diſponitur, in ordine ad Perſonam ſingularem; & licet virtus abſolutè accepta ſit habitus, quo homo benè diſponitur, in ordine ad ſe ipſum, tamen non inconuenit, quod eadem virtute homo benè diſponatur in ordine ad ſe ipſum, & in ordine ad communitatem: nam ver: gr: Per temperantiam, homo benè diſponitur, in ſe ipſo, & in communitate: temperatus enim benè viuit, quoad ſe ipſum, & honeſtè, quoad communitatem, nõ iniuriando alteri, non mæchãdo, &c. Vnde Ariſt: concludit Iuſtitiam legalem eſſe perfictiſſimam Virtutem, vti ordinatam non ſolum ad ſe ipſum, ſed etiam ad alterum, ſcil: ad bonum commune; Conſequentiam probat Ariſt:

quoniam

quoniam ſumma perfectio virtutis attenditur penes hoc,quod ho-
mo benè ſe habeat ad alterum,ex prouerbio:quod;Principatus Vi-
12 rum demonſtrat: ſcil: Vtrum ſit perfectus, vel inſufficiens, nam
qui eſt Princeps, iam ſe habet in communitate, ad alterum, ex
eo, quod ad ipſum ſpectat regere ſubditos, & diſponere, quæ
ad bonum Publicum ordinantur. Probat etiam ex alio Prouerbio,
13 quo ſolet dici;Inter alias Virtutes,ſolam Iuſtitiam eſſe bonum alie-
num:quia eſt ad alterum. Nec non probat, hoc argumento. Sicut
14 ille eſt peſſimus,qui vtitur malitia,non ſolum ad ſe ipſum,ſed etiã
ad amicos,ita ille eſt optimus,qui vtitur virtute,non ſolum propter
bonum proprium,ſed etiam propter bonum alienum,ſed iuſtus le-
galis eſt talis, ergo, &c. Quare ſubiungit Ariſt: Iuſtitiam legalem
iſtam non eſſe aliquam Virtutem particularem diſtinctam, contra
alias, vt diſtinguitur fortitudo, contra temperantiam, ſed vniuerſa-
lem,quia vtitur omni Virtute,pro conſeruanda humana commu-
15 nicatione: & eſt vniuerſalis obſeruantia legis: ſicut iniuſtitia lega-
16 lis non eſt pars malitiæ,ſed tota malitia, vti vniuerſalis tranſgreſſio
legis.

17 *§.6. Quid ſit Iuſtitia legalis ſecundum S.Thom:*

Iuſtitia legalis,ſecundum S. Th.2.2. q.61.art. 1. duo importat. Vnum in
Principe, condente legem: alterum, in ſubditis, Principi ſubiectis.
In Principe, importat ius condendi legem, ob bonum commune:
In ſubditis,obligationem reddendi debitam obedientiam. Hæc Iu-
ſtitia, quæ facit hominem, vel bonum Principem, vel bonum ſub-
ditum, in ordine ad bonum commune, vti attinet ad Politicum, ita
illa,quæ componit hominem,ad bonum,& ad rectum,in ordine ad
ſe ipſum, pertinet ad Moralem, & cum illi inhęreat bonum com-
18 mune, ſolet dici;in exercitu Virtutum moralium, detinere locum
Ducis Generalis, & ab ea eſſe inſeparabiles. 1. Æquitatem. 2. Reli-
19 gionem. 3. Pietatem. 4. Obſeruantiam. 5. Gratitudinem. 6. Vindi-
ctam Publicam. 7. Obedientiam. 7. liberalitatem. 8. Veritatem. 9.
Amicitiam. 10. Deuotionem. 11. Orationem. 12. Meditationem,
cõtemplationẽ. 13. lętitiam.& Plato de Rep: dixit. Iuſtiliam lega-
20 lem eſſe Virtutem animæ noſtræ vniuerſalem, ex qua fit, vt quæli-
bet potentia animæ, in ſuum opus intenta, aliena, quæ ad ipſam
minimè

minime attinet, non curet: ex quo sequitur, quod potentiæ inter se se, miro artificio, conueniant, velut in cantu ex fidibus. Quemadmodum enim in cantu quælibet vox suum edit sonum, & ex earum conuenientia, concentus, & harmonia efficitur; sic dum quælibet potentia animæ, suo munere, rectè fungitur, ex earum concordia, animæ harmonia producitur, mediante Iustitia legali, cum dirigat rectè quemlibet Ciuem ad bonum commune.

21 *§. 7. Differentia vna inter Iustitiam legalem, & alias Iustitias.*

Inter Iustitiã legalem, & particularem commutatiuam, hæc differentia reperitur, quod ex violatione iustitiæ particularis, cum damno alterius, oritur obligatio restituendi, non verò ex violatione Iustitię legalis. Modò violans iustitiam legalem non teneatur, ex offitio, in casibus particularibus, vt accidit, quando Iudex non impedit furtum, quod ex iustitia tenetur impedire.

22 *§. 8. De Iustitia legali secundum theologos.*

Hucusquè actum est de extrema quadam Ciuili, seu Politica Iustitia, quę tantum pertinet, ad formandos, in hac Vita, Politicos mores, nec aliud exigit, quam exteriorem quandam honestatem, vt sit in tuto Reipublicæ tranquillitas.

Nunc dicendum est aliquid, de eadem Iustitia vniuersaliter sumpta, secundum theologos. Iuxta ipsos, Iustitia est Virtus generalis, complectens omnes species, & naturas Virtutum: est bonitas, & sãtitas Vitæ: Si erit supernaturaliter infusa à Deo animæ, continebit omnes alias Virtutes infusas, & supernaturales: In hoc sensu, sacra scriptura passim vtitur hoc nomine Iustitiæ. Sic in Psal: 16. Ego autem in iustitia apparebo conspectui tuo: satiabor cùm apparuerit gloria tua: & Psal: 17. & retribuet mihi Dominus, secundum iustitiam meam: & secundum puritatem manuum mearum retribuet mihi: & Christus Dominus, noster S. Matth. 3. dicit Ioanni. Sic enim decet nos implere omnem iustitiam. Quæ verba S. Io: Chrisost: interpretatur sic. Dominus hoc dixit, quia, per iustitiam, intelligitur adimplementum omnium Diuinorum Præceptorum, Ista Virtus

 iustificat

iuſtificat animas, & facit homines verè iuſtos, in conſpectu Domini. Nam hominem, ad hoc vt ſit perfectè iuſtus, opportet habere omnes Virtutes, & cum ipſis, gratiam ſupernaturalem, quæ reddit hominem Deo gratum.

23 §. 9. *Iuſtitia quid ſit, ſecundum legiſtas.*

Hanc Iuſtitiam Iuriſconſulti non conſiderant, nec de ea loquuntur leges Ciuiles; ſed benè de Iuſtitia particulari, quæ priuatim ad alterum eſt, & ab alijs Virtutibus, ſpecie diſtat, nec habitu minus, quàm virtutes reliquæ, comparatur. Hęc Iuſtitia particularis diuiditur in
24 diſtributiuam, & commutatiuam. Prior pertinet ad præmia, & pœnas diſtribuendas, pro ratione, & varietate meritorum. Altera verſatur circa contractus, & æqualitates rerum, permutationes, paresque compenſationes. Hanc particularem definiunt leges: quod Iuſtitia ſit conſtans, & perpetua voluntas ius ſuum cuique tribuendi. Inſt: de iuſt: & iur: in princ. Definitio hæc ab effectu, & officio deducta eſt. Hoc enim efficit iuſtitia, vt cuiquè reddatur Ius ſuum. Dicitur conſtans, & perpetua voluntas, ideſt habitus tribuendi cuiquè ſuum, certo animi iudicio, hoc eſt certa, & perpetua notitia naturali. Sunt enim, in animo noſtro, paruæ quædam notitiæ rerum maximarum, quas cùm ſequitur voluntas, in agendo, iuſtè agit; ad inſtar Architecti, habentis formam ædificij, in animo, quā cùm ſequitur rectè ædificat. Illæ notitiæ ſunt perpetuæ, & immutabiles: quamquam enim negotia, & caſus varient, habeatquè ſubinde homo lubricos affectus; tamen retinet Mens certas illas, & immutabiles notitias, diuinitus illi impreſſas, e quibus iudicare poteſt (ad habitum enim non ad actum reſpicimus) quid ſit iuſtū; & cùm his obtemperat voluntas, iuſtè, cùm repugnat, iniuſtè agit, ac planè tyrannidem exercet. Porrò ſicut oculi naturaliter vident, ita animus naturaliter ſentit: & ſicut Corpus non poteſt non dolere, cū vulnus accipit, ita animus perpetuò imprōbat, quoties alicui ius ſuum non tribuitur. Sic ergo Iuſtitia eſt conſtās, & perpetua voluntas, homini inſita, quę non vult non tribuere cuiquè ſuum, & abſtinere ab alieno: adeò quidem, vt etſi à iuſtitiæ formula quis declinet, alterum lædat, tamen nihilominus Iuſtitia in ſe, vbiquè ſui ſimilis, immutataquè maneat. Neque enim ſi quis recedat à

iuſtitiæ

iustitiæ dictamine, id fit vitio Iustitiæ, sed praui, & scelerati hominis natura, qui immemor seminis iustitiæ, alterum offendit. Alia pars definitionis, habet. (Ius suum cuiquè tribuens, vel tribuendi.) Hoc propriũ munus est, & quasi insigne Iustitiæ, per quod ab alijs virtutibus secernitur. Sicut enim propugnare iusta, est proprium constituens fortitudinem: sermone, & gestu seruare decorum, est proprium constituens Modestiam, sicquè de alijs virtutibus, ita cuiquè suum tribuere, est proprium constituens iustitiam. Proinde vna omnium Virtutum iustitia, alienum bonum esse dicitur; quoniam est ad alterum. Possum mihi ipsi esse prudens, fortis, modestus, &c. at iustitia nostra, nisi ad alium referatur, non erit virtus. Quapropter nemo iustus erit, nisi in alterum, tribuendo ei, quod suum est, in quo omnium legum ratio consistit.

SVMMARIOLA.

1 *Præter Iustitiam legalem dari Iustitiam particularem, probatur.*

2 *Conuenientia, & differentia Iustitiæ legalis, & particularis.*

3 *Iustitia particularis duplex.*

1 Distributiua.

2 Commutatiua.

4 *Iustitia distributiua, quid.*

5 *Medium, & extrema Iustitiæ distrbutiuæ.*

DE IVSTITIA PARTICVLARI, QVÆ DIVIDITVR In distributiuam: & commutatiuam: & Primo de distributiua, & eius medio, secundum Arist. in 5. Ethic.

Caput LVI.



1 QVATVOR Agenda sunt. 1. Probandum præter iustitiam legalem, dari iustitiam particularem. 2. Assignanda conuenientia, & differentia, inter vtrãquè. 3. Diuidenda iustitia particularis in distributiuam, & commutatiuam, & definienda distributiua. 4. Assignandum medium distributiuæ:

§. 1. Dari tres Iustitias. 1. Legalem. 2. Distributiuam. 3. Commutatiuam.

Circa primum; ponitur hæc conclusio. Præter iustitiam legalem, dari iustitiam particularem. Probatur. Præter iniustitiam legalem, quam diximus supra, esse totam malitiam, datur etiam iniustitia particularis, quæ est particularis malitia, ergo, &c. Consequentia nota; quoniam alteri, & alteri virtuti contriatur alia, & alia malitia, ergo si iniustitię sunt plures, similiter, & iustitiæ. Antecedens sic probatur, secundum Arist: iniustitia illegalis potest inueniri, sine iniustitia particulari, puta sine auaritia, ergo præter iniustitiam illegalem, datur iniustitia particularis Consequentia patet.

Antecedens probatur. Quoniam qui operatur secundum particulares malitias, operatur iniuste, secundũ iniustitiam legalẽ, quando lex prohibet sic operari, puta mœchari, & tamen non operatur sine iniustitia particulari, puta auaritia, verbi gratia, stat, quod in bello quis abijciat clipeum, ex timore, & quod improperetur amico, propter iram, & tamen non acciperet aliena, inuito Domino, quod ad auaritiam pertinet, ergo patet, quod iniustitia legalis potest esse, sine iniustitia particulari, qualis est auaritia. Præterea, illæ malitiæ sunt distinctæ, quæ ordinantur ad distinctos fines, sed auaritia, quæ est spetialis iniustitia, ordinatur ad alium finem, quam iniustitia illegalis. Maior declaratur. Habitus distinguntur, secundum distinctionem finium, Verbi gratia. Titius adulterans potest intendere duo. 1. Vt lucretur spoliando mulierum. 2. Vt satisfaciat concupiscentiæ, non quærendo lucrum à muliere, sed largiendo. In primo sensu non dicitur luxuriosus, sed iniustus, quia auarus. In. 2. dicitur luxuriosus, sed non iniustus, Iterum Probatur. Quicumque facit contra aliquam virtutem spetialem, facit contra iustitiam legalem, quoniam lex præcipit operari, secundum omnes virtutes, sed non quicumque facit contra aliquam virtutem moralem, facit iniustitiam particularem, ergo præter malitiam illegalem, quæ est communis iniustitia, datur malitia particularis, quæ est iniustitia particularis; puta auaritia. Maior patet. Minor declaratur si aliquis mœchatur, facit contra iustitiam legalem, quæ præcipit, non mœchandum. Si miles fugit ab exercitu, facit contia iustitiam legalem,

quia

quia lex præcipit oppositum. 1. Reducitur ad luxuriam. 2. Ad timiditatem. Sed si quis inordinatè lucrans est, hoc non reducitur ad aliquam aliam malitiam specialem, sed ad solam auaritiam, quæ est iniustitia specialis. Constat ergo, dari quamdam iniustitiam specialem, præter iniustitiam illegalem, & eadem ratione dari quamdam iustitiam particularem, quę est specialis virtus, præter iustitiam legalem.

2 *§.2. De conuenientia, & differentia Iustitiæ legalis, & particularis.*

Quantum ad secundum Vtraque Iustitia; scilicet legalis, & particularis conueniunt, & differunt. Conueniunt in nomine, vt patet, & in genere, quoniam idem genus ponitur in diffinitione vtriusque, vtraque enim diffinitur per hoc, quod est esse, vel ordinari ad alterum. Differunt, quoniam sunt circa aliam, & aliam materiam: Nam iustitia legalis versatur circa totam materiam moralem, & circa totum illud, per quod dici potest homo studiosus, lex enim præcipit vsum cuiuscumque Virtutis, & ideò versatur circa obiectum omnis virtutis. Iustitia autem particularis versatur, circa materiam determinatam, vt circa bona particularia, secundum quę communicant homines ad inuicem, & circa distributiones pręmiorum, & pęnarum, & commutationes rerum exteriorum.

3 *§.3. Iustitia particularis duplex: Distributiua, & commutatiua.*

Circa tertium dicitur, iustitiam particularem diuidi in distributiuā, & in
4 commutatiuam. Distributiua consistit in distributionibus aliquorum communium diuidendorum, inter cōmunicantes, in vna Ciuili communicatione, vt honores, pecuniæ, & alia bona exteriora, ac etiam mala onerosa, vt labores, expēsæ, & communia onera, pro saluanda Republica: quod autem in his possit esse iustitia, & iniustitia, probatur quia, in his, contingit accipere æqualitatē, & inęqualitatem vnius, ad alterum. Puta, dare vni tantum honoris in ciuili Cōmunitate, quantum meretur, & etiam dare magis, & minus, quàm meretur, & secundum S. Thom: 2.2.q: 61: Distributiua respicit pręmium, & pęnam, Vnde consistit, in prębendo pręmia, ad mensuram rectam, & prudētem, & dare mercedē, cui debetur, respectu seruitij, pre-

prȩstiti, erga Principem, & Rempublicam; & in inferendo pȩnas, debitas illis, qui deliquerunt, in damnum publicum.

5 §. 4. *Medium, & extremum Iustitiæ Distributiuæ.*

Quoad quartum resoluitur, iustum distributiuum, vel distributiuæ, esse medium, inter magis, & minus, ita quod nec est in plus, nec in minus, sed vt decet, & conueniens est: quod sic probatur. Æquale est medium, inter magis, & minus: æquale verò est, quod comparatũ alteri, nec excedit ipsum, nec exceditur ab eo, vt duæ lineȩ bicubitȩ, sed, quod est iustum, secundum iustitiam distributiuam, est ȩquale, nam iniustum, secundum hanc iustitiam, est inȩquale, ergo iustũ est ȩquale. Probatur consequentia quia oppositorum oppositȩ sunt differentiæ: Constat autem quod iustum, & iniustum sunt opposita, ergo si iniustum est inȩquale, iustum erit ȩquale, & cum ȩquale sit medium, sequitur, iustum distributiuȩ Iustitiæ esse medium.

S V M M A R I O L A.

1 *Iustitia commutatiua, quid.*
2 *Medium, & extrema Iustitiæ commutatiuȩ.*

DE IVSTITIA COMMVTATIVA, ET EIVS Medio, secundum Arist: in 5. Eth.

Caput LVII.



1 OMMVTATIVA Iustitia est illa, quæ constituit rectitudinem, & ȩqualitatem, in commutationibus, secundum quas aliquid transfertur ab vna persona, in alteram, vt in venditione, &c. Iustitia distributiua, & commutatiua conueniunt, in hoc, quod tàm iustũ distributiuum, quàm commutatiuum debet esse ȩquale: iniustum autem inȩquale. Differunt, quoniam, in distributiua, seruatur proportionalitas Geometrica, quæ importat ordinem, & respectum rerum cum personis, sed non cum rebus. In commutatiua, obseruatur proportio Arithmetica, quæ attenditur, secundum æqualitatẽ quanti-

quantitatis,& sic rerum cum rebus. Quod sic probatur, secundum Arist: Vbi iustum,& equale attenditur solum, secundum quantitatem damni,& lucri, & non secundum proportionalitatem personarum, ibi attenditur equalitas, & iustum, secundum proportionem Arthmeticam,& non Geometricam, quod patet ex differentia vtriusque proportionalitatis, ibi à Lauello tradita, sed in commutatiua iustitia, iustum, & equale attenditur solum, secundum quantitatem damni,& lucri,& non secundum proportionalitatem Personarum, aut dignitatem, ergo &c. Nam, secundum Aristotilē, nihil differt, quantum ad commutatiuum, si bonus, vel malus priuabit aliquem re sua per furtum, vel si commisit adulterium, vel si occidit; Offensus enim non requiret qualitatem offensoris, sed recompensationem nocumenti,& lex attendit solum ad quantitatem nocumenti, vt scilicet, qui plus nocuit, plus recompenset, cuiuscumque dignitatis sit. Vnde Iudex, vti legis Minister, reducit inequalitatem, quæ est inter ledentem,& lesum, ad equalitatem, in ipsa quantitate rerum.

2 §. 1. *Medium, & extremum Commutatiuæ.*

Ex dictis deducuntur, secundum Arist. duo Corollaria. 1. quod iustum commutatiuum est medium, inter damnum, & lucrum, nam iustū commutatiuum est equale, quod est medium, inter plus, & minus, sed lucrum,& damnum, in his, circa quæ fiunt commutationes, habent rationem pluris,& minoris; lucrans enim plus habet,& damnificatus, minus, ergo iustum commutatiuum est medium, inter damnum, & lucrum. Sed aduertatur, lucrum, & damnum diuersimode se habere, in bonis, & in malis, nam habere plus de bono,& minus de malo, spectat ad rationem lucri, habere aut plus de malo, & minus de bono pertinet ad rationem damni. 2. Quod dupplex est istud iustum, quia etiam Iudex dicitur Ius,& iustum animatum. Patet ex eo, quod homines, quando litigant, de damno,& lucro refugiunt ad Iudicem, vti ad quoddam iustum: Ad Iudicem enim ire, est ad iustum ire, opportet enim Iudicem esse vti iustum animatū, & sicut viuam iustitiam, vt scilicet eius mens totaliter à Iustitia possideatur. Præterea medium habet rationem iusti, sed Iudex est sicut medium, nam qui refugiunt ad Iudicem, videntur querere medium.

dium, inter partes litigantes; ergo &c. Vnde Iudices appellantur Mediatores, quasi attingente per medium, in hoc, quod deducunt partes ad id quod est iustum. Exemplum dat: Arist: de linea, dicendo, quod Iudex sic reducit inęqualia, & iniusta, in cōmutationibus ad ęqualitatem, & medium, sicut si diuisa esset vna linea, in partes inęquales, quas vellet ad ęqualitatem reducere, auferret à maiori illud, in quo excedit medietatem lineę, & apponeret minori parti: quo facto, partes essent ęquales, quia vtraque esset pręcisè medietas totius lineę &c.

Commutatiua igitur Iustitia tangit medium, inter incrementū, & decrementum, inter lucrum, & damnum, & detinet bilancem libratam, quia non conditiones negotiatorum, sed qualitates rerum, & pretia librantur. Corrigit excessum ponderis, numeri, & mensurę.

SVMMARIOLA.

24 *Iuris Politici diuisio ad particularia secundum Arist.* 25 *Iuris diuisio ad particularia secundum legistas.*

DE IVSTO POLITICO,

Secundum Arist: in 5. Ethic.

Caput LVIII.



PER iustum, Arist: intendit Ius: nam Ius dicitur quasi
1 iustum, & sic per iustum Politicum, intendit ius Ci-
uile. Per ius Ciuile, illud, quo Ciues, vt simul viuunt,
2 vtuntur, & est diuersum, sicut sunt diuersæ Politiæ.
Nam alio iure vtuntur Græci, alio Persæ, alio Roma-
ni. Quadruplex est Ius Politicum. 1. Politicum. 2. Dominatiuum. 3.
Paternum. 4. Vxorium: aliàs Viri ad Vxorem.

Ius Politicum est ius seruandi debitos ordines, inter Ciues, qui
sunt libertate æquales, & sub vno Principe degentes, & qui sunt li-
3 beri, & non serui, nec alieni Iuris, ad differentiam filij familias, qui
est sub potestate Patris, & serui, qui est sub Domino suo, & vxo-
ris, quæ est sub Viro. Istud Ius ordinat Partes Ciuitatis, quæ sunt
Personæ diuersæ, quoad statum, officia, & ad vsum bonorum exte-
riorum. Sint tamen æquales, in conditione libertatis, quamuis non
æquales, in diuitijs, aut in nobilitate generis, aut in alijs, ad liberta-
tem Ciuium accessorijs, & ordinentur ad per se sufficientiam Vitæ
humanæ: licet enim vnica domus possit aliqualiter sustentare na-
turalem Vitam, non tamen sufficienter, vt Ciuitas, in qua sunt ar-
tes diuersæ, & venalia sufficientia, pro vita conseruanda.

Ius Vxorium est ius seruandi debitum ordinem, inter Virum, &
4 Vxorem, quod etiam nuncupatur Ius œconomicum. Hoc iure re-
gitur domus benè disposita. Istud ius magis propinquat Iuri Po-
litico, quàm Ius Dominatiuum, & Paternū. Minus enim subijcitur
Vxor Viro, quàm seruus Domino, & filius Patri: est enim magis
socia quàm serua. Distinguitur autem Ius Vxorium à iure Politico,
quia licet dominetur Vir, in Domo, vt Princeps in Ciuitate, tamen
sicut domus distinguitur à Ciuitate, sic Ius œconomicum à iure
Politico.

Ius Paternum est ius seruandi debitum ordinem, inter Parentes,

 & pro-

5 & prolem. Pater autem præsidet filijs, & regit eos, non propter bonum proprium, sed filiorum. Distinguitur ius paternum à Politico, quia iustum Politicum est iustum simpliciter. Alia autem tria Iura sunt iusta secundum quid, & per quandam similitudinem: quod sic probatur. Hominis, ad ea, quę sunt sui ipsius, nō est simpliciter, & propriè iustitia, nec iniustitia quoniam vtraque est ad alterum, &
6 patet ex eo, quod nullus eligit sibi ipsi nocere. Sed seruus est Domini tanquam possessio sua; & filius, quandiù paruus est, & non separatur à cura Patris, est sicut pars Patris, ergo nec inter Dominum, & seruum, nec inter Patrem, & filium est, iustitia, aut iniustitia simpliciter.

7 Ius dominatiuum est ius seruandi debitū ordinem inter Dominum, & seruum. Sed alio modo regendi sunt serui, & alio filij: Nam
8 Dominus præest seruis, & regit eos, non propter bonum, & vtile seruorum, sed propter bonum proprium Domini. Pater autem regit filios, propter bonum filiorum, vt iam dictum est, Dominus ergo regit seruos, non quia eis vult bonum, sed quia vult bonum sibi ipsi; ex consequentis quia amat se ipsum. Quod tamen non adaptatur Domino Christiano, quia iste ex præcepto charitatis, tenetur amare proximum, & sic seruum, sicut se ipsum. Differt istud ius Dominatiuum à iure Politico, modo supra expresso, ac etiam ex ratione sequenti. Tria Iura prędicta. 1. Paternum. 2. Vxorium. 3. Dominatiuum, ordinant partes vnius domus, & personas naturaliter inęquales, quoniam vna subijcitur alteri, & ordinantur non ad sufficientiā, vt Politicum, sed ad conseruationem necessariam, & naturalem humanæ Vitæ. Politicum respicit æquales in conditione libertatis, & homines sui Iuris.

Ius Politicum propriè competit liberis, vt dictum est. Nam his
9 datur lex communis, sed non, seruis qui cohibentur à Domino, nec filijs, qui cohibentur à Patre, nec Vxori, quæ subditur Viro. Ius Politicum ordinat ad inuicem Personas æquales; sumendo æquales, prout quorū neuter subijcitur alteri, naturaliter, nec ciuiliter.

Ex dictis sequuntur, secundum Arist: corollaria tria.

1. Quod in recta gubernatione Ciuiū, non permittitur, hominē principari, secundum voluntatem, & humanam passionem, sed se-
10 cundum legem, & rationem. Nam si sic dominaretur, acciperet

 sibi

ſibi plus æquo, de bonis, & minus de malis; & ſic euaderet Tyrannus. Si autem ſecundum legem, & rationem dominatur, non committit talem inæqualitatem. Lex enim, & recta ratio dictant,
11 quod Princeps ſit cuſtos Iuſtitiæ: ex conſequenti, non niſi quod iuſtũ eſt, attribuat ſibi; de bonis, & malis, ideſt laboribus, & oneribus.

2. Quod Princeps non laborat circa propriam vtilitatẽ, ſed ſubditorum. Nam Princeps nõ ſibi plus attribuit, quam alijs, niſi ſecundum debitam proportionalitem. Pręcipua Virtus, in Principe, eſt iuſtitia, quæ eſt ad alterum.

3. Principi Multitudo ſubdita mercedem debet: laborat enim bonus Princeps, pro multitudine regenda, & defenſanda, ſicut Paſtor, pro ouibus, ſibi commiſſis, ideò dignus eſt mercede ſua. Hæc autem
12 merces eſt. 1. honor, & gloria. 2. Obedientia. 3. Alimenta. 4. reuerentia cum timore, &c. Honor, & gloria ſunt maxima bonorum, quæ ab hominibus dari poſſunt. Princepes autẽ, quibus, hæc nõ ſufficiũt, ſed inhiant ad lucrum, fiunt iniuſti, & Tyranni. Super hanc autem mercedem ab hominibus eis exhibitam, boni Principes aliam copioſiorem à Deo expectant.

Ius Politicum ſecundum Ariſt: diuiditur in ius naturale, & in ius
13 legale: cuius diuiſionis ratio hæc eſt. Ius Politicum eſt illud, quo vtuntur Ciues, ſub vno Principe, conſtituti: Ciues autem vtuntur Iure naturali, quod Natura menti humanæ indidit; ac etiam Iure legali, quod, eſt poſitum, ex Conſtitutione Ciuium. Iuriſtæ verò
14 ſic deſcribunt illud. Ius Ciuile eſt quod quiſque populus, vel Ciuitas ſibi proprium, Diuina, humanaquè cauſa conſtituit. Tale Ius ab Ariſt: nominatur Ius legale, ideſt à lege poſitum, aliàs poſitiuum.

Ius quidem naturale, ſecundum Ariſt: eſt quod vbiq; habet eam-
15 dem potentiam, ideſt virtutem inducendi hominem ad bonum, & retrahendi à malo, quoniam dictamen naturalis rationis eſt idem, apud omnes, & hoc conſiſtit in primis principijs practicis: Ver: gr: Bonum eſſe agendum: Malum vitandum: Nulli iniuſtè nocendum: quod tibi vis fieri, alteri facias, & econtra: Deus colendus: Parentibus obediendum: Pauperi ſubueniendum.

Sed iſtud Ius naturale aliter ſumitur ab Ariſt: aliter à legiſtis. Nã
16 ius naturale eſt, ad quod naturale hominis deſiderium inclinatur: ſed in homine eſt duplex natura. 1. Animalis. 2. Rationalis. Animalis eſt communis homini, & brutis. Rationalis eſt propria homini,

 ſecundum

ſecundum rationem. Iuxta legiſtas: ius naturale eſt illud, quod naturam hominis, communem ſibi, & brutis, conſequitur, ſicut eſt coniunctio maris, & fœminæ, educatio filiorum, &c. Iuriſtæ appellant hoc ius, naturale primæuum, vel primarium: illud autem, quod conſequitur propriam naturam hominis, vt ſic, apud Iuriſtas dicitur Ius Gentium, quia eo omnes Gentes vtuntur. Vt ſeruanda eſſe pacta. Depoſitum reddendum. Fidem etiam hoſti ſeruandam. Legatos etiam apud hoſtes eſſe tutos. Vtrumque horum Ariſt: ſub Iure naturali comprehendit: Vnde apud ipſum, Ius Gentium eſt naturale. Dictat enim naturalis ratio: Pactum ſeruandum: Depoſitum reddendum: legatum vbiquè tutum. Hęc ex Iauello, ſecundũ Ariſt: vbi ſupra. Sed ſi Iauellus melius vidiſſet Iuriſtas. dixiſſet, ipſos concordare cum Ariſt: nam dictum ius Gentium appellatur Ius naturale ſecundarium, vt videbimus.

Vnde, ſecundum legiſtas, quadruplex eſt Ius. 1. Ius naturale pri-
17 mæuum. 2. Ius naturale ſecundarium, quod eſt idem, cum Iure primæuo Gentium. 3. Ius Gentium ſecundarium. 4. Ius Ciuile. Quod ſic explicatur.

Ius naturale primarium eſt, quod natura omnia animalia docuit:
18 Solo inſtinctu conſtat: & eſt commune hominibus, & brutis. Vt ſe ipſum diligere. Se conſeruare. Vim vi repellere. Declinare nocitura. Parare Vitæ neceſſaria. Sui ſimile procreare. Curare progenita. §. ius naturale, Inſt: de Iur: nat: Gen: & Ciu:

Ius naturale ſecundarium, (quod legiſtæ vocant ius Gentium
19 primarium,) eſt quod natura, atquè adeò Deus ipſe omnes homines, in creatione prima, quædam præcepta, & formulas honeſtatis docuit. Vt religio erga Deum. Amor Parentũ, & Patrię. Obligatio
20 ad antidora, ſeruare pacta. Stare promiſſis. Neminem lædere. Dicitur Ius naturale, & Gentium ſimul, tanquam id, quod naturalis ratio, inter omnes gentes, conſtituit: apud omnes Populos obſeruatur, & eſt omnibus, & ſolis hominibus, ratione vtentibus, cõmune: ac etiam dicitur ius Diuinum, quia Diuina quadam prouidentia, nobis à Deo ipſo inditum. §. Sed naturalia. Inſt: De iur: nat: Gen: & Ciu:

Ius Gentium ſecundarium eſt, quod ex naturali quidem iudicio,
21 ſiuè ratione, proficiſcitur, ſed non ſimpliciter, immò per diſcurſum aliquem practicũ, & ex moribus Populi apprehenſis, quod natura-

le

le secutum est. Hoc ius Gentium non lege naturali, ab initio, ac vltro iudicante ratione, ita fuit: sed vsu exigente, & ex humani conuictus necessitate, discursu quodam practico rationis introductum est. Nam cum per imposturam satanæ, tanta esset hominum improbitas, vt non possent omnes conseruari, rebusuè communiter vti, suadebat ratio, & publica necessitas, vt tollerentur è medio, qui alios læderent, & publicam hominum societatem turbarent, coërcerenturq; delinquentes, ne & alijs pronior peccandi occasio relinqueretur. Hinc orta sunt bella, captiuitates, seruitutes, pœnæ, Magistratus, Iudicia. Bella, non vt bona absolutè, sed vti correptiua prauarum voluntatum humanarum. Seruitus, ne capti in bello ne carentur. Quia enim multi, hostili odio, in captiuos desæuiebant, constitutum, est, vt seruarentur, vnde serui à seruando dicti sunt. Hinc etiam processit rerum diuisio, & sic distincta dominia, discretæ Gentes, Regna condita, Agris termini positi, ædificia collocata, muri Ciuitatum facti sacri. Hinc etiam comercia, obligationes, Contractus, Venditiones; Emptiones, Venationes, Testamentariæ dispositiones, &c. Ius tamen Ciuile formalizauit prædicta, in pluribus: Hinc etiam actiones proditæ sunt..

Ius Ciuile est, quod neque in totum à naturali iure, vel Gen-
22 tium recedit, neque per omnia ei seruit; itaque cum aliquid addimus, vel detrahimus iuri communi, ius proprium, idest Ciuile intelligimus. Ex his colligitur per legistas, quod si Ius Ciuile recedit, in totum à Iure naturali, non erit lex, sed tyrannis, & carnificina. Nā omnes, tamquam monstra, detestantur leges, quæ prorsus naturali iudicio repugnant. Vt si lex permittat impunè occidere, furari, adulterari &c. Si verò Ius Ciuile, per omnia, seruiat naturæ, & idem dictet, quod communis sensus, & formula, iam non Ciuilis, sed naturalis lex erit.

Ius autē Ciuile, secundū Arist: quod ipse appellat legale, est illud,
23 quod à principio, idest ante positionem legis, nihil differt sic, vel aliter agere, quia per naturam nō est determinatū, quod hoc sit bonū, vel malum, quod sit agendum, vel fugiendum, sed quando est lege positum, differt multum: quoniam obseruare, & obedire bonum est, præterire autem, malum. v. g. Redimere captiuum pretio vnius minæ, sacrificare capram Deo, magis, quam duas vaccas; sacrificare Brasidæ mulieri, quæ Ciuitati maxima contulit beneficia. Huius-

modi

modi enim quasi lege posita, seruanda sunt, secundum Arist: sed aduertatur, inter dicta exempla, quæ sunt Arist: de Iure legali, aliqua continere Ius naturale, & Ius positiuum. Nam omne ius positiuum statuitur, vt seruetur Ius naturale. Vnumquodque enim præceptum Iuris positiui fundatur in iure naturali, & ideò in exemplis, ab Arist: inductis, tangitur aliquid de vtroque Iure. Vt, redimere captiuum est de Iure naturali, & dicitur Pietas, siuè miseratio. Sed quod hæc redemptio fiat per minam, vti pretium determinatum, est merè de Iure positiuo. Quod sacrificetur Deo, est de iure naturæ, & dicitur religio, sed quod magis hoc, quam illud, est de iure positiuo. Exhibere honorem Brasidę mulieri, vti benefatrici, est de iure naturali, & dicitur Gratia, vel Gratitudo, sed quod ei fiat sacrificium, est de iure positiuo erroneo, per humanam insipientiam posito. In hoc casu, Ius positiuum non deseruit Iuri naturali, sed ei contradicit. Nam ius naturale prohibet honorem debitũ Deo, attribuere Creaturæ. Quod veritas sententiarum teneatur, vt iusta, est de Iure naturæ, & dicitur veritas, sed quod teneatur sententia huius, aut illius arbitri, & Iudicis, est de iure positiuo.

Posita diuisione Iuris Politici, in naturale, & legale, tangit Arist: tria.

1. Applicationem Iuris ad particularia.

24 2. Differentiam inter iustum, & iustificationem.

3. Inter iniustum, & iniustificationem.

In primo dicit, vnumquodque Iurium particularium, & legaliũ, se habere ad operanda, per ipsum, vt vniuersale ad singularia. Operata enim per tale Ius, sunt multa, ipsum tamen Ius est vnum: Vt, quod depositum fit reddendum, est vnum Ius, applicatum autem ad diuersas res, & personas, fit vt vniuersale ad singularia; sicut canõ vnus vniuersalis, in medicina, applicatur ad multos infirmos. In 2. dicit, iustificationem differre à iusto, quoniam iustificatio est dicæopragma, idest actio iusti: Vnde quando quis operatur id, quod est iustum, dicitur habere iustificationem. Iustum autem est res ipsa, quæ fit, secundum iustitiam; puta, latro suspensus, homicida decollatus. In 3. habet, iniustificationem esse operationem, factam contra Ius naturale, aut positiuum, rectum, quod tamen potest dirigi, per iustificationem. Iniustum autem esse rem non debitam, vt furtum, homicidium, &c.

Legistæ verò tripliciter deducunt Ius, vti vniuersale ad particu-
25 laria. 1. Ad Personas. 2. Ad res. 3. Ad Actiones: & sic triplex erit istud Ius legale. 1. Ius Personale. 2. Ius reale. 3. Ius Actionis. Inst: de Iur. Perss.

1 *Ius Personale quid.*
2 *Serui, & seruitus quid.*
3 *Vernæ qui.*
4 *Libertas, & liberi, quid.*
5 *Ingenuus quis.*
6 *Libertinus, & libertus qui.*
7 *Dedititij qui.*
8 *Filius non sui Iuris.*
9 *Impuberes non sui Iuris.*
10 *Puberes sub Curatore.*
11 *Vxores sub Viris.*

DE IVRE PERSONALI SECVNDVM LEGES.

Caput LIX.



1 IVS Personale respicit Personas, videlicet statum, & secundum statum, leges statuerunt Iura. Statum destinguunt, vt infra. Nam vel sumus liberi, vel serui.

Serui sunt, qui de Iure Gentium, Dominio alieno subijciuntur. §. seruitutis. Inst: de Iur: Pers: Ex eo di-
2 cuntur serui, quia capti in bello, seruantur, & non occiduntur. Appellantur etiam mancipia, eo quod ab hostibus manu capiuntur. Serui vel nascuntur, vel fiunt. Nascuntur ex ancillis nostris. Fiunt iure Gentium, ex captiuitate, vt supra, aut Iure Ciuili, per venditionem sui ipsius, quando liber homo, maior 20. annis, ad pretium participandum se se venundari patitur. §. serui. Inst: de Iur: Pers: Qui
3 nascuntur ex ancillis nostris, vernę etiam vocantur.

Liberi vocantur, qui libertate potiuntur. Libertas est plena po-
4 testas à Natura hominibus tributa, faciendi quæ velint, nisi, vi, aut
5 Iure, prohibeantur §. & libertas. Inst.: de Iure: Pers:

Ex liberis, quasi ex genere, deducuntur. 1. Ingenui. 2. libertini, & liberti: 3. Dedititij, 4. filijfamilias, sub Potestate Patris 5. Impuberes, sub potestate Tutoris. 6. Puberes, sub cura Curatorum, ab anno 14. vsque ad 25. 7. Vxores, sub potestate Virorum.

Inge-

Ingenuus eſt, qui ſtatim vt natus eſt, liber eſt, ſiue ex duobus in-
5 genuis, ſiue ex libertinis, ſiue ex altero ingenuo, & altero libertino, editus ſit. Inſt: de Ingen: in princ:

Libertini ſunt, qui ex iuſta ſeruitute manumiſſi ſunt: Differunt
6 inter ſe libertus, & libertinus. Per libertinum Significamus conditionem, ſeu qualitatem hominis, ſicut per Ingenuum. Per libertum intelligimus priuatum quendam reſpectum, ſicut per Patronum. Ideò libertinus eſt adiectiuum, ſicut ingenuus, vt libertinus homo, libertina mulier. Libertus autem eſt ſubſtantiuum, ſicut Patronus: dicimus enim libertus Cęſaris, non autem libertinus Cæſaris §. libertini. Inſt: De liber:

Dedititij erant, qui poſt admiſſa crimina, aut ſupplicio ſubditi,
7 aut publicè pro Criminibus cęſi, aut in quorum facie, vel corpore, quęcunque inditia vel ſigna, igne, vel ferro, indelebiliter impreſſa eſſent: Hi ſi manumiſſi erant, Dedititij appellabantur, imò tripar-
8 titus erat ſtatus libertinorum. §. libertinorum. Inſt: de libert:

Filij familias donec ſub poteſtate ſunt, ſui Iuris non ſunt: Inſt: de Patr: Poteſt:

Impuberes vſque ad annum 14. ſui Iuris non ſunt, ſed ſub po-
9 teſtate Tutoris manent: Inſt: De Tut:

Puberes, licet quoad perſonam, poſt annum 14. ſui Iuris ſint,
10 quoad obligationem tamen bonorum, ſub Curatore operantur Inſt: de Curat:

Vxores, ſub poteſtate Virorum, exiſtunt, quoad Gubernium
11 oeconomicum, & quoad contrahendam obligationem realem &c. Leges ſtatuerunt particularia Iura, pro ſingulo ſtatu omnium ſupradictorum, vt videre eſt &c.

S V M M A R I O L A.

DE IVRE REALI, SECVNDVM LEGISTAS.

Caput LX.



ICTVM est hucusque de primo Capite diuisionis Iuris, secundum legistas, nempe De Iure personali. Hic agendum erit de 2. capite, videlicet: De Iure reali.
1 De Iure Gentium introducta sunt Dominia rerum, & sic diuisiones. Nam cum post originale peccatum, improbitas humana impediret, ne homines communiter fruerentur rebus omnibus, dictaretque ratio, iniquum videri, quod ignaui alieno alerentur sudore, & labore, eadem ratio suasit, vt singulis rebus certa, & distincta constituerentur Dominia, vt vnusquisque suũ teneret, aliàs enim nulla pax, & tranquillitas, in societatẽ hominum, retineri posset, si permitteretur Communio, secũdum quam raperet quilibet, & abuteretur, suo arbitrio, alienis fortunis. Hinc etiam habetur, in Decalogo. (Ne furtum facias) Hodie vero acquiritur dominium, tàm Iure Gentium, quàm Iure Ciuili, Vtrumque Ius Gentium, & Ciuile habet suos modos, & formas acquirendi expressas,
2 in legibus, & Canonibus.

Dominium duas habet partes. 1. Vsumfructum. 2. Proprietatẽ. Item duas species. 1. Directum dominium. 2. Vtile. Directum est
3 sine fructu, cum spe tamen consolidationis, quale est, quod habet. Dominus feudi, emphitheusis, soli. Vtile dicitur, quod cum fructu, est quale habet Vassallus, emphiteuta, superficiarius, qui vtrumque dominium habet, plenum, habere dicitur. Vt est in omnibus bonis
3 allodialibus, & hæreditarijs. Sunt & aliæ species Dominij. 1. Dominium in spe: puta filij familias, rerum Paternarum. 2. Dominium
4 per anticipationem: puta mulieris, quæ rei suæ, in dotem traditæ, domina dicitur. 3. Dominium Viduę, quam Maritus, relictis liberis,
5 Dominam, vsufructuariam administratricem esse iussit. Hoc tamẽ dominium, ad vsumfructum, tantùm restringitur. 4. Dominium,
6 quod summum, seu, maius, vel supremum vocant, & est quædam Maiestas, cuius obseruationem fæderati supremo Principi, vel Reipublicæ debent.

In diuisione Dominiorum, assignantur, naturali Iure, & Gentiũ,

communia omnium, & publica. 1. aër. 2. Aqua fluminum, Maris,
7 lacus, fontium, &c. 3. Portus. 4. littora Maris. 5. Riparum vsus. 6. Ius piscandi, & venandi. 7. Nauigatio, per flumina, mare, lacus, &c. 8. Theatra. 9. Stadia, & his similia, & si qua alia sunt Communia Ciuitatum: Tot: Tit: Inst: de rer: diuis:

Nullius sunt res Sacræ, religiosæ, & Sanctæ, quod enim Diuini
8 Iuris est, id in nullius bonis est. §. nullius Inst: De rer: diuis:

Singulorum hominum multis modis res fiunt, Iure, naturali,
9 Iure Gentium, & Iure Ciuili. 1. Feræ, bestiæ, Volucres, pisces, & omnia animalia, quæ mari, Cælo, & Terra nascuntur, fiunt capientium, iuxta tamen §. feræ, & seqq. Inst: de rer. diuis: 2. Capta ex hostibus nostra fiunt. 3. Lapelli, Gemmæ, & cętera, quę in littore Maris, inueniuntur, inuentori acquiruntur. 4. Nata ex animalibus nostris, nostra euadunt. 5. Per alluuionem agro nostro addita, nostra fiunt. 6. Insula in Mari nata, occupantis fit: Aliter disponitur de Insula, in flumine nata, ad §. Insula. Inst: de rer: diuis: 7. Thesaurus, in loco proprio, inuentus, fit proprius. §. Thesaurus: Inst: de rer: diuis: Alij multi modi aquisitionis dominij, videndi sunt in d. Tit: Inst: de rer: diuis: & seqq:

S V M M A R I O L A.

1 *Modum acquirendi ab actionibus prouenire.*
2 *Capita indicandi esse actiones, & exceptiones.*
3 *Obligationē esse causam actionis, in actione Personali.*
4 *Libellus causā actionis contineat.*
5 *Libellus quando perfectus.*
6 *Quod obligatio sit causa actionis, coarctandum est ad actionum Personalem.*
7 *Actiones reales nasci, ex dominio, vel quasi.*
8 *Causam remotā, in actione, reali, esse Titulum.*
9 *In actione reali causam proximam semper exprimendam.*
10 *Obligatio quid.*
11 *Actio quid.*
12 *Genus, & species, in definitione actionis.*
13 *Actio cuius Iuris sit.*
14 *Reus dicitur fugiens*
15 *Reus talis potest capi.*

DE

DE IVRE ACTIONVM, SECVNDVM LEGISTAS.

Caput LXI.


OMNE Ius, vel ad personas, vel ad res, pertinet: sed
1 parum prodesset hoc Ius, nisi acquirendi rationem
haberemus, Hic modus acquirendi actionibus ma-
ximè computatur, Vnde sine actionum notitia, non
possumus Iudiciorum strepitus, vllo modo, cogno-
scere. Nam Capita iudicandi sunt actiones, & exceptiones. Ex
2 hac materia Actionum, quæ toto tit. Inst. de Action: continetur,
discimus, ad nostrum emolumentum, qua formula agere, & in
controuersijs Iudiciarijs, victoriã consequi possimus, & quomodo
aliorum ignorationes illuminandæ à nobis sint, dum peritiam
3 huiusmodi materiæ habeamus.

Obligatio est causa, & veluti mater actionis. Ex obligatione
enim nascitur actio. Duplex est causa. 1. Proximior. 2. remotior.
Obligatio est causa proximior actionis. Contractus, & delictum
aliaque, ex quibus obligationes descendunt, dicuntur causæ re-
motiores Actionis. Vnde obligationes sunt causæ. Actiones sunt
effectus.

Hæc causarum distinctio diligenter obseruanda est, in libellis
quarumcumque Actionum. Quilibet enim libellus, causam, actio-
4 nis, quæ in eo intenditur, complecti debet. Causa proxima, ipsa
scilicet obligatio aliquando omittitur. Vt si dicam in libello (Mu-
tuaui Titio decem, peto eum condemnari) Hic causam proximam
taceo, quia, non dico, in quibus est mihi obligatus, & licet iste libel-
lus, saltem præsumptiuè, concludat, Iudex enim, ex causa remota,
5 nempè facto, & contractu, præsumit causam proximam, idest obli-
gationem, tamen melius esset expressisse causam proximam. Re-
mota vero causa, vt est contractus, conuentio, vel factum, nunquã
prætereunda est, etiam si causa proxima exprimatur. Vt si dicam
(Ago ad decem, ad quæ Titius est mihi obligatus) Hic libellus
tanquam nimis effusus, incertus, & generalis, omnino reiicietur,
nisi tamen Reus conuentus, acquiescendo, non opponeret. Nam
tacente ipso, valeret libellus; tunc est perfectus, quando vtramque

cauſam, ſcilicet proximam, & remotam continet, vt ſi dicam. Ago contra Titium, mihi obligatum, ex mutuo, ad decem, quæ ei dedi.

Propoſitio ſupra firmata (obligationem eſſe cauſam actionum) ad actionem perſonalem coarctanda eſt. Nam ea ſola oritur ex contractu, & delicto, mediante obligatione. Verbi gratia: Dedi tibi mutuo centum, ex hoc contractu oritur obligatio, qua mihi ob-
6 ſtringeris, vt mutuum reddas. Ex obligatione fluit actio, nempe condictio certi, qua illud ipſum, in Iudicio, abs te peto; Item dediſti mihi damnum. Ex hoc delicto oritur obligatio; qua euadis mihi obnoxius damnum datum reſarcire. Ex hac obligatione naſcitur actio, qua ego id ipſum abs te, in Iudicio, poſtulo.

Sed reales actiones non ex obligatione, ſed dominio potius, vel
7 ex quaſi dominio, enaſcuntur. Exempli gratia; Tu nullo Iure, poſſides ędes meas, quarum ego ſum Dominus. Ex hoc dominio oritur Ius petendi, vt ędes meas mihi reſtituas: quod Ius dicitur actio realis, ſiuè in rem, & ſic deinceps. Vnde in Actione reali cauſa proxima
8 eſt dominium, vel quaſi dominium: quia enim actor eſt Dominus
9 rei, vel quaſi Dominus, ideo agit, & petit, ſed cauſa remota eſt, titulus dominij. Vt ſi dico: (Sum Dominus, quia emi, quia ſucceſſi, vt hæres, quia res mihi donata eſt, vel in dotē data, vel legato relicta.) Debet autem neceſſariò ſemper, in libello exprimi cauſa proxima, ſi actionem realem intēdere velis, nempe, quia ſum Dominus. Cauſa remota omitti poteſt, in hac actione reali: Aliter fit in actione per-
10 ſonali, vt ſupra expreſſum eſt.

Obligatio propriè dicitur, quę ex contractu, ſeu delicto naſcitur. Ita in actione perſonali ſumitur; vt ex ſupradictis colligi poteſt.

Actio eſt Ius perſequendi, in Iudicio, quod ſibi debetur. Inſt: de
11 Action: in princ: Hęc definitio conſtat, ex effectu, & officio, quæ
12 forma eſt frequens, in legibus; Genus in hac definitione, eſt Ius, ideſt legitima facultas. Species ſunt; Dominium; obligatio; affectio; poſſeſſio; & ſimiles.

Actio, origine, & inuentione eſt Iuris Gentium. Conceptio, & for-
13 ma eſt Iuris Ciuilis.

Reus dicitur, in Iure, Pars fugiens, & in exceptione, actor. Credi-
14 tor poteſt, propria authoritate, capere debitorem fugitiuum. Nu-
15 merus Actionum petendus eſt, in Tit: Inſt: De Act;

SVM-

S V M M A R I O L A.

1 *Parētes naturaliter esse solicitos, circa regimen filiorum.*
2 *Istud regimen ex amore originari.*
3 *Perfectum esse, quod generat sibi simile.*
4 *Naturam solicitam esse, seruare per debita media ea, quibus dat esse.*
5 *Patrem regere filios, non propter bonum proprium, sed filiorum.*
6 *Filium diligere Patrem, quia produxit eum.*
7 *Amorem Patris in filium procedere vt à causa in effectum.*
7 *Amorem filij in Patrem, vt ab effectu, in causam.*
9 *Amorem Patris esse maiorem in filium, quã econtra, quoad bonũ vtile.*
10 *Amorem filij in Patrem, esse maiorem, quoad bonum reuerentiale.*
11 *Filium honorandum esse etiam à Patre, si sit maior dignitate.*
12 *Cur Deus dederit preceptũ de hõnore Parentũ, & nõ ecõtra &c.*

DE REGIMINE PATERNO,

Iuxta Iauell. tom.2. f.m.732.

Caput LXII.



1 VM supra, sub Tit. De iusto Politico dictum sit aliquid, de Iure Paterno, non longe à ratione erit, si diffusius hic de regimine, & Iure paterno, tractabitur. Parentes debent esse maxime soliciti, circa regimen filiorum. Probatur sic. 1. Ab amore naturali Parentum, erga filios. Inter similia est naturalis amor, nam similitudo per
2 se, est causa amoris: sed Pater, & filius sunt sibi inuicem similes, quo-
3 niam omne generans generat sibi simile, ergo Pater naturaliter diligit filium. Sed natura nos docuit, quod eorum, quę diligimus, curam geramus ergo &c. 2. Vnumquodque naturaliter diligit perfectionem suam, & ea, quæ illam testantur, sed producere filium sibi similem, est perfectio Patris, & filius productus est testis, & signum, perfectionis Paternę: tunc enim vnumquodq; perfectum est, quãdo potest generare sibi simile: filius autem ideo est testis perfectionis Paternæ, quia est effectus exprimens virtutem Patris generantis,

ergo

ergo Pater naturaliter diligit filium, & Ideo solicitatur, circa ipsum, procurando ei bonum, & seruando eum à malo. 3. In omni specie,
4 cui natura dat esse, solicita est, per debita media, seruare ipsã in esse, Verbi gratia. Natura dat esse igni, ideò solicita est inserere igni leuitatem, & siccitatem, & calorem, per quos seruetur in esse, nam per calorem resistit corrumpentibus, per leuitatem, & siccitatem ascẽdit ad propriam spheram, vbi naturaliter conseruatur: sed Pater naturaliter, idest per virtutem generatiuam dat esse filio, ergo naturaliter debet solicitari circa regimen filiorum, 4. omnia superiora, præsidentia inferioribus, influunt in eis, & regulant, & conseruant ea, vt patet de corporibus Cælestibus, respectu inferiorum: Sed Pater est naturaliter superior, & præsidens filijs, ergo debet esse solicitus circa regimen filiorum, & in hoc assimilari vniuersali omnium Parenti, cuius Prouidentia, & cura se extendit, vsque ad minima entium.

Amor vero, vt sit regulatus, tàm in ordine ad Patrem, quàm ad
5 filium, sic consideratur. Pater regit filios, non propter bonum proprium, sed propter bonum filiorum, Amor iste, respectu Patris, respicit bonum vtile, nam Pater magis diligit filium, quam è conuer-
6 so, filius autem diligit Patrem, quia productus est, & habet esse ab
7 illo, & sic amor Patris procedit in filios vt à causa in effectum, & à
8 superiori, in inferius. Amor filij in Patrem procedit, vt ab effectu in causam, & ab inferiori in suum superius, sed naturale est, quod superiora influant bonitatem suam in inferioribus, & conseruent ea, & non è conuerso, ergo naturaliter Parentes influunt bonitatẽ suam, in filijs, producendo, nutriendo, erudiendo, præparando hæreditatem, vt conseruentur in esse, post eos. Filij autem non sic habẽt
9 influere, in parentibus, sed gaudere bonis parentum. Cõstat, igitur, quantum ad bonum vtile, amorem Patris esse maiorem erga filiũ, quam, è contra, Experientia etiam id confirmat.

Sed quoad bonum reuerentiale, filij magis diligunt Parentes, quã,
10 è conuerso. Probatur. Inferiora naturaliter reuerentur superiora, & & non è conuerso, vt discipulus Magistrum, seruus Dominum, Miles Ducem, Ciuis Principem, sed filius est inferior Patre, sicut effectus sua causa, & principiatum suo principio, ergo quoad honorem, & reuerentiam, filij magis diligunt Parentes naturaliter, quàm è cõuerso; licet enim Parentes habeant prouidere filijs, non tamen eos reuereri, vt filij sunt.

Si autē filij sint, in aliquo Titulo, maiores Patre, ratione illius titu-
11 li, honorandi sunt à patre, vt si Pater sit idiota, filius Doctor, Pater Secularis, filius sacerdos, Pater ciuis priuatus, filius Rector ciuitatis.

Si filij naturaliter ita essent inclinati, ad honorandum, & subueniendum, in indigentia, & Obediendum Parentibus, sicut naturaliter inclinantur Parentes, ad prouidendum filijs, Deus non dedis-
12 set præceptum, de honore parentum: Sicut non dedit præceptum de dilectione sui ipsius, sed proximi. Quilibet enim naturaliter inclinatur ad amorem sui, & taliter, quod magis diligit se ipsum, quàm oportet.

S V M M A R I O L A.

1 *Sex seruanda esse in corporali filiorum regimine.*
2 *Molli cibo nutriendi.*
3 *Nutrix sit similis Matri, in complexione.*
4 *Vino non nutriendi.*
5 *Post ablactationem vino aßuefaciendi.*
6 *Vinum in suppa cur non tam nociuum.*
7 *Frigus salubre.*
8 *Recreandi ludis, & fabellis.*
9 *A tristibus præseruandi.*
10 *Prohibendi à ploratu vociferatiuo.*

§. 1. QVOMODO A PARENTIBVS CVRANDI Sint filij in primo septemnio.



CVM filij non habeant vsum rationis, ante septemnium,
1 (dormitat enim, in eis, anima intellectiua, veluti lacte carnis inebriata) tota cura versanda est, circa corpus. 1.
2 Nutriendi sunt, cibo molli, & facilè digestibili, quoniā calor naturalis valde debilis est, ideo ex grosso, & duro cibo suffocarentur, sicut paruulus ignis, ex supositione viridium lignorum, Primus cibus infantiū est lac: quando nutritur infans alieno lacte,
3 inueniatur Nutrix, similis complexionis, qua constat Mater: lac enim Maternum, vel simile Materno, est maximè proportionatum, infanti lac suggenti: lac autem extraneatū, adeo est improportionatum eidem, quod trahit eum, ad extraneos mores, vel inclinationes, vel ægritudines. 2. Nutriendi sunt surbicumculis, & pane lixato,

& breuiter

4 & breuiter cibo non ſolido. 3. Prohibendi ſunt à vino, præcipuè
toto tempore, quo lactantur: quoniam vinum admixtum lacti,
corruptionem generat, in ſtomaco, & inde proueniunt horribiles
ęgritudines, quę in ętate adulta, manifeſtantur, pręcipuè epilepſia,
5 lepra, &c. Ablactatis ipſis, paulatim aſſuefaciendi ſunt vino, ita
quidem, vt magis ipſum guſtent, admixtum pani, vt in ſuppa, quam
per ſe ipſum. Nam panis admixtus vino, trahit in ſe partes vini
ſubtiliores, quæ ſunt ſpirituoſæ, & vaporatiuæ ad caput. In ſuppa
6 verò, virtus vini imbibita pani permanet in ſtomaco, benè nutriens
loco lactis, & caput non obnubilat. Quando vinum eſt virtuo-
7 ſum, & vaporatiuum, non in quantitate, & non niſi limphatum
præbeatur. 4. Aſſuefiant ad frigus ſuſtinendum, propter duo. 1. quo-
nam id confert ſanitati, & bonę corporis valetudini: Frigus enim,
licet exceſſiuum, ſit mortificatiuum, quoniam vita fundatur, in ca-
lido, & humido, bene regulatis, & temperatis, mors autẽ in frigido,
& ſicco exceſſiuo, tamen ſi moderatum eſt, ita quod ab humana
complexione poſſit ſuſtineri, maximè confert ſanitati, & bonę
diſpoſitioni: præſeruat enim ab humorum putrefactione, cuius ſi-
gnum eſt, quod epidimia non præualet tempore Hyemali, & res
mortuæ, per notabile tempus frigidum, non putreſcunt, nec fętent,
& venti Aquilonares, ex ſua frigiditate, ſunt ſalubres; Auſtrales au-
tem, ex ſuo calore, & humido impuro, peſtiferi, & inſalubres. 2. quia
conſtringit, & fortificat calorem ad intra; Ex conſequenti fit corpus
robuſtius, & intenſior digeſtio, redduntur que omnia corporis mẽ-
bra validiora, ad ferendos labores: Cuius ſignũ eſt, Populos frigidę
Regionis, eſſe naturaliter robuſtos corpore, & bellicoſos, vt
Germani, &c. Auſtrales autem eſſe, oppoſito modo. Frigus tamen,
de quo loquimur, non ſit exceſſiuum, aliter extringueret calorem
naturalem, & induceret mortem. Cingari hoc vſu vtuntur, im-
mergendi, in Hyeme, in flumine, paruulos, & veſtiendi eos leuibus.
5. Aſſuefiant temperatis motibus, puta quod deportentur in Vlnis,
quod paulatim diſcant progredi, quod in. 4. anno vſque ad ſeptimũ
exerceant ſe in puerilibus, & liberis ludis, nã ſicut frigus tempera-
tum fortificat, ſic motus temperatus acuit calorem, ſubtiliat humo-
res groſſos, facit digerere, & exalare ſuperflua; oppoſitum autem
facit otium, & immoderata quies: ſicut naturalia otio marceſcunt.
8 & motu ſeruantur. 6. Recreentur ludis, fabellis, & cantibus. Nam,
in

in puerili ludo, est motus corporis temperatus, talis motus reddit
totum corpus agile, ex opposito remanet iners, & pigrum. Fabellis
autem, postquam incipiunt addiscere Idioma Maternum, vt Paren-
tes suos delectent: Cantibus, vt infantes ipsi incipiant lętari. Ca-
uendum est etiam, ne quid triste audiant, nec videant, quod abho-
9 reant, nam ex huiusmodi auditis, & visis redduntur formidolosi, to-
10 to tempore vitæ suæ. 7. cohibendi sunt, à ploratu vociferatiuo, nā
per ploratum eiulatiuum, quodam conatu, emittitur spiritus. Per
immoderatam emissionem spiritus, & anhelitus debilitatur cor-
pus, sicut in adulto debilitatur, per immoderatum laborem.

S V M M A R I O L A.

1 *Sicciori cibo nutriendi.*
2 *Moderato cibo assuefaciendi.*
3 *Vini meri pernicies.*
4 *Exercitium corporale, quale.*
5 *Regulandi secundum appetitum sensitiuum.*
6 *Instruendi quoad intellectum.*

§. 2. QVOMODO CVRANDI PER TOTVM

Secundum septemnium.



AB anno septimo vsque ad decimumquartum, cum fi-
lij habere incipiant rationis vsum, & discretionem
boni à malo, Honesti ab in honesto, laudabilis à vi-
tuperabili, cuius signum est, quod incipiunt vere cū-
1 dari, regendi sunt, tàm quoad corpus, quàm quoad
animam intellectiuam. Quoad corpus, nutriēdi sunt solidiori cibo,
& in maiori quantitate, & declinante ad siccitatem magis, quàm in
primo septemnio, vt calor naturalis magis intendatur, et solidius
conseruetur, et totum corpus robustius fiat: nam si calor ipse susten-
2 tatur cibo leui, tenui, raro, et humido, vel à prædominio quasi hu-
mido, erit sicut calor ignis, introductus in aqua, vel in materia rara,
qui hoc intensè operatur, nec diu conseruatur, si autem sustentatur
cibo solido, substantifico, et declinante ad dēsitatem, et siccitatem,
vt est panis, legumina, carnes &c. erit sicut calor ignis, introductus,
in materia dēsa ignibili, vt in ferro, in ligno quercino, vel gumatico,

qui intensè calefacit, diùque seruatur. Hinc error Nobilium &c. qui filios in 2. 7. adeò delicatè, & molliter nutriunt, quod velut debilis arundo, leui superueniente vento, & accedente alteratiuo, succumbant, & nunquam virilem assumant animum, nec masculinum sensum sapiant.

3 Quantum ad potum: Vino assuefaciendi sunt, sed aqua satis tẽperato; nam merum faceret illos loquaces, temerarios, & ad inhonesta nimis procliues. Præterea merum, sensum deprimit, rationem hebetat, rectum aufert iudicium, cum caput fumosis vaporibus repleat, obstruatque veræ speculationis aditum. Hinc Viri sapientiæ amatores, sobriè Vinum gustant, vt animum transferant ad sapientiam: Ideò Eccl: 31. quàm sufficiens est viro erudito vinum exiguum.

4 Exercitium corporale longe maius debet esse in hoc 2. quam in Primo. 7. ne pigri, & inertes fiant, & quoniam incipiunt validiores esse, viribus, exercendi sunt in motibus, & ludis fortioribus, vt in cursu, in ludo pilæ, in brachiali luctatione, nundum tamen sunt eis imponendi militares labores, quia cum adhuc sint, in tenera ætate, in continuo augumento, nimis debilitarentur, nec membra robustiora fierent propter multam spirituum euanescentiam, quæ causaretur, ex improportionatis laboribus, pro illa tenera ætate.

Quoad regimen animæ intellectiuæ, adhoc, vt habeant ordinatã voluntatem, & benè depositam, secundum rectæ rationis iudicium,
5 prius regulandi sunt, secundum appetitum sensitiuum: nam pueri priùs agitantur concupiscentia, & irascibili, quàm habeant rationis vsum: Sunt enim, in hac ætate, vt animantia irrationabilia, quæ non ratione, sed phantasijs, immaginationibus, & passionibus agitata, operantur. Licet autem in appetitu sensitiuo, vndecim sint passiones, tamẽ ita regulandi sunt filij, quod nòn omninò viuant, secundũ excessum concupiscentiæ, & irascibilis, quare vel Pater benè præsideat, vel detur ei Pedagogus, qui loco rationis, regulet ipsos, ne quid nimis præsumant, sed discant, in omnibus, se se, temperatos exhibere, nam ista ætas nescit modum, neque mediũ, sed aut excedẽter, aut defectiuè, in omnibus se habet. Si autem benè regulentur, secũdum appetitum sensitiuum, habebunt, ex consequenti, voluntatem benè ordinatam: Impssiobile est enim habere appetitum sensitiuum deordinatum, & voluntatem ordinatam.

Quoad intellectũ, cũ nundũ habeant firmatum rationis vſum, nó
6 ſunt ſollicitandi, vt addiſcant difficiles, & ſubtiles diſciplinas, qualis eſt Mathematica, Phiſica, & Methephiſica, ſed exerceantur in Grãmatica, Logica, (quę ſunt ſcientię de Sermone) in Muſica, conſiſtẽte in conſonantia vocum, in leuioribus artibus Mechanicis, qualis eſt ſutoria, & ars fabrilis minutorum.

Magis autem curent Parentes, vt filij, in hoc. 2. 7. regulentur ſecuudum appetitum ſenſitiuum, quàm ſecundum intellectum, quoniam ſi in tenera ętate, imbiberint malos mores, cum adoleuerint, non recedent ab eis.

S V M M A R I O L A.

1 *Quomodo regendi quoad corpus.*
2 *Quomodo quoad ſenſum, & voluntatem.*
3 *Filios triplici ratione teneri ad venerandos Maiores.*
4 *Curandum ne ſint effræni, in cibo, potu, verbis, & in inhoneſtis.*
5 *Quomodo regendi quoad intellectum.*

§. 3. QVOMODO REGENDI IN TERTIO Septemnio.



TRIA videbimus, in hoc puncto, quomodo regendi ſint, in tertio ſeptemnio. 1. quomodo regendi quoad corpus. 2. quoad appetitum ſenſitiuum, & voluntatẽ 3. quoad intellectum.

Quoad Primum. Nutriendi ſunt adhuc magis ſo-
1 lido cibo, & in maiori quantitate, quia calor naturalis, cum ſit intenſior, plus conſumit, & ſunt in manifeſtiſſimo augumento Sed vino ſemper temperatiſſimo. Motus, & labores longè fortiores aſſumentur, quã in ſecundo ſeptemnio, & ſic exerceantur in venaticio, in curſu, in equitatura, in Paleſtra, in Vigilijs, in Ieiunijs moderatis, in ſtratus duritię, in delatura armorum &c. ſic animus, & deſiderium accenduntur, ſpe conſequendi gloriam, & robur corporis, & ſenſuum viuacitas florent. Vnde Gen: cap. 14. Abraham intendẽs liberare lot, cum omni ſubſtantia ſua progreſſus eſt in bellum, cum trecentis decem, & octo Vernaculis ſuis. Vernaculi dicuntur iuue-

 nes,

nes à vere, quod est primum, & floridum anni tempus.

Quoad secundum, omnes passiones appetitus sensitiui, in hoc 3. Septemnio ebuliunt, præcipuè appetitus gloriæ, & supereminentiæ, & venereorum. Nam, in hac ætate, vigentes rationis vsu, apprehendunt quasi quid Diuinum, præesse, & non subijci, & sic quasi gloriosum esse, non respiscere superiorem: Vnde incurrunt in quãdam animi elationem, in qua, si nõ moderentur, efficiuntur superbi, elati, rebelles, inobedientes, despectores, calumniosi, percussores, &c. Ne igitur feralis hic appetitus præualeat, regendi sunt filij, ad hoc, vt secundum. S. Paul: æquales diligant, maiores venerentur,
3 Parentibus subijciantur. Et hoc triplici ratione. Primo.

Quia Parentes, & seniores super intendunt curæ filiorum, non propter bonum proprium, sed filiorum: sed decens est, vt filij obediant, ac se subijciant quærentibus, & laborantibus pro bono ipsorũ, ergo, &c. 2. quia cum filij, ad ætatem perfectam deuenerint, futuri sunt Patres, vt ergo sint, in exemplum filiorum, debent Patribus obedire, dum sunt in ætate iuuenili. Tunc enim dicturi sunt audacter filijs suis: Exemplũ obedientiæ dedimus vobis, vt quemadmodum nos fecimus Patribus nostris, ita vos faciatis nobis. 3. quia qui intendit principari, discat prius obedire, et subijci: Nam etiam secũdum Arist: nemo rectè dominabitur, nisi prius fuerit subiectus. Vnde non probatur Magister, qui prius non fuit discipulus, neque Dux, qui prius non fuit miles. Vt ergo filij discant rectè principari, discant prius subijci. Vnde S. P. ad Eph: 6. Filij obedite Parentibus vestris, sic enim placitum est Domino. Et Eccl: 3. qui timet Dominũ, honorat Parentes, & quasi Dominis his, qui se genuerũt, in opere, sermone, et omni patientia, etc.

Insurgit, in hac ætate, furiosus Venereorum appetitus. Roboratur Virtus generatiua, superabundat sperma, totoque nexu conatur inuenire vas, In quo spermaticet, non tantum ex appetitu generãdi, sibi simile, sed etiam vt satisfaciat impetuosæ libidini. Hinc prouenit, quod nisi ætas ista debitè regatur, omni turpitudine fœdatur. Oportet igitur Parentes super intendere filijs, in hac ætate, vt tempe-
4 rantiam assequantur, & sic quod non fiant effræni, in Cibo, potu, verbis, & inhonesta venere, & eos corrigere, & punire, nam cum sint, in hoc Septemnio veluti equorũ pulli, lasciui, fune, compede, & freno constringendi sunt, alias retineri, neque disciplinari poterunt.

Quantum

Quantum ad tertium, quoad regimen intellectus. Cum, in hac ætate, longè amplius vigeant intellectu, non solum erudiendi sunt, in Grãmatica, Dialectica, & Musica, sicut in 2. Septemnio, sed etiã
5 in habitibus, scientificis subtilioribus, quales sunt habitus Morales, & Ciuiles, & Mathematici, Phisici; Morales quidẽ, & Ciuiles expediunt his, qui intendunt exercere vitam Politicam, & Militarem, sic enim apprehendent, quomodo se ipsos, & alios, si Presidentes fuerint, regere debeant. Habitus Speculatiui ad eos spectant, qui contemplatiuis vacare intendunt.

S V M M A R I O L A.

1 *Pædagogus 4. in se contineat.*
2 *Sit grauis. 2. prudens. 3. sufficienter eruditus. 4. Probatę Vitæ.*

§. 4. DE PEDAGOGO FILIIS NOBILIBVS

Præponendo, &c.



ALIQVI existimant, filijs nobilibus, in. 2. & 3. septemnio constitutis, pręficiendum, esse Pędagogum, dummodo
1 his qualitatibus ornatum Parentes inueniant. Cum is debeat Addescentulum, cuius curam gerit, regulare, quoad gestus Corporis, frænationem Passionum, & perfectionem
2 intellectus. 4. in se, continere debet. 1. Grauitatem in motu, in incessu, & reliquis Corporis gestibus, ità quod nil leue; aut obscænum appareat in eo. 2. Prudentiam in agibilibus. 3. Sufficientiam, in scientijs, quibus imbuendus est puer. 4. vitę, & morum probitatem.

Quoad Primum. Præponitur puero, sicut auriga equo lasciuienti: Auriga docet equum, fręno, calcaribus, & verberibus. Pedagogus his addat, ad monitiones, minas, & exemplum sui ipsius, in omni gestu exteriori motu, statu, & progressu, sed cum forma totius grauitatis, commisceat quandam benignam, & non austeram authoritatem, vt videatur magis amore quàm seueritate regere: Cum, iuxta senecã, Generosus sit animus hominis, & Ideò magis amore, 1
quàm vi, trahatur.

Quantum ad. 2. quod sit prudens. Requiritur. 1. quod

ſit benè memoratiuus. 2. Prouidus. 3. cautus. 4. circumſpectus In. 1. oportet ipſum eſſe benè memoratiuum præteritorum. Nam ex præterito, & futuro dirigitur præſens. 2. ſit prouidus, reſpectu futurorum. Oportet enim eum præuidere futura, vt, per debita media, conſeruetur filius, in bonis moribus, & remoueat incentiua, & occaſiones, quibus poſſit declinare à bono, & facere malum. 3. ſit cautus, & intellectu vigil: nam ſicut in ſpeculatiuis, omnis adhibenda eſt cautela, & vigilantia, ne falſa veris, ſic inagendis, adhibenda eſt cautela, ne bona malis, aut è conuerſo admiſceantur, nam quædam mala primo aſpectu videntur bona, & è conuerſo ſicut quædam falſa, primo aſpectu videntur vera. At ſi exactè conſiderentur, verò iudicio iudicabũtur, vt ſunt: ſicut igitur ſpectat ad verum Doctorem, eſſe vigilem, & cautum, ne diſcipulũ doceat verum admixtum falſo, ſic ad probum Pędagogum pertinet eſſe cautũ, ne filio proponat bonum, ſub ſpecie mali, nec è conuerſo. 4. ſit circumſpectus. Dignoſcat in ſingulari; propenſiones filij, ſciat deducere ad bonum, & arcere à malo, per media conueniẽtia: neque enim, eiſdem medijs, vtendum eſt cum omnibus. Manſuetus dulciter, iracundus, & cholericus magis aſperè, vt potè, increpationibus, minis, & ſi expedierit, verberibus, ducendus eſt.

Quoad 3. quod Pædagogus habeat ſufficientiam, in illis ſcientijs, in quibus erudire intendit puerum, neceſſe eſt illum habere tres conditiones. 1. ſit inuentiuus. 2. ſtudioſus, & intellectiuus. 3. Tam de inuentis à ſe ipſo, quam de aliorum dictis, benè iudicatiuus.

Quantum ad 4. contineat in ſe Vitæ, & morum probitatem: quoniam eius vita eſt vti exemplar filio, ſibi commiſſo: Eius enim eruditio, & inſtructio, ad virtutes, contemnẽtur, ſi eius opera erunt non vniformia, &c.

S V M M A R I O L A.

1 *Tribus rationibus probatur rubrica.*

2 *Filius de facili informatur moribus eorum cum quibus conuerſatur.*

3 *Filios, ex natura, eſſe proclines, ad contrahendum amicitias.*

4 *Filius conuerſans cum prauis, imbibit delectationes ſenſuales, & ab eis poteſt ea non recedit.*

§. 5. RE-

§. 5. RETRAHENDOS ESSE ADOLESCENTVLOS à praua societate.



OSITIS qualitatibus necessarijs ipsi Pædagogo, exprimenda modo sunt media, quibus ipse, vel Pater, deficiente Pædagogo, regere filios debeat. Fundamẽtum totius eruditionis sumitur à conuersatione. Nã
1 sicut bonorum societas conducit ad bonum, sic malorum ad malum. Præseruetur filius à mala conuersatione, triplici ratione. 1. Quia filius in 2. & 3. Septemnio, de facili, informatur moribus eorum, cum quibus conuersatur, tàm in bonum, quàm
2 in malum, sed magis in malũ, ex pronitate: nàm anima, pro iuuenili ætate, insequitur, complexionem corporis, & declinat ad appetitũ sensitiuum, quia prima sua cognitio boni, & mali oritur à sensu, qui mouet phantasiam, & ipsa mouet appetitum sensitiuum, sub ratione delectabilis. Cum igitur adolescentuli habeant corpus molle, & appetitus sensitiuus in eis sequatur bonum delectabile, & anima de facili inclinetur, in eandem partem, in quam, & ipse appetitus, constat, quod adolescens, velut cera mollis, de facili sigillabitur, moribus eorum, cum quibus conuersabitur, & quoniam pro maiori parte, adolescentes sunt Intemperati, insequentes lasciua, & gulosa, ideò retrahendi sunt, ab huiusmodi conuersationibus, aliàs iuxta illud, Adolescens iuxta viam suam, etiam cum senuerit, non re-
3 cedet ab ea. Prou: 22.

Secunda ratio: quia adolescentes sunt, ex natura, procliues ad conciliandas amicitias delectabiles, cum æqualibus suis, mutuoque conuictu maximè gaudent. Vnde videmus quod semper vellent simul loqui, simul ludere, simul iacere, simul comedere. Ad hoc autem, quod in prædictis simul gaudeant, in amore perseuerent, oportet, vt sint conformes, quoniam omne difforme est incommunicabile, si igitur adolescens, cum prauo, societatem habuerit, contrhaet, cum eo, amicitiam, ex amicitia conformabit se prauo, ex consequenti efficietur prauus: iuxta illud Psal: cum Sancto Sanctus eris, & cum peruerso peruerteris.

Tertia quia adolescentes nundum experti sunt veras delectatio-

nes ſpirituales, cum adhuc non vigeat perfectè rationis vſus, quas
4 autem experiuntur, ſunt delectationes ſenſibiles, quæ niſi temperatè ſumantur, deprimunt animum, adeò vt per totam vitam, demergantur, in illis, ſi ergo adoleſcens conuerſatus fuerit cũ prauis, & paulatim deguſtauerit brutales delectationes, cum ſit illius ætatis, quæ facile credit, ſuadebitur illi, eas eſſe veras delectationes, & velut ebrius, in illis permanebit.

S V M M A R I O L A.

1 *Filium imbibendũ bonis moribus, triplici ratione.*

2 *Delectationis deſiderium eſſe naturale.*

3 *Regendus in omni ſenſu.*

4 *Dirigendus, in reuerentia, & honore, erga Maiores.*

5 *Diſciplina appellatur dicta informatio.*

6 *Caret perfecta ratione, ideò ducendus.*

7 *Filios eſſe animo molles, & flexibiles.*

8 *Habitus malus ſi confirmatus, fit connaturalis.*

9 *Mores primi tàm boni, quàm mali indelebiliter ſculpuntur.*

§. 6. QVOMODO INFORMANDVS SIT Filius bonis moribus.

REMOTIO filiorum à prauis ſocietatibus non ſufficit, pro eorum bona educatione. Medicus ille eſſet inſipiens, qui prohiberet infirmo nociua, & non aſſignaret ei congruum Vitæ regimen, & nutrimentũ
1 opportunum: Sic Pater, vel Pædagogus, non benè ageret, ſi poſt abſtractionem à mala ſocietate, filium, etiam, bonis moribus, non imbueret. Quod triplici ratione faciendum eſt.

Prima ſumitur à connaturalitate delectationis. Pro cuius notitia dicimus, adeò naturale eſſe, cunctis animantibus deſiderium de-
2 lectationis, & præcipuè homini, quod diu in omnimoda triſtitia viuere non poteſt. Vnde puer, mox natus, delectari incipit, cum primum vbera ſuggit, quæ autem ſunt naturalia, ſecundum appetitum ſenſitiuum, niſi moderentur, per rationem intrinſecam, in

ætate

ætate adulta, aut in ætate tenera, per Patrem, vel Pędagogum, qui est loco rationis, in dicta ętate, cetera, adeo excrescunt, quod homo, in illis sectandis, totus immergitur, nec aliter delectatur in cibo, potu, venereis, ludis, & gestibus, quàm brutũ. Vt igitur adolescens,
3 in his, non excedat, neque deficiat, sed sibi, medium tenere, admonendus est; vt in omni sensu, honestè se habeat, in motu, in incessu,
4 in sermone, in cibo, in potu, in debita reuerentia, honore, & obediẽtia erga maiores, & hoc est ipsũ informare uniuersaliter bonis moribus. Hæc informatio, appellatur in Sacra scriptura, disciplina.
5 Vnde Prou. 23. Noli subtrahere à puero disciplinam. Quomodo autem in specie, informandus sit, in sermone, in visu, in auditu, in ludis, in gestibus, &c. Exprimetur infra.

Secunda ratio sumitur, ex defectu rationis, & ex inclinatione ad malum. Vbi maius imminet periculum, ibi diligentius, citius, &
6 cautius est superintendendum. Verbi gratia: quoniam infans adhuc inconstans viribus, dum incipit ambulare, de facili casum facit, & periculum imminet, ne crure fracto, aut distorto pede, claudus perpetuo fiat, ideò nutrix summè vigilat, ne per seipsum, infans ambulet, sed continuè sustentat primos eius gressus, donec robustior effectus, & assuetus regulariter pedem, ante pedem ponere, possit, per seipsum, & à casu sinistro præcauere; sic in proposito, quia adolescens non regitur ab intrinseco, rectę rationis dictamine, sed potius ducitur sensu, & immaginatione, mouente appetitum sensitiuum, si relinquatur sibi, de facili cadet, in actus malos, & pręcipuè ex concupiscentia, qua trahimur ad malum, & captiuamur in lege peccati. Oportet igitur Patrem, vel Pedagogum, veluti fidam nutricem, regere adolescentulũ, per bonos mores, ne tendat pręceps in sinistrum.

Tertia ratio sumitur, ex euitatione mali, ac vitiosi habitus, nam
7 cum adulescentuli sint, animo molles, & flexibiles, sicut, & corpore, si relinquantur suo arbitrio, absque mensura sectabuntur concupiscibilia, & sic ex frequentatis actibus malis, sigillabitur in eis, velut in cera ductili, & molli, habitus malus, qui postquam confir-
8 matus fuerit, efficietur quasi cõnaturalis. Ne ergo, in iuuenili ætate, huiusmodi malus habitus imprimatur, imbuendus est adolescentu-
9 lus, bonis moribus, per opportunas correptiones, & bono Vitæ exemplo: Nã primi mores tàm boni, quàm mali, quasi indelebiliter

 sculpuntur

nes ſpirituales, cum adhuc non vigeat perfectè rationis vſus, quas
4 autem experiuntur, ſunt delectationes ſenſibiles, quæ niſi temperatè ſumantur, deprimunt animum, adeò vt per totam vitam, demergantur, in illis, ſi ergo adoleſcens conuerſatus fuerit cũ prauis, & paulatim deguſtauerit brutales delectationes, cum ſit illius ętatis, quæ facile credit, ſuadebitur illi, eas eſſe veras delectationes, & velut ebrius, in illis permanebit.

S V M M A R I O L A.

1 *Filium imbibendũ bonis moribus, triplici ratione.*

2 *Delectationis deſiderium eſſe naturale.*

3 *Regendus in omni ſenſu.*

4 *Dirigendus, in reuerentia, & honore, erga Maiores.*

5 *Diſciplina appellatur dicta informatio.*

6 *Caret perfecta ratione, ideò ducendus.*

7 *Filios eſſe animo molles, & flexibiles.*

8 *Habitus malus ſi confirmatus, fit connaturalis.*

9 *Mores primi tàm boni, quàm mali indelebiliter ſculpuntur.*

§. 6. QVOMODO INFORMANDVS SIT Filius bonis moribus.



REMOTIO filiorum à prauis ſocietatibus non ſufficit, pro eorum bona educatione. Medicus ille eſſet inſipiens, qui prohiberet infirmo nociua, & non aſſignaret ei congruum Vitę regimen, & nutrimentũ
1 opportunum. Sic Pater, vel Pædagogus, non benè ageret, ſi poſt abſtractionem à mala ſocietate, filium, etiam, bonis moribus, non imbueret. Quod triplici ratione faciendum eſt.

Prima ſumitur à connaturalitate delectationis. Pro cuius notitia dicimus, adeò naturale eſſe cunctis animantibus deſiderium de-
2 lectationis, & præcipuè homini, quod diu in omnimoda triſtitia viuere non poteſt. Vnde puer, mox natus, delectari incipit, cum primum vbera ſuggit, quæ autem ſunt naturalia, ſecundum appetitum ſenſitiuum, niſi moderentur, per rationem intrinſecam, in

ætate adulta, aut in ætate tenera, per Patrem, vel Pędagogum, qui est loco rationis, in dicta ętate tenera, adeo excrescunt, quod homo, in illis sectandis, totus immergitur, nec aliter delectatur in cibo, potu, venereis, ludis, & gestibus, quàm brutũ. Vt igitur adolescens,
3 in his, non excedat, neque deficiat, sed valeat mediũ tenere, admonendus est; vt in omni sensu, honestè se habeat, in motu, in incessu,
4 in sermone, in cibo, in potu, in debita reuerentia, honore, & obedientia erga maiores, & hoc est ipsũ informare vniuersaliter bonis moribus. Hæc informatio, appellatur in Sacra scriptura, disciplina.
5 Vnde Prou. 23. Noli subtrahere à puero disciplinam. Quomodo autem in specie, informandus sit, in sermone, in visu, in auditu, in ludis, in gestibus, &c. Exprimetur infra.

Secunda ratio sumitur, ex defectu rationis, & ex inclinatione ad malum; Vbi maius imminet periculum, ibi diligentius, citius, &
6 cautius est superintendendum. Verbi gratia: quoniam infans adhuc inconstans viribus, dum incipit ambulare, de facili casum facit, & periculum imminet, ne crure fracto, aut distorto pede, claudus perpetuo fiat, ideò nutrix summe vigilat, ne per seipsum, infans ambulet, sed continuè sustentat primos eius gressus, donec robustior effectus, & assuetus regulariter pedem, ante pedem ponere, possit, per seipsum, & à casu sinistro præcauere; sic in proposito, quia adolescens non regitur ab intrinseco, rectę rationis dictamine, sed potius ducitur sensu, & immaginatione, mouente appetitum sensitiuum, si relinquatur sibi, de facili cadet, in actus malos, & pręcipuè ex concupiscentia, qua trahimur ad malum, & captiuamur in lege peccati. Oportet igitur Patrem, vel Pedagogum, veluti fidam nutricem, regere adolescentulũ, per bonos mores, ne tendat pręceps in sinistrum.

Tertia ratio sumitur, ex euitatione mali, ac vitiosi habitus, nam
7 cum adolescentuli sint, animo molles, & flexibiles, sicut, & corpore, si relinquantur, suo arbitrio, absque mensura sectabuntur concupiscibilia, & sic ex frequentatis actibus malis, sigillabitur in eis, velut in cera ductili, & molli, habitus malus; qui postquam confir-
8 matus fuerit, efficietur quasi cõnaturalis. Ne ergo, in iuuenili ætate, huiusmodi malus habitus imprimatur, imbuendus est adolescentu-
9 lus, bonis moribus, per opportunas correptiones, & bono Vitæ exemplo: Nã primi mores tàm boni, quàm mali, quasi indelebiliter

 sculpuntur

sculpuntur, in animo: vnde per raro inuenimus hominem, ab infantia vitiose eruditum, in reliquo vitę suæ decursu, ad bonum conuerti. Contrahit enim malitiam immutabilem, sicut Ethiops nigredinem, & pardus varietatem. Vnde. S. Hieron: c. 13. si mutare potest Ethiops pellem suam, aut pardus varietates suas, & vos poteritis benè facere, cum didiceritis malum.

S V M M A R I O L A.

1 *Quoad visum duo attendenda.*
2 *Præseruatio circa visibilia.*
3 *Vita quæ, circa modum videndi.*
4 *Filiorum institutio, in sensu auditus.*
5 *Odoratus quoad sensum institutio.*
6 *Odorare homines triplici ratione.*
7 *In Odorando seruanda mensura.*
8 *Odoratio ad malum finem, vitiosa.*
9 *Odorabilium respectu, excessus.*

§. 7. QVOMODO REGVLANDVS FILIVS CIRCA Visum, auditum, & odoratum.



DICTVM est supra de regimine filij, in generali. Verum quia, in moralibus, doctrina applicata, & specifica vtilior inuenitur, Ideò hic dicendũ erit, in particulari, quomodo regendus, circa visum, auditum,
1 & odoratum. In. §. Sequenti circa loquellam, gustũ, & tactum, quoad visum duo attendenda sunt. 1. circa visibilia. 2. circa modum videndi.

In Primo. Pręseruatur ab inspectione turpium, & obscęnorum:
2 ætas enim illa, quæ primo videt, memoria tenaciter retinet, & si apprehendat sub ratione delectabilium, vehementer amat, & inclinatur ad illa, quæ autem, sub ratione delectabilium, sunt apprehensa,
3 & memoriæ mandata sæpissimè memorantur: memorata, videntur vt præsentia, & præsentata appetitui sensitiuo, excitant concupiscentiam, qua excitata non cessat iuuenilis ardor, donec illa assequatur. Sit ergo vigil Curator filij, vt remoueat, ab illo, occasiones videndi in honesta, & obscæua: Curiositatem, in illo, videndi turpia, compescat, repræhensionibus, & punitionibus, secundum proportioné ętatis, & id nó solum in re, sed etiam in imaginibus, &

picturis,

picturis, quoniam imago repræsentat imaginatum, ex consequenti, excitat concupiscentiam, sicut experitur qui videt mulierem denudatam, vel eius imaginem depictam. Vnde in scriptura Sacra, oculorũ custodia frequenter iniungitur: est enim oculus in homine, vt prima in Domo ianua, per quam seruatur, & deprædatur domus. Oculi tui recta videant. Prou: 4.

In 2. circa modum videndi. Aduertat Pater, vel Pedagogus, ne filius circumgiret oculos, neque palpebras, frequenti, & inordinato motu eleuet, & deprimat, sed cum grauitate quadam, & sensatè. Nam Circumgiratio oculorum, & frequens, palpebrarum motus indicare videntur animi inconstantiã, paruitatem, & pusillanimitatem: oculus enim est nuntius animi. Hoc vitium in pueritia tolleratum, ridiculum morem generat, quod in ætate adulta, & in senectute non separabitur, quę enim in pueritia transeunt, in consuetudinem fiunt quodam modo connaturalia.

Quantum ad auditum, non permittatur puerum quæcunque,
4 neque quoscunque loquentes, audire: nam quædam sunt, quæ melius est non audire: inclinant enim audita animum ad malum, præcipuè in tenera ætate, qualia sunt, inhonesta, & obscænas Vnde etiam, secundum Aristoti: adolescentuli prohibendi sunt, ne turpia audiant, nam audire est illi propinquum facere, & ex auditione turpium deflectitur animus ad opus prauum: Ideò. S. P. ad Ephes: c. 5. fornicatio, aut omnis immonditia nec nominetur in vobis, aut turpitudo, aut stultiloquium, aut scurrilitas, &c. Maliloqui, etiam maledici, & indecora loquentes, arcendi sunt ab adolescentulis; corrumpunt enim bonos mores colloquia praua. S. Paul: Corint: 15. Caueant etiam, super omnia, Parentes, & Pedagogus, ne audientibus filijs, iniuriosa, imprecatoria, inhonesta, & blasphematoria proferant. Quoniam cum adoleuerint, ducti prauo exemplo assimilabuntur Parentibus, & Pædagogis: Nec si reprehensi fuerint à Parentibus, dignabuntur eos audire, sed potius in animo contemnent eos.

Quoad odoratum. Alia ratione odorant bruta, alia homines.
5 Bruta non odorant, nisi in Ordine, ad cibum. Cognoscunt, & in-
6 quirunt cibum, sibi conuenientem, ex odore, & respuunt non conuenientem. Hinc videmus bruta prius olefacere cibum, quàm gustare velint. Homines verò, triplici ratione, odorant: 1. in ordine

ad cibum,& in hoc conueniunt cum brutis. 2. vt confortetur cerebrum ex bonis odoribus, & vitare sciant malos, & fœtidos: Nam sicut odor bonus caput ipsum confortat, sic malus perturbat, & debilitat. 3. Vt delectetur, in perceptione suauis odoris, & hæc
7 duo propria sunt homini: Sed in odorando, seruanda est debita mensura, excessus enim vitiosus, est quatenus, est occasio luxuriandi, vt patet, in meretricibus, & lenonibus, qui liniunt se, &
8 respergunt odorabilibus non naturalibus, sed artificialibus vt luxurientur, & venerem excitent, Curandum est igitur, ne adolescentulus excedat, in odoratu, respectu odorabilium, quæ ex communi vsu potius ordinantur ad illicitam luxuriam, quam ad
9 aliud: Emoliunt enim, & effœminant masculum animum, & infamiam pariunt.

S V M M A R I O L A.

1 *Regimen in sermone.*
2 *Solent loqui inhonestè, ideò corrigendi.*
3 *Inhonesta locutio rapit ad turpia.*
4 *Mendaciter etiam loqui solent.*
5 *Ad mendacium procliues, ex tribus &c. 1 Ex amore. 2 Ex timore. 3 Ex verecundia.*
6 *Impræmeditatè solere loqui.*
7 *Qui citò, & repente loquitur, fit garrulus.*
8 *Compendiosè, & sententiosè loquendum.*
9 *Sex modis peccari circa cibum, & potum.*
10 *Cibum festinanter sumptum esse nociuum*
11 *Intellectuales operationes impediri à mala digestione.*
12 *Cibum moderatè esse sumendum.*
13 *Cibum turpiter sumptum, vitiosum &c.*
14 *Incongruitas temporis, in cibo, & potu, vitiosa.*
15 *Cibus, & potus, etiam nimis delicatus, vitiosus.*
16 *Vitium etiam, si nimis apparatè.*
17 *Vinum intemperatè sumptum tria mala causare. 1 Venerem excitare. 2 Rationem deprimere. 3 Iurgia, & lites producere.*

§. 8. QVO-

§.8. QVOMODO REGENDI CIRCA SERMONEM, Guſtum, & tactum.


N loquella, adoleſcentuli debitè regantur, & corri-
1 gantur: nam, vt in pluribus. 1. in honeſtè. 2. mendaci-
ter. 3. & impræmeditatè, loquuntur. Inhoneſtè qui-
dem, quoniam, vt ſentiunt motum concupiſcibi-
lium, ſic loquuntur, in 2. Septemnio, leuiter in 3. ar-
2 dentius, tunc enim impetus delectabilium magis feruent, ideò
agitati, ad venerea, facillimè prorumpunt. Vigiletur ergo, ne aſſue-
3 ſcant loqui in honeſta, ex ijs enim ad turpia rapiuntur. Accenditur
enim ſic concupiſcentia Venerea, ſicut ſuauis odor, & ſapor, cibi
4 actuat guſtum, in famelico, & in guloſo.

Mendaciter autem; quoniam adoleſcentia ducitur magis amo-
re, timore, & verecũdia, quã ratione, ex amore, quęrũt ſibi cõplacere,
& alijs quos amant, ex complacentia, de facili mentiuntur, & præci-
5 puè quando appręhendunt, quod ſi verum dicunt, non conſequen-
tur, ſed prohibebitur eis beneplacitũ ſuũ. Ex timore mẽtiuntur quã-
do apprehendunt punitionem, ex eorum prolatione, veritatis: Nam
ętas illa abhorret pęnas, & Ideò vbi timet malum ſibi, ſtatim ad mẽ-
dacium ſe conuertit. Ex verecundia etiam de facili mentiuntur:
quoniam timent, ſi fateantur verum, nec confundantur, & hoc ter-
tium maximè regnat in muliere, quæ parum differt, à puero. Do-
ceatur ergo adoleſcentulus, quam graue, & vituperabile ſit menda-
cium, & quam laudabilis veritas; Si mendax repertus fuerit, benè
corrigatur, aliàs fiet natura mendax, quo nihil deteſtabilius, in vita
morali: iuxta illud Eccl: cap. 20. opprobrium nequam, in homine,
mendacium, & in ore indiſciplinatorum, aſſiduè erit. Potior fur, quã
aſſiduitas viri mendacis.

Imprędeditatè verò; quia adoleſcentes ſunt inexperti, paucaq;
6 cognoſcunt, & cognita non ponderant, ideò ad pauca reſpicientes,
de facili, & citò, & inconſideratè multa loquuntur, ita efficiuntur
7 garruli, inordinatè, & imprudenter multiplicantes verba, & in hoc
aſſimilantur mulieribus, quæ cum ſint parui ingenij, & non benè
dociles, toto tempore vitæ ſuæ, ſunt loquaces, & garrulæ. Suadeatur
igitur

igitur adoleſcentulus,non eſſe citò,& repentè reſpondendum cui-
8 libet interrogationi,ſed tardè, et conſultè,et quod eligat potius argui de nimia taciturnitate,quā de nimia loquacitate. Super omnia, diſcat cōpendiosè,& ſententiosè loqui,aliter cū ſenuerit, erit in ſermone,conſilio,et doctrina cōfuſus,magis blactrans,quàm loquens, quo nihil indecentius in ſene.

Quantum ad guſtum.Sex modis contingit,circa cibum,et potū peccari.1. ſi cibus,et potus ſumantur nimis feſtinanter, et auidè; Cibus feſtinanter ſumptus,et potus non contēperatus cibo,non benè
9 diſponuntur,in ſtomaco;ex hoc,calor naturalis non regulariter de-
10 quoquit, & digerit: Ex mala digeſtione, cauſantur varię infirmita-
11 tes, & impediuntur virtuoſę operationes intellectus. 2. ſi in maiori
12 quantitate ſumatur, quàm debitum ſit naturæ: Hoc in detrimentū cedit animæ, eo quod homo fit intemperatus. Intemperantia eſt vitium.Nocet, & corpori,quoniam impedit debitam digeſtionem 3. Si ſumatur cibus immundè, & turpiter non mundis manibus,
13 immundo ore,impuris vaſibus, deturpantes propria veſtimenta,vt volutabri ſues, offendentes intuentium oculos, & qui melius in ſtabulo,quàm in menſa recumberent. Iſta immunditia licet non maculet animam; quoniam,non lotis manibus,manducare,non coinquinat animam.S.Math:cap:15. tamē arguit quandam ingluuiem, & deordinatū appetitum:4. ex incongruitate temporis,vt comedere,
14 re, & bibere nimis tempeſtiuè, aut nimis tardè:Nam ſi nimis tempeſtiuè,indigeſtum additur indigeſto,ex quo varię cauſantur ęgritudines: Si nimis tardè, multum debilitatur corpus, ex reſolutione ſpirituum,et vtroque modo redditur corpus,vt inſtrumentum inutile ipſi animę,quoad proprias operationes. 5. Si cibus, et potus ni-
15 mis delicatè exquirantur, ideſt vltra quam ſtatus, conditio, & ętas perſonę requirat, puta ſi ruſticus velit alimentari,vt nobilis,& nobilis, vt Princeps, & iuuenis, vti ſenex, & ſanus, vt infirmus; Hoc enim non prouenit niſi, aut ex appetitu laudis humanę, aut ex ingluuie; In vtroque intemperantia, 6. ſi cibus,& potus,nimis apparate exquirantur,dato etiam,quod ſit cibus, & potus communis,& ſic non excedatur,in ſubſtantia cibi delicati, ſed in modo parandi, coquendi,et condiendi. Puta ſi aliquis omne apponat ſtudium,vt optimè,et aromaticè condiatur rana aut cępę,aut fungus,nō vt benè ſe nutriat,ſed vt inueniat exquiſita irritamenta gulæ.

Rega-

Regatur ergo filius, in nutritione, tali modo, vt vitet prędictos
17 defectus. Sed longè maior adhibeatur diligentia, circa potum inebriatiuum, quale eſt Vinum potens, & fumoſum, quàm circa cibũ. Tale vinum, taliter ſumptum, tria mala cauſat. 1. Venerem excitat, Nam vinum, vti calidum, & ſpirituoſum, corpus calefacit, calefactum concupiſcentiã excitat. Satis ex ſe calida eſt iſta ætas, calidior fiet, ſi addatur immoderatum Vinum. Vnde S. P. ad Epheſ. c. 5. Nolite inebriari Vino, in quo eſt luxuria. 2. Rationẽ deprimit, ita quod, aut nullo modo, aut imperfectè intelligere, aut raciocinari poteſt. Nam cum vinum ſit euaporatiuum, ad caput euaporat, cerebrum perturbat, organa ſenſuum grauat, phantaſmata confundit, quibus confuſis, anima nihil, aut confuſiſſimè intelligit. 3. Lites, & diſſenſiones ſuſcitat: nam ex vaporibus cerebrũ perturbatur, perturbato cerebro, quodam modo ligatur ratio, qua ligata, inſurgit iraſcibilis, ex accenſione ſanguinis, cauſata ex calore vini: Ex iraſcibili inſurgente, cauſatur animoſitas, & furor. Ex his verba inordinata, & iniurioſa: Ex quibus lis, & diſcordia. Cum igitur ex intemperata potus inebriatiui ſumptione, prædicta inſurgant mala, ita quod homo conuerti videtur in brutum, ſuper intendatur filio, ne excedat in potu, & in qualitate Vini.

Quantum ad tactum. Hic non intendimus de tactu vniuerſaliter, ſecundum omnes partes corporis, ſed tamen ſecundum illas, quas ex natura, homo, & fœmina habet pudibundas, ex quarum contactu concitatur concupiſcentia, etiam contra iudicium rationis: potentiæ enim animę vegetatiuę, inter quas principalis eſt generatiua, non obediunt rationi. Tales autem libidinoſæ Corporis partes concitantur viſu, auditu, maximè autem contactu. Vt igitur filij in 2. & 3. Septemnio non efficiantur intemperati, prouideatur, ne viſu videant turpia, nec auditu audeant, præcipuè autem ne tangant: Ex contactu enim fugatur, de animo, pudicitia. Ad præſeruandos eos ab illicito contactu, optimum remedium erit, quod non ſimul dormiant, nec cum puellis domeſticam, ſecretam, aſſiduam conuerſationem habeant: Nam amor concupiſcentiæ, veluti fur, ſemper inſidiatur, in abſcondito:

SVM-

SVMMARIOLA.

1 *Dormitionem esse necessariam homini.*
2 *Per ludum requiescere animum à labore mentali.*
3 *Speculamur, & intendimus, concurrētibus viribus interioribus.*
1. memoratiuā. 2. cogitatiuā.
4 *Ludum esse necessarium.*
5 *Gestus quid.*
6 *Gestus posse esse bonos, & malos.*
7 *Gestus boni, qui.*
8 *Gestus mali, qui.*
9 *Gestuum moderamen.*
10 *In vestitu tria quæruntur, in quibus peccatur.*
11 *Vestis mollis facit.*
1 Intemperatum lasciuum.
2 Effæminatum.
3 Laborum impatientem.
12 *Vestiu vtilitati nimis intendere, vitiosum.*
13 *Moderamen in vestitu, respectu honoris.*

§. 9. QVOMODO REGENDI IN LVDIS, Gestibus, & vestitu.

1 SICVT dormitio necessaria est homini, post corporis labores, vt reinpuentur, & confortentur spiritus,
2 qui ex diutno labore resoluti fuerant, sic ludus necessarius est, vt requiescat animus à labore mentali, quem patitur, in studio speculatiuo, & practico, neque enim speculamur, pro hac vita, neque intendimus intellectualiter, & practicè, in agibilibus, puta in regenda domo, aut Ciuitate,
3 aut in consulendo, aut iudicando, nisi concurrentibus viribus sensitiuis interioribus, præcipuè memoratiua, & cogitatiua, deseruientibus intellectui, quę cùm sint organicæ, alterantur, in continuatione suorum actuum, & propter phantasiam virtus animę speculatiua, est in continuo labore. Vt igitur recreetur, & confortetur animus in actu suo intellectuali, necessarius est homini ludus, sumen-
4 do ludum, pro honesto, laudabili, & delectatiuo exercitio. Assuescatur ergo filius ludis honestis, & liberalibus, pro salute corporali, ne otio, aut continua animi applicatione, tabescat, & vt animus denuo confortetur, in actibus bonis, tàm moralibus quàm intellectualibus.

Apud

Apud moralem, gestus important membrorum motiones, ex
5 quibus coniecturare possimus varias animi dispositiones, iuxta
quem sensum, dicitur Eccl: c. 19. Ex visu cognoscitur vir, & ab oc-
cursu faciei cognoscitur sensatus. Amictus corporis, risus dentium,
& gressus hominis, enuntiant de illo. Gestus igitur totius corporis,
6 & partium eius, possunt esse debitè, & indebitè, laudabiliter, & vi-
7 tuperabiliter facti. Fiunt laudabiliter, quando ordinantur ad opus,
sibi debitum, & proportionatum, puta motus oculi, vt decenter
videat, motus auris, vt decenter audiat, motus oris, vt decenter
comedat, & loquatur, &c. Ordinati ad opus sibi non conueniens,
indebitè fiunt. Verbi gratia si, quis audiens, tenet os apertum, aut
8 labia mouet, aut linguam extrahit. Si quis loquens, caput agitat,
manus, vel brachia, vel pedes, frequenti, & inordinato motu, mouet
si quis ambulans, caput deflectit super humerum, more hipocrita-
rum. Admoneatur, ergo filius, quod omnes sui corporis partes, de-
9 bitis suis officijs decenter accommodet, & caueat, ne ex inordinato
motu corporis, & partium, occasionem prębeat intuentibus, suspi-
candi de eo, animi elationem, aut insipientiam, aut impudicitiam,
aut leuitatem, vel simulationē, sed sic in omni gestu se gerat, quod
intrinsecis conformia sint exteriora omnia, & in omni motu suo,
nihil fiat quod viri probi offendat aspectum.

In vestitu tria considerantur. 1. Delectatio. 2. Vtilitas. 3. Honor.
10 Delectatio quęritur in veste molli, delicata, & pomposa. Vtilitas
in veste graui, & calida pro hyeme, & in opposita, pro ęstate. Honor,
in figura, & prætiosa materia vestis. In his tribus datur extremum
vitiosum, & medium laudabile. Nam qui quærunt, ad solam de-
lectationem, & pompam, mollibus, & delicatissimis vestibus vestiri
11 repræhensibiles sunt, efficiuntur enim de facili. 1. intemperati, et
lasciui. 2. animo muliebres. 3. laborum impatientes. 1. intemperati,
et lasciui quoniam vestium mollities ad intemperantiam, et im-
pudicitiam trahit. Vnde. S. Luc: cap. 16 Ille diues, qui induebatur
purpura, et bisso, sepultus est in inferno. 2. Animo muliebres; quia
vestium mollities mollem, et inconstantem reddit animum. 3.
Laborum impatientes; quoniam assueti mollibus, duris, et aspe-
ris statim offenduntur. Vnde tales, neque armorum, neque stra-
tus duritiem ferre possunt; neque arduum quid aggrediuntur,
sed timore fœmineo terga vertunt. Non assuescatur ergo ado-

lescentulus vestibus nimis mollibus, et delicatis.

Vitium etiam est vtilitati vestium excessiuè intendere: vt in hye-
12 me tales, & tot quęrere, quod vel minimum frigoris sentiatur; in
ęstate, adeo leues, & raras, quod nec quid parum caloris patiatur;
nam sic salus corporalis discrimini exponitur, pro casibus non ser-
uare semper ęqualitatis, vel mutationis Regionis, non vniformis.
Medium igitur etiam in hoc teneat adolescentulus, diuersimodè ta-
13 men, pro complexionum, temporum, ętatum diuersitate.

Quantum ad honorem, quem aliqui quærunt ex forma, & materia pretiosa vestium, instituatur filius, vt seruetur Patrię consuetudo, proprius personarum status, dignitas, & officium. Nam grauiori, & pretiosiori veste induendus est nobilis, quàm Ciuis, & mercator; & alia veste ornandus est Doctor, alia Sacerdos, alia Senator, alia Princeps, alia Rex, alia Imperator.

S V M M A R I O L A.

1 *Exercitium corporale omnibus bonum.*
2 *Quale, quoad eos, qui Militarem, & mechanicam secuturi sunt.*
3 *Quale quoad eos, qui Gubernationi aliorum pręficiendi sunt.*
4 *Exercitia laboriosa non conferre erudiendis, in speculatiuis.*

§. 10. QVOMODO REGENDI QVOAD EXERCITIVM Corporale.

EXERCITIVM corporale moderatum licet conferat
1 omni ętati, eo quod sanguinem subtiliat, & clarifi-
cat, Spiritus acuit, & ex calore, quo calefit corpus
exercitatum, resoluuntur superflua, tamē magis con-
fert iuuentuti, eo quod corpus robustius reddit, & in
ferendis laboribus, patiens, fugat inertiam, & illicitas cogitationes,
quæ adolescentulo otioso impetuosè se ingerunt, & cuius imagi-
natio, & appetitus plerumque circa vana, & lasciua versantur. Fu-
giat igitur adolescentulus otium, vt pestem, & moderato exercitio,
horis congruis, intendat.

Exercitium eorum, qui victuri sunt, secundum vitam mechani-
2 cam, vel militarem equestrem, vel Pedestrem, debet esse vsque ad

ſudores, & vltimos conatus, in adoleſcentulis, vt longa, & firmata fortium laborum tolerantiã, eorum membra, & nerui indureſcant, ſicut frequentata malleatione ſolidius redditur ferrum, excuſſis partibus terreſtribus.

3 Exercitium verò corporale eorum, qui victuri ſunt ſecundum vitam Ciuilem, & litterariam, ſit remiſſius, & magis, & frequentius ſtudijs practicis, & moralibus, & ciuilibus, intendatur ab eis, quàm nimio labori Corporali: Nam pro regenda Republica, pro ordinãdo exercitu, pro committendo conflictu, longè melius eſt; Pręſidẽtem, & Ducem eſſe natura prudentem, ſagacem, vigilem, & ſolertẽ, quàm viribus robuſtum, & acriter militantem. Ingenium enim omnia domat, & vincit fortiſſimorum vires. Cuius ſignum eſt, quod etiam immaniſſimas feras, & viribus inſuperabiles, vti leones, tygrides, vrſos capit, domat, frenat, concludit, & paulatim ad ſui obedientiam deducit.

4 Erudiendi in ſpeculatiuis, quæ conſiſtunt in cognitione veritatis, per ſcientias ſpeculatiuas, adhuc minus opere, & exercitio corporali fatigandi ſunt, & ſufficit eis, pro tanto gradu, pro quo corporis ſalutem ſeruare poſſunt, & ſit eis potius ad recreationem, quã ad laborem. Conſiſtat in nonnullis placidis, & honeſtis ludis, in moderata deambulatione, vel equitatura. Ratio; quia exercitia laborioſa reddunt corpus durum, & ſeruile, mentem à ſpeculatione diſtrahunt, faciunt hominem impatientem ſolitudinis, quæ maximè neceſſaria eſt, in ſtudio ſapientiæ, in qua tanto plus quis proficit, quantò ſtrictius ſecum ſolitarius commoratur: Nam ſedendo, & quieſcendo fit anima prudens.

§. 11. QVOMODO INSTRVENDI IN FIDE Catholica.



1 IDES Catholica eſt prima ſemita, qua tendimus ad poſſeſſionem primi, & ſummi boni. Vnde, in ea erudiendi ſunt filij in primo, & 2. & 3. ſeptemnio: Ex neceſſitate ſalutis iſta Miſteria credenda proponantur. 1. Deum eſſe vnum, & trinum. Vnum in Diuinitate; Trinum in Perſonis; Patrem, Filium, & Spiritum Sanctum. 2. Filium

lium sumpsisse carnem humanam, in Ventre V. M. operante Spiritu Sancto, & non homine: natum, passum, mortuum, rediuiuum, & ad Cęlos ascensum, et omnia virtute propria, et non coactè. Ista compręhendi in signo Sanctę Crucis explicentur eis.

Addiscant benè, distinctè, et memoriter, Orationem Dominicalem, Salutationem Angelicam: Symbolum Apostolicum, Antiphonas omnes de B. V. M. quæ post Horas Canonicas recitantur, et Hymnos, et laudes spirituales.

Memoriæ mandent paulatim omnia contenta in libello, qui inscribitur (Doctrina Christiana Card: Bellar:) singulo die sabbati, vel partem, vel totam eam memoriter recitent; omnibus diebus Dominicis, post prandium, ducantur ad Ecclesiam Parochialem, ad Congregationem Doctrinæ Christianæ, ad quam Parochi tenentur iuxta Concil: Trid: et ibi cum alijs alternatim, et ad ęmulationem instruantur.

In ętate legitima, quæ est circa decimum, et duodecimum annum, ad sacramentorum frequentationem impellantur. Missam quotidie audiant, Vtroque genu semper in Ecclesia genuflectant. Ad lecturam librorum spiritualium hortentur; Ad oratoria, congregationes, et sermones spirituales sæpissimè ducantur. Aduertant, adolescentulos, in tenera ætate, instruendos esse, circa fidei articulos breuiter, et in quadam superficie, et non per subtilem scrutationem, nam non sunt capaces subtilioris sensus, & inutiliũ quæstionum. Vnde S. P. ad Tim: & ad Tit: inquit: stultas quęstiones, geneologias, contentiones, & pugnas legis deuita: sunt enim inutiles, & vanæ.

Ratio autem, propterquam primo, & ab infantia, erudiendi sunt
2 in principijs fidei, est triplex. 1. sumitur ex eo, quod fides Catholica est de transcendentibus humanam rationem: quæ enim humano intellectu comprehenduntur, non credi, sed sciri dicuntur. Expedit ergo, vt proponantur in illa ætate, quæ dictorum rationem non quęrit, sed simpliciter acceptat, 2. sumitur ex eo, quod in omni Gente, quę sub aliqua lęge viuit, primo erudiuntur pueri in Diuino cultu, iuxta dispositionem legislatoris. Vnde filijs Regum Persarum primo erudiebantur in Magia Zoroastis oramisij, quæ est sciẽtia de Religione. Si igitur in omni Gente, apud quam datur aliqua Religio, admixta multis superstitionibus, & falsitatibus, primo

erudiuntur

erudiuntur in cultu, iuxta legem suam, id multo magis conuenit fieri in Christiana Religione, quę sola, immaculata, & ex omni parte, vera existit: 3. sumitur ex eo, quod his, quæ sunt fidei, firmissimè, & inseparabiliter assentiendum est; Ad hoc autem quod filij, quæ credenda sunt, per totam vitam, teneant firmissime, oportet eos, in illis erudiri: Sic enim cõsuetudo credendi fiet, in eis, altera natura; Ea, quæ sunt à natura, immutabilia sunt, & sic quæ, ab infantia, addiscuntur, inuariabilitatem sortiuntur.

§. 12. QVOMODO ERVDIENDI IN HVMANIS, ET Liberalibus disciplinis.



PATRES pauperes excusandi meritò sunt, si eorum filios litterario studio informari non curant, oportet enim eos, in parandis vitæ necessarijs insudare, & filijs, vt seruis, vti in manuali opere: Nobiles vero te-
1 nentur quatuor rationibus. 1. Sumitur à faciliori, & elegantiori disciplina. 2. à tenaciori reminiscentia. 3. ab acquisitione perfectiori. 4. à persistentia, & perseuerantia in studendo.

In Prima: quæ à tenera ætate addiscere incipimus facilius, distinctius, & elegantius recipimus; nam ista ętas, ex sua teneritudine, sicut mollis cera de facili, & expressius imprimitur, Patet in idiomate vulgari, cuiuscumque Gentis, quod ab infantia edoctum, expressius profertur, quàm aliud, quod in adulta ætate addiscatur. Si igitur in omni Gente, habente proprium idioma vulgare distinctum, expedit illud addiscere in tenera ętate, multo magis litterarium, vti difficilius, & quod certis institutis, & regulis procedit, à quibus non licet docenti, & addiscenti recedere, vt patet in grammatica latina, Gręca, Hebraica, &c.

In 2. quæ in infantia memoriæ mãdamus, quasi indelebiliter retinemus, eò quod ætas illa nondum est distracta illecebris sensuum, et quæ recipit, cum quadam admiratione recipit. Cum igitur ita, intendendum sit studio litterario, quod quæ addiscimus, per totam vitam retineamus, aliter vanum foret huiusmodi studium, oportet illud inchoare, in tenera ætate, vti bene memoratiua.

In 3. habitus scientifici sunt difficilis acquisitionis, vt in nobis experimur, quæ autem difficiliter acquiruntur, non nisi longo tem-

pore

pore perfectè assequimur cum ergo humana vita breuis sit, & sciẽtia difficilis,& longa oportet, etiam ab ipsis incunabulis, si possibile esset, filios dedicare studijs litterarum.

In 4. Homo naturaliter insequitur delectabilia,& refugit tristia, & laboriosa, cum scientiam addiscere admixtum sit tristitiæ, & ingenti labori,oportet,addiscentem incipere in tenera ætate,vt assuefactus, & velut equus edomitus, huiusmodi tristitiam, & laborem leuius ferat,& perseueret. Si tardaret addiscere vsque ad perfectam ætatem, sensuum etiam lenocinijs delinitus, & labore exasperatus retrocederet.

S V M M A R I O L A.

1	*Scientiæ liberales septem.*		1 *Naturales.*] *& quid.*
2	*Grammatica quid.*		2 *Diuinæ.*]
3	*Rethorica quid.*	9	*Phisicæ scientiæ quid.*
4	*Dialectica quid.*	10	*Methaphisica quid.*
5	*Musica quid.*	11	*Thologia quid.*
6	*Geometria quid.*	12	*In quibus scientijs erudiendi.*
7	*Arithmetica quid.*	13	*Gymnastica scientiæ quid.*
7	*Astronomia quid.*	14	*Authores qui in qualibet scientia addiscendi, &c.*
8	*Speculatiuæ duplices.*		

§. 13. IN QVIBVS SCIENTIIS ERVDIENDI SVNT Ciuium, & Nobilium filij.



RIA videbimus. 1. Assignabitur numerus scientiarum, quæ apud nos famosæ sunt. 2. quę ex illis indifferenter ab omnibus addiscendæ sint. 3. quæ ex illis, nõ ab omnibus, sed iuxta ingeniorum,& inclinationum diuersitatem amplectendæ.

In primo: sic proceditur. Scientiarum quędam dicuntur liberales: quædam speculatiuæ. scientiæ liberales, iuxta antiquos, sunt
1 septem. 1. Grammatica. 2. Rethorica. 3. Dialectica. 4. Musica. 5. Geometria. 6. Arithmetica. 7. Astronomia. Has antiqui dixerunt liberales, denomatione extrinseca, quia soli filij liberi, in his erudiebantur: Serui autem in solis artibus mechanicis, quas dixerunt serui-

les; quoniam ad ſolos ſeruos ſpectabant, & ſi qui ex liberis inſtrue-
bantur in eis, id erat per accidens, & reputabatur indecorum,
excepta arte Militari, & arte Medendi,

Grammatica verſatur circa ſermonem congruum, & incongruũ
2 quã neceſſe eſt, ante quamcunque aliam, addiſcere quia omnium
ſcientiarũ Authores eam, in vnaquaque Gẽte, per litterale idioma,
relicto vulgari, tradiderũt: ideò appellatur primum fundamentum
omnium ſcientiarum; Vnde deridendus eſt qui ſine grammatica,
cęteris ſcientijs incumbere intendit.

Rethorica verſatur, circa ſermonem ornatum, & inornatum.
3 Hæc non eſt ita neceſſaria, pro acquiſitione aliarum ſcientiarum,
vt Grammatica. Nam dummodò oratio fiat congrua, aliquando
melius eſt ſimplici, & claro ſtilo enucleare ſcientię veritatem, quàm
Rethoricè circunuoluere.

Dialectica verſatur circa verum, & falſum; & quoniam ſcientia
4 eſt de vero, oppoſitum autem ſuum de falſo, ideo ſine ea impoſ-
ſibile eſt, aliquam aliam ſcientiam acquirere. Vnde magis neceſ-
ſaria eſt, quàm Rethorica, immò quàm Grammatica, quoniam, &
latino, & vulgari ſermone venari poſſumus veritatem, & eius op-
poſitum, non autem ſine Dialectica, quia eſſet tendere ad terminũ,
ſine via.

Muſica verſatur circa numerum ſonorum, ſiue vocum conſonã-
5 tiam, cuius neceſſitas non ſumitur ex ſuppoſitione neceſſaria, pro
addiſcendis alijs ſcientijs, quia ſine ea, multi euaſerunt doctiſſimi,
ſed neceſſaria eſt, ſecundum quid, nempe propter requiem à labore
6 animi, & ad formandos mores, moderandaſque animi paſſiones.

Geometria verſatur circa quantitates continuas, & omnia ge-
7 nera, omneſque ſpecies figurarum.

Arithmetica circa numeros, & eorum proprietates, & pro-
portiones.

Aſtronomia circa figuram, & numerum, & motum Cælorum,
ortum, & occaſum ſignorum, diuerſitatem dierum, & noctium,
cauſas eclipſium ſolis, & Lunæ, &c.

Præter has ſcientias liberales, dantur ſpeculatiuæ naturales, &
8 Diuinæ. Naturales quidem ſunt Phiſicæ, vt ſcientiæ de Natura, De
motu, De loco, De tempore, De primo Mobili, De primo Motore,
9 De Cęlo, De elementis, & elementatis, Animatis, & Inanimatis,

De

De Vegetabilibus, & de Homine. Diuinæ autem partitæ sunt. Vna
10 inuenta lumine Naturali, quam appellamus Methaphisicam, quæ versatur circa ens, in quantum ens, & proprietates entis, quę sunt vnum verum bonum aliquid, & res, & circa primas substantias intellectuales, quas dicimus intelligentias, & Deum benedictum. Altera data est nobis lumine Diuinę reuelationis, quam appellamus
11 sacram Theologiam. Versatur hęc circa Deum vnum, & trinum, visibilium, & inuisibilium conditorem, in tempore, hominem factum, hominum Redemptorem, & beatificum.

Circa secundum. Arist. sentit, omnes filios liberos erudiendos
12 esse in quatuor scientijs. 1. In litteraria idest Grammatica. 2. In Gymnastica. 3. In figuratiua. 4. In Musica. At secundum Platonem, erudiendi sunt. 1. In litteraria. 2. In Musica. 3. In scientia numerorum, idest Arithmetica. 4. In scientia figurarum, idest Geometria. 5. In Astronomia. 6. In Gymnastica. 7. In notitia legum Patriarum sed secundum Christianam Religionem, omnes filij, cuiuscunque conditionis existant, erudiendi sunt. 1. In fide Catholica. 2. In alijs scientijs, in pręsenti. §. expressis, iuxta facultates, conditiones, & capacitates cuiuslibet.

Gymnastica verò, de qua supra, est scientia, quę continet omnes
13 bellicas exercitationes; vt sagittandi, iaculādi, & omnes armatorum dimicationes, acierum ordinationes. 2. ductiones exercitus. 3. Castrorum positiones. 4. formas pugnandi. 5. Modos ferendi arma. 6. Modos vulnerandi. 7. Modos mouendi Castra. 8. Modos retrocedendi ordinatim. 9. Tractationes armorum, & quecunque alia ad equestrem disciplinam pertinentia.

Quantum ad 3. Commendabile est, omnes liberales scientias,
14 Naturales, Diuinas, Morales, & Ciuiles addiscere, incumbendo, laborioso studio, Primorum Auctorum, qui nobis eas in scriptis tradiderunt. Verbi gratia Pro Grammatica, Donatus, Priscianus, &c. Pro Rethorica Cicero. Pro Poē: Virgilius. Pro Musica, & Arithmetica, Boetius; Pro Geometria, Euclides. Pro Astronomia, Ptolomeus. Pro Dialectica, Phisica, Ethica, & Politica, Aristotiles, adhibeantur. Verum quia non omnium ingenia, ad omnes scientias, & Artes naturaliter disposita sunt, ideò prudentis Parentis officium erit, scrutari aptitudinem ingenij, & iuxta illam, curare filiorum educationem.

SVM-

SVMMARIVM.

1 *AEquitas quid.*
2 *Actus humanos infinitè variari.*
3 *AEquitas cur introducta.*
4 *AEquitatis officium.*
5 *Iudices esse constitutos ad emendandum leges.*
6 *Obiectum huius Virtutis.*
7 *Extrema huius Virtutis.*
8 *Subiectum huius Virtutis.*
9 *Iudicem, in puniendo, non debere esse festinum.*
10 *Pęnam non esse intentam per se à legislatore, vti pęnam; sed vti medicinam, & remedium.*
11 *AEquitatem esse Virtutem moralem.*
12 *Epicheia idem quod æquitas.*

DE ÆQVITATE.

Caput LXIII.

AEQVITAS est virtus, qua, seruata intentione le-
1 gis, non obseruantur verba; quia est vitium sequi verbum legis, quando non est necessarium: legislatores attendunt ad id, quod frequentius accidit, & super illud promulgant leges: & quia actus humani, super quos cadit lex, non possunt omnes comprehendi, vel infinitè va-
2 riantur, non fuit, nec est possibile condere regulam legis, quæ in aliquo non deficiat. Ideò introducta fuit ęquitas, cuius est officium
3 interpretari circumstantias illius facti occurrentis, & minuere rigo-
4 rem pęnę, ad proportionem circumstantiæ diminuentis, quod fit, mediante ęquitate, quę est pars virtutis Iustitię, subiectiuè S. Thom. 2.2. q. 12.

Legislatores condiderunt leges, ad corrigenda delicta. Principes
5 constituerunt Iudices ad emendandas leges. Illi respexerunt congeriem euentuum, isti circunstantias ipsorum, quibus particularizantur effectus: non quia erroribus consperse sint leges; sed quia plus, & minus errat homo, quàm lex prouideat. Casus particulares inueniuntur induti accidentibus, secundum varietatem ipsorum habent conditionem boni, & mali, & sunt Ciuili societati plus, & minus obnoxij: Iudex, qui est lex animata, prudenter applicat particu-

 laribus

latibus accidentibus,& habito respectu conditionis,temporis,qualitatis,causarum,delicti, & effectus,modo seueritate,modo clemētia,aut mitigat leges, aut earum rigorem auget.

6 *§. 1. De obiecto,ac de extremis huius virtutis.*

Iustum,& decens, est obiectum, circa quod versatur ęquitas, sicut etiam iustum est obiectum iustitiæ,circa quod versatur: sed cum hac distinctione. Duplex est iustum, sub quo viuunt Ciues. 1. Naturale. 2. Legale. In naturali non potest esse error, at in legali sic: quia constituitur humana prudentia, quæ potest errare: æquitas continetur, sub iusto naturali sed præeminet iusto legali,eo quod dirigit ipsum, ne committatur error. Nam iustū legale oritur à naturali: rationabile igitur est, vt dirigatur ab eo, quoniam vnumquodque est aptum dirigi à principio, à quo oritur. Cum igitur æquitas contineatur sub iusto naturali conuenienter est directiuum iusti legalis. Est ergo iustum, quia est iustum naturale, & non iustum legale, non quod sit diuersum ab eo vt oppositum, sed vt includens illud, vt quid melius: sicut dicimus quod melius, & optimum non est simpliciter bonum, non quod sit oppositum bono, sed quia includit ipsum, & multo amplius. Quare ęquitas, siue decentia idem est quod æquum,& decens: Vnde quando volumus declinare à rigore Iustitiæ, dicimus, quod de bono, & æquo sic agendum est. Virtus est directiua in legibus, quibus contingit vti bene, & male, & est medium inter iustum legalem, secundum litteralem sententiam legis, & iustum legale, contra piam intentionem legislatoris, & est declinatiua in punitionibus, ad veniam, & mediat inter nimium
7 rigorem, & nimiam remissionem: adhęrendo rationi rectę, arbitrio boni, & prudentis Viri rectè interpretantis intentionem legis. Ex Arist: in lib: V: Ethic:

8 *§. 2. De subiecto huius virtutis.*

Subiectum æquitatis est homo, in quo est talis virtus, & est ille, qui dirigit iustum legale, si in aliquo casu lex deficit. Quilibet Iudex secundū Arist: debet esse Epicheius, aliàs æquus, & sententia sua, maxime in pęnalibus, debet esse acta, & lata, secundū Epicheiam, aliàs ęquita-

tem,

tem, ita quod Iudex debet esse in puniendo, non festinus, nec seue-
9 rus executor Iustitiæ, sed moderatus ad puniendum, ita quod est minoratiuus, in pęnis, etiam quod habeat legem adiuuantem, in assignando pœnas, pro tali, vel tali delicto; Ratio illius est, quia
10 pœna nō est, per se, intenta à legislatore, vt pęna, sed vt medicina, & remediū delicti; Vnde sicut Medicus nō exhibet infirmo, tantā medicinā, quantā potest, sed quātā sufficit, pro expellenda infirmitate, sic bonus Iudex applicat pœnā, pro curando, & cohibendo delicto. Arist: vbi supra.

11 §. 3. *Æquitatem esse Virtutem moralem.*

Est virtus moralis, quā inclinat ad operandum conformiter rectæ rationi; Dat enim homini, in quo est, facultatem rectè interpretandi legē, positam in ordine ad bonum commune; quod vltimatè intenditur in omni lege, rectè posita. Cum igitur nihil magis consonet rationi,
12 quàm vt commune bonum saluetur, & ad hoc tendit epicheia, aliàs ęquitas, patet esse virtutem moralem, sicut Iustitia, & quoniam facultas interpretandi legem pertinere videtur ad virtutem cognoscitiuam, dirigere autem, & regulare respicit voluntatem, quæ per huiusmodi habitum, regulatur in executione casuum, rarò contingentium, quibus lex non prouidit, Ideò videtur Epicheia complecti, in se prudentiam naturalem, & iustitiam naturalem ex Arist: vbi supra, &c.

S V M M A R I O L A.

1 *Fortitudinem esse specialē Virtutem.*
2 *Quid sit.*
3 *Appellari etiam Virtutem generalem, & quomodo.*
4 *Multos habere actus fortitudinis sed non eam.*
5 *In qua potentia constituatur.*
6 *Eius subiectum, & sic circa quod versetur.*
7 *Esse principaliter circa timorem mortis frænandum.*
8 *Sustinens mortem, ex quo nullum bonum optimum sequitur, non dicitur fortis.*
9 *Martirum fortitudo, vt fortitudo bellica, maximè commendatur.*
10 *Vitia opposita fortitudini.*
11 *Medium fortitudinis.*
12 *An sit fortius sustinere, q̄ aggredi.*

13 *Finis fortitudinis quotuplex.*
14 *Fortitudo an consistat in repentinis.*
15 *An fortis vtatur ira.*
16 *Fortis, quomodo delectetur, & quomodo tristetur.*

DE FORTITVDINE,

Ex S. Th: 2. 2. q. 123.

Caput LXIV.


ORTITVDO, vt dicit firmitatem animi, in
1 sustinendis, & repellendis his, in quibus difficile est habere firmitatem, est specialis Virtus. Definitur;
2 esse consideratam periculorum susceptionem, & laborum perpessionem: sed vt dicit tantum quandã
3 animi firmitatem, est Virtus generalis, vel conditio cuiuslibet Virtutis. S. Th: vbi supra. Est Virtus, quia facit bonum habentem, & opus eius, secundum rationem, ne mens deterreatur ab opere bono; propter aliquod difficile: licet aliqui habeant actus fortitudinis,
4 sine fortitudine, quod accidit, vel ex ignorantia, vel ex impulsu passionis. S. Th: vbi supra.

5 *§. 1. In qua potentia constituatur, & circa quod versetur.*

Constituitur fortitudo in potentia irascibili. Versatur circa timorem, & audaciam, cohibendo, & moderando vtramque, quatenus id vtile est ad consequendum aliquod bonũ, ac etiam circa pericula mortis, quia mors est maximum terribile, inter corporalia, nec non circa pericula mortis, in bello iusto, quia propter bonũ. Fortis est quoquè, qui subest periculo mortis, propter virtutem, vt qui cum periculo Vitæ, inseruit amico infirmo. S. Th: vbi supra. Immò actus fortitudinis si non fiant propter virtutem, non sunt virtuosi: fortitudo
6 enim est principaliter, ex Arist: 3. Ethic: circa timorem mortis frenãdum, quam quis sustinet, & cui se exponit, pro bono Virtutis, &
7 optimo: ex quo sequitur corrollariè, vt ex Arist: ibi, quod si quis constanter sustinet mortem, ex qua nullum bonum optimum se-
8 quitur, non dicitur propriè fortis, sed impauidus. Vt infirmus, qui scit se moriturum, & constanter mortem expectat: & mercator, in tempestate

tempestate maris constitutus, desperans posse viuere: & nautæ, qui tamen sperant posse vitare mortem, propter peritiam nauigandi, vel natandi. Omnes isti, secundum Arist: si mortem non timent, dicuntur impauidi, non autem fortes, virtute fortitudinis, quoniam illa requirit, quod homo non solum non timeat mortem, sed etiam quod copulatiuè aggrediatur maxima pericula, ex quorum sustinentia sequatur aliquod optimum, & laudabile bonum, & in exemplum apud posteros.

9 §. 2. *Martirum fortitudinem, vt fortitudinem bellicam maximè commendari.*

Martirum fortitudo, quia est propter summum bonum, maximè commendatur; & est fortitudo bellica. S. Th: hic ar: 5. Quod autem fortitudo bellica sit vera Virtus, probatur etiam ex Arist: 3. Ethic: iuxta Iauellum ibi. Fortitudo est circa timorem mortis, quamquis non timet, pro optimis rebus, pro bono Virtutis, pro Diuino honore, pro conseruanda, & defensanda Patria, & non aliter: & quoniam apud Philos: moralem, optimum, & maximum est exponere se morti, in bello, quod geritur iustè, contra opprimentes, & diripientes Patriam, ideò qui sustinet mortem, in tali bello, dicitur fortis. Quod Arist: ibi dupliciter probat. 1. quia mors, in bello, est in maximo periculo, sed periculum est optimum, cùm sit propter bonum publicum, quod est optimum, & Diuinum. 2. quia fortiter se habentes, in bello, honorantur, apud omnes Principatus, & fiunt eis honores publici, tituli, imagines, triumphi, ludi, &c. sed cùm honor sit præmium Virtutis, ergo, &c.

10 §. 3. *Quæ sint vitia, opposita fortitudini.*

Vitia opposita fortitudini, tria sunt. 1. impauiditas. 2. timor. 3. audacia. Impauidus nihil timet, siuè terribile sit, supra hominem, siuè secundum hominem. Sed id non contingit, nisi in insano, vel in non habente sensum doloris, et ideò vitiosus. Timidus superabundat, in timore, et deficit, in audere: magis timet quàm oportet, et minus audet, quam oportet. Audax est, qui superabundat in audendo, et deficit, in timendo: magis audet, quàm oportet, et minus timet, quã oportet.

§. 4. De

11 §. 4. *De medietate fortitudinis.*

Est autem fortitudo medietas inter timorem, et audaciam. Docet enim timere quando oportet, et audere quando oportet. Extrema huius medietatis sunt audacia, et timiditas. Quid sit audax, et timidus, dictum est. Qui deficit in timendo, idest qui nullum periculũ timet, est innominatus, quia rari tales homines inueniuntur, et ideò non attribuitur eis proprium nomen; Arist: tamen vocat eos impauidos, et sic tertium extremũ, dicetur impauiditas, vt etiam supra expressum est.

12 §. 5. *An sit fortius sustinere, quàm aggredi.*

Sustinere est actus principalis fortitudinis: idest immobiliter stare in periculis, magis quàm aggredi: immò difficilius, quia habet, & sentit pericula præsentia, & diuturnius. S. Th: hic at. 6.

13 §. 6. *Quotuplex sit finis fortitudinis.*

Duplex est finis fortitudinis. 1. proximus: 2. Vltimus. Secundum finem proximum, fortis operatur, propter bonum proprij habitus, quia omne agens intendit imprimere vim suæ virtutis, in aliud: sicut finis ignis calefacientis est, vt inducat similitudinem sui caloris, in materia. Finis remotus, & vltimus est beatitudo, vel Deus. S. Thom: hic art. 7.

14 §. 7. *An fortitudo consistat in repentinis.*

Fortitudo maximè non consistit in repentinis, quantum ad electionem actus fortis, quia fortis elegit præmeditari pericula, vt facilius resistat sed quantum ad manifestationem habitus virtuosi, maximè consistit in repentinis: nam habitus agit, per modum naturæ, & in repẽtinis apparet confirmatus. S. Th. hic, at. 9.

15 §. 8. *An fortis vtatur ira.*

Fortis vtitur ira, in suo actu, sed ira moderata, idest pro suo arbitrio, & ratione. S. Th. hic ar. 10. Ac etiam ex vna parte delectatur in suo actu, scil: secundum apprehensionem de actu virtutis, & de suo fine.
16 Ex altera parte tristatur, cùm considerat amissionem Vitæ. S. Th: hic; ar:8.

S V M M A R I O L A.

1 *Temperantia quid.*
2 *Circa quid versetur.*
3 *Extrema huius Virtutis.*
4 *Insensibilitas, & insensibilis, quid.*
5 *Agrestes qui.*
6 *An temperantia sit sine prudẽtia.*
7 *Vitiosos non habere temperantiam.*
8 *An sit specialis Virtus.*
9 *Quomodo differat à fortitudine.*
10 *Tranquillitas animæ conuenit omni Virtuti.*
11 *Pulchritudo animæ conuenit omni Virtuti.*
12 *Vtraque conuenit maximè temperantiæ.*
13 *Finis temperantiæ quis.*
14 *Delectationum duo esse genera.*
15 *Animalia Corporalia.*
16 *Delectabilia animi tria esse.*
17 *Corporales delectationes quid.*
18 *Circa gustum, & tactum versari temperantiam.*
19 *Non esse circa omnes delectationes tactus.*
20 *Circa frenandum vsum ciborum, & Venereorum præcipuè versari temperantiam.*
21 *Extrema huius Virtutis secundũ Arist.*

DE TEMPERANTIA.

Caput LXV.



1 TEMPERANTIA est virtus, quę moderatur passiones cõcupiscibilis, circa delectationes, secundum tactum. S. Th: 2.2. q. 141. Ad ipsam pertinet temperare amorẽ cibi, & odium abstinentiæ: Est maximè circa concupiscentias, & delectationes tactus, quia delectationes ciborum, & venereorum sunt maximę, & maximè consequuntur operationes naturales, quibus conseruatur natura indiuidui, & speciei, sed hæc consequitur sensum tactus. art. 4. Principaliter est circa dele-

delectationes tactus, secundariò circa alios sensus, et magis circa gustum, quia est propinqiuor tactui, et sic secundariò circa pulchritudinem, et ornatum fęminæ, circa saporem in cibis, et odorem &c. Delicię principaliter consistunt in substantia alimentorum, secundariò in exquisito sapore et præparatione ciborum. art. 5.

Est Virtus, quia facit bonum habentem, et mediante ista, assequimur bonum proprium, consentáneum rationi, et abstrahitur animus ab illis rebus, quæ sunt contrarię rectę rationi, nempe ab illicitis delectationibus.

3 §. 1. *De extremis huius Virtutis*.

Est autem temperantia medietas inter delectationes, et tristitias sensuales. Docet enim hominem delectari honestè, et vt decet, et tristari idest abstinere à delectatione, vt oportet. Magis autem versatur circa delectationes regulandas, quia cōmunes sunt omni animali, et proniores sumus ad delectationes huiusmodi, et difficillimè eas superamus. Habitus vitiosi sunt duo. 1. Per defectum, et dicitur in-
4 sensibilitas. 2. per excessum, et dicitur immoderantia, vel intemperantia. Insensibilis est, qui absque ratione recta, sed ductus, aut incuria, aut imaginatione falsa, aut dementia, aut indispositione organi, nullo vtitur delectabili, vel qui non curat, quo cibo nutriatur, condito, vel non, calido, an frigido, odorifero, an non. Isti dicuntur,
5 apud Arist: agrestes, vt Diogenes Cinicus, Xenocrates, &c. Intemperans autem est, qui excessiuè, et superfluè sequitur concupiscentias, gustus, et tactus, potiús procuratas humano inuentu, quàm naturali, et qui absque debita mensura, et modo in honesto, et vti bestia, in concupiscentias, gustus, et tactus tendit, et à nullis se abstinet, etiam si sint lege prohibitæ.

6 §. 2. *An temperantia sit sine prudentia?*

Perfecta Virtus temperantiæ non est sine prudentia, et sic vitiosi non
7 habent temperantię Virtutē, sed operantur eius actus, ex inclinatione naturali. Item temperantiæ respondet donum timoris Dei, quo aliquis refrænatur à delectationibus carnis. S. Th. hic ar. 1.

§. 3. *An*

8 *§. 3. An temperantia sit specialis Virtus.*

Temperantia, si sumatur in genere, pro quacunque temperie, est Virtus generalis; sed vt refrænat appetitum ab his quæ maximè alliciunt homines, est Virtus specialis. S. Th: at: 2.

9 *§. 4. Quomodo temperantia differat à fortitudine.*

Differt à fortitudine, quia temperantia retrahit appetitum ab his, quæ contrà rationem alliciunt; fortitudo impellit ad sustinenda ea, propter quæ homo refugit bonum rationis.

10 *§. 5. Quomodo tranquillitas animæ, & pulchritudo conueniant temperantiæ.*

Tranquillitas animæ, licet conueniat omnibus Virtutibus, tamen, per excellentiam, conuenit temperantiæ, quia eius obiecta maximè
11 quietant animum. Item pulchritudo excellenter conuenit temperantiæ, quia in ea est moderata, & conueniens proportio, in qua
12 consistit ratio pulchritudinis: tum etiã quia tollit præcipuè turpitudinem. S. Th: art: 2.

13 *§. 6. Finis temperantiæ quis.*

Finis temperantiæ proximus est necessitas vitæ. Remotus, & vltimus, beatitudo. Immò temperantia est non solùm, circa res necessarias, sed etiam vtiles; nam temperans vtitur his moderatè pro loco, & tempore. Item circa res exteriores, vti diuitias, officia, honestatem, &c. vtendo moderatè. S. Th: ar: 6.

14 *De temperantia secundum Arist: in 3. Eth:*

Delectationum duo sunt genera. 1. Animalia. 2. Corporalia. Animales
15 delectationes sunt quæ mente, & non corpore percipiuntur: &
16 quoad ipsas dicit, tria esse delectabilia, quæ ingerunt nobis delectationes animales. 1. Amor honoris, & scientiæ. 2. Amor audiẽdi,

& narrandi fabuloſa. 3. Amor poſſidendi, & congregandi bona fortunæ. Corporales verò delectationes ſunt, quę conſequuntur
17 operationem ſenſus exterioris, cum paſſione, & alteratione Corporis, & maximè ſenſus, tactus, & guſtus.

Temperantia verſatur propriè circa delectationes corporales, &
18 ſignanter circa ſenſum guſtus, & tactus, & non circa delectationes animales. Nam ſecundum. 1. nempè amorem honoris, &c. homo
19 non dicitur temperatus, aut intemperatus: neque ſecundum 2. ob amorem audiendi, &c. Nam iſte appellatur garrulus, & vanus, & eſt ille, qui conſumit dies Vitæ ſuæ, in narrandis fabuloſis, & in quærendis quotidianis nouationibus. Neq; ſecundum 3. ob amorem, bonorum fortunę. Nam, ſecundum iſta, homines non dicuntur temperati, aut intemperati. Neq; verſatur circa ſensũ viſus, auditus, aut odoratus, vt probat ibi Ariſt: ſed cum temperantia, & intẽperantia ſint maximè circa ſensũ tactus, qui eſt cõmuniſſimus inter omnes ſenſus, eò quod in eo cõmunicant omnia animalia, patet intemperantiam eſſe vitium meritò reprobabile, quoniam non eſt in homine, ſecundum aliquid, quod ſit propriũ homini, ſed ſecundum quod homo eſt animal. Delectari autẽ in his, & diligere tales voluptates tactus, vt maxima bona, eſt beſtiale, fit enim per id, homo ſimilis beſtiæ, & redditur infamis.

Declarat ibi melius Ariſt: dicendo, temperantiam, & intemperãtiam non eſſe circa omnes delectationes tactus: nam cum tactus
19 ſit diffuſus, per omnes partes corporis, & circa aliquas poſſint eſſe delectationes honeſtæ, intemperantia erit tantum circa illas partes, circa quas fiunt delectationes inhoneſtæ, & obſcęnę, vt in vſu cibo-
20 rum, & venereorum, & circa has frænandas propriè ponitur temperantia, & per ſuum oppoſitum ſunt ſine fræno.

Extremũ ſuperabundans, ſecundũ Ariſt: dicitur intemperantia. Extremum autem deficiens eſt innominatum. Nam rariſſimi ſunt qui deficiunt. Dicuntur autem deficere qui de nullo delectantur,
21 nec ſciunt triſtari, vt dictum eſt ſupra §. 1. & ideò ſi qui tales ſunt, iuxta Ariſt: longè videntur eſſe à natura, & ab eſſe hominum, quaſi quod ſint inſenſibiles, vt plantæ: Vel ſupra homines elati, vt Dij, ideò ob raritatem iſtorum, non eſt impoſitum nomen huic extremo defectiuo, ſed tantum appellatur, inſenſibilitas, &c.

S V M M A R I O L A.

1 *Obedientia duplex.*	4 *Quomodo subditi teneantur obedire superioribus.*
2 *Quid sit.*	5 *An subditi teneantur obedire Principi iniusto.*
3 *Quomodo sit pars subiectiua Iustitiæ.*	

DE OBEDIENTIA,

Ex S. Th: 2. 2. q. 104.

Caput LXVI.

1 DVPLEX est obedientia. 1. Formalis. 2. Materialis. Materialis non est aliud, quàm omnes Virtutes, quatenus exequuntur actus imperatos, quod est idem, ac si diceretur, in omnibus virtutibus exerceri
2 obedientiam. Formalis distinguitur ab omnibus Virtutibus, & ideò est Virtus specialis. Definitur esse habitum, quo exequimur actus imperatos, quatenus sunt imperati. Eius obiectũ est præceptum superioris, tacitum, vel expressum.

§. 1. *Obedientia an sit maior alijs Virtutibus.*

Inter Virtutes morales, hæc Virtus est maxima, nã obediens, vt adhęreat Deo, contemnit maximum, quod est propria voluntas, sed inter Virtutes Theologicas, non est maior, nam Virtutibus Theologicis, adhæret Deo, secundum se, sed moralibus homo contemnit creata, vt adæreat Deo, & sic illæ sunt finis, istæ sunt media.

3 §. 2. *Quomodo sit pars subiectiua Iustitiæ.*

Est pars subiectiua Iustitiæ: nam ex lege naturali, & Diuina inferiores debent obedire superioribus causis. In omnibus obediendum est Deo per necessitatem Iustitiæ: Ratio: obediens mouetur ab imperio illius, cui obedit, & sicut Deus est motor primus omnium

rerum, quæ naturaliter mouentur, ita etiã est primus motor omniũ voluntatum, & ideò sicut per naturalem necessitatem, omnes res naturales supponuntur Diuinæ motioni, ita quadam necessitate Iustitiæ, omnes voluntates Diuino debent obtemperare Imperio.

4 §. 3. *Quomodo subditi teneantur obedire superioribus.*

Subditi tenentur obedire superioribus, in omnibus, exceptis ijs, in quibus non sunt subditi, & ijs, quę sunt contra pręceptum superioris maioris, vti est Deus, & ijs, quæ pertinent ad motum interioris voluntatis. S. Th. vbi supra.

5 §. 4. *An subditi teneantur obedire Principi iniusto.*

Christianos oportet obedire Potestatibus sęcularibus, quia fides non tollit ordinem iustitiæ: sed si non haberent iustum Principatum, vel essent Tyranni, vel iniungerent iniusta, obediendi non essent, nisi ad euitandum scandalum. S. Th: vbi supra.

SVMMARIOLA.

1 *Liberalitas quid.*
2 *Circa quid versetur.*
3 *Versatur circa diuitias mediocres.*
4 *Magnificentia circa magnas.*
5 *Extrema huius Virtutis.*
6 *Quomodo differat liberalis à magnifico.*
7 *Pauper potest esse liberalis, sed non magnificus.*

DE LIBERALITATE,

Ex S. Th: 2. 2. q. 117.

Caput LXVII.

1 
EST Virtus, qua in vtilitatem aliorum, conferimus munera, & præsertim nummos, & est Virtus, quia benè vti his, quibus malè vti possumus, est actus bonus. Versatur propriè circa pecunias, sed nomine pecuniæ, veniunt omnia, quę æstimantur pecunia. Ad liberalitatem maximè pertinet

dare, & maioris prudentię est vtiliter pecuniam expendere, quam vtiliter conseruare, ar: 4. Non est species Iustitiæ, sed habet conuenientiam cum ea, in debito morali, & decentia. Definitio posita est supra sub cap. 46. §. 3.

2 *§. 1. Circa quod versetur liberalitas.*

Circa ea versatur liberalitas, circa quę operando laudatur homo liberalis, sed non laudatur, nec dicitur homo liberalis, quia prudenter se habet, in rebus bellicis, nec quia temperate se habet in gustu, & tactu, nec quia se iustè habet, in Iudicijs, sed quia benè, & laudabiliter, in dando, & accipiendo pecunias. Circa diuitias mediocres est liberalitas, nam constituit mensuram, in datione, & receptione di-
3 uitiarum mediocrium. Nam duplices sunt diuitię. 1. Magnę. 2. Mediocres. Circa magnas versatur magnificentia; circa mediocres,
4 liberalitas.

5 *§. 2. De extremis huius Virtutis.*

Medietas igitur circa dationem, & receptionem diuitiarum mediocriũ, dicitur liberalitas; Eius extrema sunt prodigalitas, & illiberalitas. Prodigus superabundat in datione, & deficit in acceptione. Illiberalis superabundat in acceptione, & deficit in datione; & communi
6 nomine dicitur auarus. Circa magnas diuitias, secundum dationẽ,
7 & receptionem, medietas, quæ est Virtus, dicitur magnificentia. Differt enim magnificus à liberali, quia magnificus est in dando, & accipiendo magna; liberalis autem in dando, & accipiendo parua. Vnde pauper potest esse liberalis, sed non magnificus, vt dicitur etiam sub Tit: de magnificentia ex Arist: 2. lib. Eth.

S V M M A R I O L A.

1 { *Veritas.* / *Veracitas* / *Fidelitas* } *Sinonima.*
2 *Quid sint.*
3 *Constitui in cõcupiscibili potentia.*
4 *Eius obiectum quod.*
5 *Esse specialem Virtutem.*
6 *Extrema quæ.*
7 *Iactantia quid.*
8 *Iactator quis.*
9 *Ironia*

9 *Ironia quid.*
10 *Ironicus quis.*
11 *Verax à veritate, & quis.*
12 *Promissionis executio ad hanc Virtutem pertinet.*
13 *Promissionis actus non est actus huius Virtutis.*
14 *Fidelitas supponit promissionem factam.*
15 *Voti adimplementum ad hanc Virtutem pertinet.*
16 *Infidelis, qui votum non implet.*
17 *Infidelitas vitium oppositum.*
18 *Fidem ex eo dici, quod fiant dicta.*
19 *Fidelitas maximè Deo debetur.*
20 *Votum maximè adimplendum erga Deum.*
21 *Voti fractio, infidelitas.*

DE VERITATE, ALIAS VERACITATE;

Caput LXVIII.



ST Virtus, qua verbis, & rebus exercemus ve-
1 ritatem, & executione reddimus veram, nostram
2 promissionem: ideò appellatur etiam fides, & fi-
delitas. Hac Virtute, reddimus nos manifestos
alijs, in rebus, & in verbis decentibus, quatenus
3 ex hoc nos etiam capimus aliquam delectationẽ.
Ista Virtus constituitur in concupiscibili potentia. Habet pro obie-
4 cto illam exhibitionem, & communicationem sui ipsius, quatenus
est delectabilis absolutè illi, qui manifestat veritatem. Est specialis
5 Virtus, quia habet specialem rationem bonitatis, vt signi ad signa-
tum. S.Th: 2. 2. q. 109. ar: 2.

6 §. 1. *Quæ sint extrema huius Virtutis.*

Appellatur etiam veracitas, quæ est Virtus inter iactantiam, & ironiam.
Iactantia, est extremum excessiuum. A iactantia dicitur iactator, &
7 est ille, qui simulat sibi inesse aliqua gloriosa, & digna; quod tamen
8 est falsum, & hoc contingit dupliciter. Vel quia simulat aliqua di-
gna sibi inesse, quæ non insunt, vel si insunt, non tamen ita digna
& magna, vt iactat sibi inesse. 2. Ironia est alterum extremum de-
9 fectiuum. Ab Ironia dicitur Ironicus, & est ille, qui negat sibi inesse
10 digna, quæ tamen insunt, vel qui dicit sibi inesse minora, quam
insint.

insint. Iactator peccat per excessum. Ironicus per defectum. A veritate dicitur verax, & est ille, qui confitetur ea sibi inesse, quæ
11 insunt, & modo quo insunt, puta, si magna, magna, si parua, parua, si bona, bona, si mala, mala, & hoc nō solū verbis, sed etiā vita, conuersatione, actibus, ita quod qualem se dicit, talis est, quia secundū
12 veritatem talis est, qualem se dicit, Arist: in 4. Ethic:

Ad Virtutem fidelitatis pertinet exequi quodcunque opus pro-
13 missum, & tamen actus ipse promissionis non est actus Virtutis
14 fidelitatis. Fidelitas enim supponit iam factam promissionem, siquidem actus illius est facere, quod est promissum, Vnde habet, quasi reflexè pro obiecto, ipsam promissionem per aliam aliquam Virtutem factam, videlicet per Religionem, vel aliam Virtutem;
15 Greg. de Val. Tom. 3. Disp. 6. q. 6. p. 3.

Cum reducatur ad Virtutem Veritatis, vt supra habitum est,
16 quia veraces in promissis esse debemus; non adimplere votum, est
17 quædam species infidelitatis, & sic videtur, quod infidelitas sit vitium oppositum fidelitati. Vnde Eccl: 5. Displicet Deo infidelis promissio. Immò ex S. Thom. 2. 2. quest. 88. art. 3. habetur.
18 Fidem ex eo dici, quia fiunt dicta, & quod homo maximè debet
19 Deo fidelitatem, tum ratione dominij, tum etiam ratione beneficij
20 suscepti, & ideò maximè obligatur homo ad hoc, quod impleat
21 Vota, Deo facta. Fractionem autem Voti esse quandam infidelitatis speciem.

S V M M A R I O L A.

1 *Amicitia quid.*
2 *Affabilitas, quid.*
3 *Esse specialem Virtutem.*
4 *Esse partem Iustitiæ.*
5 *Extrema, quæ.*
6 *Popularitas, quid.*
7 *Ineptitudo, quid.*
8 *Morositas, quid.*
9 *Inciuilitas, quid.*
10 *Placidus, quis.*
11 *Adulator, quis.*
12 *Contentiosus, quis.*
13 *Discolus, quis.*
14 *Difficilis, quis.*
15 *Inhumanus, quis.*
16 *Virtutem istam ab aliquibus dici innominatam sed non est ita.*

DE

DE AMICITIA, SEV AFFABILITATE.

Caput LXIX.



EST Virtus, qua varijs officijs, inseruimus amico.
1 Hac Virtute reddimus nos iucundos alijs, verbis de-
2 centibus, & rebus serijs. Est Virtus specialis, quia con-
3 uenienter ordinat hominem ad alios, in communi
conuersatione, sic in rebus, vt in verbis, in quibus cõ-
sistit affabilitas. Præterea illę amicitię, quæ consistunt principaliter
in illo affectu, quo vnus alterum prosequitur, possunt esse in quali-
bet Virtute. Affabilitas ista est pars subiectiua Iustitiæ, quia est re-
latiua ad alios, quamuis non habeat debitum, nisi honestatis. S. Th.
2.2.q. 114.

5 *§. 1. De duobus extremis huius Virtutis.*

Adulatio in factis, nempe omnia ad gratiam facere, & obsecundare, &
6 nimia facilitas, & Popularitas est vitium superabundans. Ineptitudo,
7 & morositas, & inciuilitas, in conuersando, est alterum vitium defe-
8 ctiuũ. Inter istos duos habitus vitiosos media cõstituitur affabilitas.
9 Immò ex 4. Eth. Arist: dicamus melius, huic Virtuti duo extrema op-
poni. 1. Per excessũ, & est q̃do quis vult omnibus in omnibus placa-
re, & se delectabilẽ, in omnibus reddere. Si id facit ꝑpter delectare,
10 dicitur placidus, si propter vtile, dicitur adulator. 2. Per defectũ, & est
11 quando quis nõ curat alteri placere, immò in omnibus molestus est,
12 cõtradicens omnibus. Appellatur iste, cõtẽtiosus, discolus, difficilis,
13 inhumanus; Non est permittendus cum alijs conuiuere, quoniam
14 omnibus, in omnibus, tristitiam affert, dictis, actibus nutibus, &c.
15 Ista Virtus ab aliquibus dicitur innominata, ideò prædicta ex-
16 trema dicuntur opponi ad inuicem, & non ad medium, quate-
nus illud medium est innominatum, & tamen secundum veritatẽ
opponuntur inter se, & medio, nam tàm placidus, quàm contentio-
sus opponuntur affabili: Arist: etiam numerat hanc Virtutem inter
Virtutes morales.

SVM-

S V M M A R I O L A.

DE MAGNIFICENTIA.

Caput LXX.



ST Virtus, quę versatur, in faciendo magna dispendia, in
1 vtilitatem aliorum. Eius materia specialiter est pecunia,
quatenus est bonum arduum consequi, & quatenus est
obiectum spei, & desperationis. Definitur, quod sit Vir-
tus, disponens, animum ad faciendos magnos sumptus, quatenus
2 nobis possit esse expediens, vel res, vel opus, institutum requirat. Ista
igitur Virtus reducit ad mediocritatem dictas duas passiones spei, &
3 desperationis; circa pecuniam. Constituitur in potentia irascibili.
ex S. Th. 2. 2. q. 134. ar. 4.

4 §. 1. *De extremis huius Virtutis.*

Diuitię sunt duplices. 1. Magnę. 2. Mediocres. Circa magnas diuitias ha-
5 bemus Virtutem magnificentię. Circa mediocres, Virtutem libera-
6 litatis, vt dictum est etiam supra in eius Titulo. Vitium per excessũ
7 dicitur, Græca lingua, banausia, quia admodum fornacis, omnia ci-
8 tò consumit, deinde insurgit mendicitas. Extremum per defectum,
dicitur paruificentia, & est quando quis, licet habeat magnas diui-
9 tias, tamen nihil magnificè, Sed miserè expendit. Banausius expen-

dit,præter illud, quod oportet, quia in ſuperfluis ſumptibus multa
10 conſumit,agitque ſplendidos ſumptus,ſine proportione,ac conue-
11 nientia,cibat hiſtriones &c.Viam,per quam tranſit,cooperit purpu-
ra,& hoc ex oſtentatione,et non propter Virtutem,ſed vt oſtendat
12 diuitias ſuas. Paruificus autem,qui per defectum recedit à magnifi-
centia, quinque modis ſolet deficere. 1. Si facit aliquando magnas expenſas,in paruo perdit bonum, ideſt pro modico,perdit bonum Virtutis. 2. quicquid operatur,tardè,et non niſi aſtrictus operatur,et expendit. 3. ſtudet ſemper modum paruum expendendi. 4. ſemper expendit cum triſtitia. 5. ſemper credit, ſe magis expendere, quàm opportet,ideò numquam benè,et decenter expēdit,ſed in omnibus deficit. Ariſt:4.Eth.

Differt magnificus à liberali, quia magnificus eſt in dando, et
13 accipiendo magna. Liberalis autem in dando, et accipiendo me-
diocria. Vnde pauper poteſt eſſe liberalis,ſed non magnificus Ariſt: vbi ſupra.

S V M M A R I O L A.

1 *Magnanimitatem eſſe virtutem.*
2 *Habere rationem magni, & ardui.*
3 *Moderari ſpem,& deſperationem circa honores.*
4 *Conſtitui in Iraſcibili Potentia.*
5 *Quid ſit.*
6 *Reuocari ad fortitudinem.*
7 *Subiectum eius eſt magnus honos.*
8 *Honorem eſſe ſubiectum Magnanimitatis.*
9 *Honorem eſſe maximum quid.*
10 *Honor erga Deum magnum quid.*
11 *Honore erga Viros optimos, nihil maius.*
12 *Circa honores duplices eſſe Virtutes.*
13 *Honores duplices eſſe.*
14 *Quæ eius extrema.*
15 *Caumotes quid.*
16 *Puſillanimitas, quid.*
17 *Philothimia quid.*
18 *Aphilothimia, quid.*
19 *Philothimus, quis.*
20 *Aphilothimus, quis.*
21 *Præſumptio, quid.*
22 *Præſumptuoſus, qui.*
23 *Chaimus, quis.*
24 *Magnanimitas in medio.*
25 *Puſillanimis quis.*
26 *Magnanimi proprietates eſſe numero 21.*
27 *Magnanimitatem ſupponere aliàs Virtures.*
28 *Magnanimitatem, & humilitatē, non contrariari.*

29 *Fidu-*

DE MAGNANIMITATE.

Caput LXXI.



MAGNANIMITAS est Virtus specialis, quia eius
1 actus consistit in optimo vsu rei magnę, quæ est
2 honos, qui debetur Deo, & optimis, & habet ratio-
3 nem magni, & ardui. S. Th. 2. 2. q. 129. art. 1. Mo-
deratur spem, & desperationem, circa dignitates,
4 & honores, quatenus sunt quoddam bonum arduum. Constitui-
tur in potentia irascibili. Definitur. Est Virtus perficiens animum
5 taliter, vt operetur rectè, circa res magnas, & pręsertim circa hono-
res magnos, vel contemnendo illos rationabiliter, prout erit expe-
diens; vel moderatè procurando illos. Reuocatur ad Virtutem
6 fortitudinis. S. Th. vbi supra. ar. 5. Materia propria Magnanimita-
7 tis est magnus honos. Magnanimus tendit ad ea, quæ sunt digna
8 magno honore. Hoc etiam sic probatur. Magnanimus dignifi-
cat se magnis bonis exterioribus, quibus est dignus, sed honor
9 est quid bonum maximum, inter exteriora, & ideò Deo nihil
10 maius tribuere possumus, quàm honorem, nec non Viris optimis,
11 ergo magnanimus insistit, circa honorem, vt circa materiam
proximam, ex Arist. in 4. Eth.

Qui contemnit honores, ita vt, pro illis acquirendis, non com-mittat rem inconuenientem, laudabilis est, sed qui contemnit tali modo, vt non curet facere quamlibet rem congruam, quæ sit digna honore, culpabilis est, & contra id est magnanimitas, quæ consistit, in medio. S. Th. vbi supra.

12 §. 1. *Circa honores duplices esse Virtutes.*

Sicut duplices sunt diuitiæ, vt dictum est supra, sub Tit: de
13 Magnif. sic duplices sunt honores. 1. Magni. 2. Parui. Circa magnos,

est Magnanimitas, Circa paruos est Virtus innominata. Extremum
14 superabundans Magnanimitatis, dicitur caumotes, quasi ardor, in
15 appetitu honoris. Extremum deficiens, Pusillanimitas. Virtutis
16 autem innominatæ; quæ est circa paruos honores extremum
17 excessiuum dicitur Philothimia; idest amor honoris; Extremum
18 deficiens dicitur Aphilothimia, idest non amor honoris.

Vnde Philothimus dicitur amator honoris. Aphilothimus, non
19 amator honoris. Quod autem circa honores mediocres sit parti-
20 cularis Virtus, licet innominata, quæ se habet ad magnanimitatem,
sicut liberalitas ad magnificentiam, patet ex eo, quod contingit
appetere mediocres honores magis, & minus, quam oportet, &
quando non oportet, & medijs, & fine indebitis: & quoniam hæc
Virtus est innominata, solemus appellare eam, nomine vnius extre-
mi; alias alterutrius: Vnde eum, qui est, in medio, aliquando dicimus
Philothimum, aliquando Aphilothimum ideò dicit Arist: 2. Ethic:
& ibi Iauellus: Contendunt extremi de media regione, vterque
enim, qui est in extremis, dicit, & reputat, se esse in medio, & hoc
est commune omni vitioso;

Immò Iauell. ex Arist: in 4. Ethic. Tom. 2. dicit, quod extremum
21 excessiuum Magnanimitatis dicitur præsumptio, & est illius, qui di-
gnificat se magnis, etiam si sit indignus, & hunc, ex Arist: ibi, appel-
lat chaynum, idest fumosum, alias præsumptuosum. Si autem quis
22 sit dignus magnis, & existimat se dignum maioribus non dicitur
23 propriè præsumptuosus, eo quod est difficile rectam mensuram at-
tingere, & nullo modo excedere. Vitium defectiuum dicitur Pusil-
lanimitas, & est illius qui existimat se dignum minoribus, quàm di-
gnus sit, quasi vilificans, & deijciens se ipsum, vltra debitum. Maxi-
mè enim pusillanimis est, qui dignus est magnis, & tamen illis in-
tendere recusat.

24 *§. 2. Declaratur magis, quomodo Magnanimitas sit Virtus, & stet, in medio.*

Et licet omnis Virtus consistat, in medio, & magna habeant rationem
extremi: nam æquale est medium, inter magnum, & paruum, & sic
videatur, quod Magnanimitas, si versatur, circa magna, non sit Vir-
tus, sed vitium; quod semper habet rationem extremi, tamen

respondetur,

reſpondetur, ex Ariſt. 4. lib. Eth. Magnanimum, quantum ad magna, quibus ſe æſtimat dignum, ſtare in extremo, ſed in quantum hoc facit, ſecundum quod decet, quia ſcil: ſe ipſum dignificat magnis, ſecundum quod eſt dignus, in veritate, ſtat in medio. Nam,
25 præſumptuoſus facit ſe dignum magnis, cum ſit indignus, & Puſillanimis facit ſe indignum magnis cum tamē ſit dignus, & ſic patet, quod Magnanimitas tenet medium, ſecundum rectam rationem, inter præſumptionem, & Puſillanimitatem. Nam, vt ſupra habitū, eſt, etiam ſecundum S. Th. Medium, in Virtute non attenditur, ſecundum quantitatem rei, ſed ſecundum rectam rationem. Vnde quantumcunque magnum ſit ſiuè paruum, opus, quod facit homo, dummodo à recta ratione non recedat, benè agit, nam propter hoc eſt medium Virtutis.

26 §. 3. *Proprietates Magnanimi.*

Proprietates Magnanimi ſunt num. 21. 1. Magnanimus non extollitur propter magnos honores, quia non reputat illos, ſupra ſe 2. Non alteratur propter dishonorationes, quia illas cōtemnit, ex hoc quod reputat ſibi indignè factas. 3. Habet motum tardum, vocem grauem, locutionem ſtabilem, quia non intendit, niſi res magnas & non loquitur niſi de rebus magnis S. Thom. d. queſt. 129. ſequentes habentur apud Iauellum. 4. Pro magnis ſe diſcrimini opponit, ſed non pro paruis, & ſemper pro iuſta cauſa, vt pro Deo, pro Patria, pro Lege. 5. Quando exponit ſe periculis, id conſtantiſſimè facit, non parcens Vitæ ſuæ. 6. Eſt promptus ad beneficium conferendum, ſed verecundus ad recipiendum. 7. Si recipit beneficium, ſtudet maiora retribuere. 8. Magis afficitur illi, cui beneficium præſtitit, quam illi, qui ſibi beneficium contulit. Sed hoc declarandum eſt ſecundum Iauellum 9. Libenter audit referentem ſibi beneficia, ab ipſo magnanimo collata, ſed non ita, qui narrat ei beneficia collata ipſi magnanimo. 10. Non de facili oſtendit indigentiam ſuam, immò ſe exhibet, ac ſi nullo indigeret. 11. Magnum, & honorabilem ſe exhibet ad illos, qui ſunt in dignitate conſtituti, & qui excellunt in bonis fortunę. Ad mediocres autem, mediocriter. Nam quod aliquis inter magnos, ſe exhibeat magnum, & venerabilem, iudicat animi virilitatem, quod eſt Virtutis:

tutis: ſed, quod velit à mediocribus, vel infimis venerari, & timeri, ſpectat ad eos, qui ſunt alijs oneroſi, quod non eſt Virtutis. 12. De neceſſitate eſt manifeſtus amicus, & manifeſtus inimicus: quod enim aliquis latenter amet, aut odio habeat, prouenit ex timore, ſed Magnanimus non eſt timidus; quoniam magnanimitas includit fortitudinem, ergo non amat, aut odit latenter, ſed manifeſtè. 13. Præponit veritatem opinioni hominum, quoniam non propter opinionem hominum recedit ab eo, quod iuſtum eſt fieri. 14. Liberè loquitur, & vera, nam contemnit alios, non contemptu vituperabili, ſed quia non appretiatur eos, vltra quam debeat, ergo propter reſpectum aliorum, non occultat, quæ loqui debet, aut operari, ſed liberè, & palam loquitur, ac operatur. 15. eſt veridicus; nec dicit falſum, niſi ironicè aliquando, in ludo, vt delectet multitudinem. 16. Non eſt facilis ad conuiuandum, niſi cum amicis. Nã ingerere ſe, ad conuiuandum cum alijs, indifferenter, eſt animi ſeruilis; nam omnes blandientes, cupientes indifferenter omnibus placere, ſunt obſequioſi, ideſt ad ſeruiendum prompti, & omnes humiles, ideſt qui ſunt abiecti animi, ſunt blanditores. 17. Non de facili admiratur: eſt enim admiratio de rebus magnis, ſed Magnanimo nihil eſt magnum, in his, quæ exterius, & ex fortuna occurrere poſſunt. Vita enim ſua verſatur circa interiora bona, quæ ſunt vera, & magna bona. 18. Iniuriarum memorem eſſe dedignatur: ad ipſum enim ſpectat obliuiſci malorum, quæ paſſus eſt, in quantũ de eis nõ curat, vt potè à quibus minorari non poteſt. 19. Non multum loquitur laudando homines in particulari, nec ſe ipſum, nec alios; Non enim ſibi eſt curæ, quod ipſe laudetur, aut alij vituperentur. Nec multum laudat alios, nec multum de alijs loquitur, eo quod intendit magno bono, quod eſt bonum commune, & Diuinum. Nec etiam de inimicis loquitur multum, niſi ad repellendam iniuriam illatam, aut inferendam. 20. De rebus Vitæ neceſſarijs non eſt plangitiuus, conquærendo, aut murmurando, ſi ei defuerint: neque deprecatiuus, vt ſibi exhibeantur. Hęc enim ſpectant ad eum, qui ſolum ſtudet, in his, & inhęret quaſi rebus magnis, quæ tamen ſunt minora bona: & ideò magnanimus, qui magna curat, & appetit, nõ plangit, nec conqueritur in his. 21. Eſt promptior ad bona honorabilia, non lucroſa, vt pręeſſe Communitati, locis Pijs &c. quàm ad vtilia; nam honorabilia, non lucroſa ſpectant ad hominem, ſibi ſuf-

ficien-

ficientem, qualis est magnanimus, qui non indiget aliunde lucrari. ex lib. 4. Eth. Arist. & ibi Iauell.

27 §. 4. *Magnanimitatem supponere omnes alias Virtutes.*

Magnanimitas supponit omnes alias Virtutes: nam si magnanimus intẽdit magnos honores, & est illis dignus, necesse est, vt habeat fundamentum eorum, in se ipso: fundamentũ autem magnorum honorum sunt Virtutes, ergo necesse est, vt magnanimus habeat, in se, alias Virtutes.

28 §. 5. *Magnanimitatem, & humilitatem non contrariari.*

Magnanimitas, & humilitas non sunt contrariæ, quamuis in contraria tendere videantur, sed procedunt secundum diuersas consideratio- nes, modo sequenti. In homine inuenitur aliquid magnum, quod ex dono Dei, possidet, & aliquis defectus, qui competit ei, ex infirmitate naturæ. Magnanimitas facit, quod homo magnis, se dignificet, secundum considerationem donorum, quæ possidet ex Deo: sicut si habet magnam Virtutem animi, magnanimitas facit, quod ad perfecta opera Virtutis tendat: similiter est dicendum, de vsu cuiuslibet alterius boni, puta scientiæ, vel exterioris fortunæ. Humilitas autem facit, quod homo se ipsum paruipendat, secundũ considerationem proprij defectus. Similiter etiam magnanimitas contemnit alios, secundum quod deficiunt à donis Dei; sed humilitas alios honorat, & superiores æstimat, in quantum in eis, aliquid inspicit, de donis Dei. S. Th. 2. 2. d. q. 129. ar. 3. ad 4.

29 §. 6. *Fiduciam pertinere ad Magnanimitatem.*

Fiducia pertinet ad magnanimitatem. Nomen fiduciæ, ex fide, assumptũ
30 esse videtur. Ad fidem autem pertinet aliquid, & alicui credere. Pertinet autem fiducia ad spem. Vnde ad hoc propositum, nomen fiducię principaliter, significare videtur, quod aliquis spẽ concipiat, ex hoc, quod credit verbis alicuius, auxilium promittentis. Sed quia fides dicitur etiam opinio vehemens; contingit autem aliquid vehementer opinari, non solùm ex eo, quod est ab alio dictum, sed etiam

etiam ex hoc, quod eſt in alio conſideratum: inde eſt, quod fiducia etiam poteſt dici, qua aliquis ſpem alicuius rei concipit, ex aliquo conſiderato, & id accidit in magnanimo. S. Th. d. q. 129. ar. 6.

31 §. 7. *Securitatem ad Magnanimitatem pertinere.*

Securitas etiam ad Magnanimitatē pertinet, quia non ſuccumbit alicui
32 rei, & ſtat ſine timore. Non omnis ſecuritas eſt laudabilis, ſed illa tantum, quæ ponit curam, vti debet, & in ijs rebus, in quibus non oportet timere. S. Th. d. q. 129. ar. 7.

33 §. 8. *Bona fortunæ conferre ad Magnanimitatem.*


Bona fortunæ conferunt etiam ad Magnanimitatē, quia Populus honorat diuites, & quia diuitiæ ſunt inſtrumenta Virtutis, hoc modo.
34 Magnanimitas ad duo reſpicit. 1. Ad honorem quidem, ſicut ad materiam. 2. ad aliquid magnum operandum. Ad vtrunque autem
35 iſtorum bona fortunæ cooperantur, quia honor, virtuoſis, non ſolùm à ſuperioribus, ſed etiam à multitudine exhibetur, quę maximâ reputat huiuſmodi exteriora bona fortunæ; ſimiliter etiam ad actus Virtutum, organicè bona fortunæ deſeruiunt, quia per diuitias, potentias, & amicos, datur nobis facultas operandi; Vnde manifeſtum eſt bona fortunæ ad magnanimitatem conferre. S. Th. d. q. 129. ar. 8.

S V M M A I R O L A.

1 *Philothimia quid.*
2 *Verſatur circa mediocres honores.*
3 *Eſt Virtus innominata, ideò videtur derelicta, ſed non eſt ita.*
4 *Circa appetitum medioeris honoris datur exceſſus, & defectus, ergo etiam Virtus.*
5 *Nominatur nomine extremorum.*
6 *Extremi contendunt de media regione.*
7 *Vterque qui eſt in extremis reputat ſe eſſe in medio.*
8 *Philothimus, quis.*
9 *Aphilothimus, quis.*

DE PHILOTHIMIA.

Caput LXXII.



EST Virtus, temperans passiones Concupiscibils, nempè
1 amorem, concupiscentiam, & delectationes, circa di-
gnitates, & honores, etiam illos, qui solo sensu interiore
2. percipiuntur. Immò versatur circa paruos, & medio-
cres honores, & secundum Arist. 4. Ethic. ex Iauello, est
3 Virtus innominata, ideò videtur derelicta, ac si non esset, & tamen
in veritate est vt supra probatum est, in Tit. de Magnanimitate,
Vbi dictum est Magnanimitatem versari, circa magnos honores:
Philothimiam, circa mediocres. Circa appetitũ mediocris honoris,
4 datur excessus, & defectus, ergo consequens est, si dantur extrema,
quod detur etiam medium, sed quoniam talis medietas remansit
innominata, ideò solet nominari, nomine extremorum. Nam per
5 comparationem ad vnum extremorum, videtur habere similitudi-
nem cum altero extremo. Habitus enim medius, quo appetimus
honorem mediocrem, vt oportet, & decet, & nõ aliter comparatus
ad excessiuum amorem mediocris honoris, videtur esse contem-
ptus honoris, qui est extremum defectiuum: per comparationem
autẽ ad contemptum honoris, videtur esse amor excessiuus hono-
ris: & per comparationem ad vtrumque extremum, videtur esse
aliqualiter vtrumque, Medium enim sapit, & in se seruat naturam
extremorum, licet moderatam, & remissam, & hoc apparet com-
muniter, in alijs Virtutibus, ideò dicit Arist. Contendunt extremi
6 de media regione: vterque enim qui est in extremis, reputat se esse
7 in medio. Extremum superabundans, secundum Arist. (dicitur
Philothimia, idest amor honoris) Extremum autem deficiens di-
8 citur aphilothimia, idest non amor honoris. Vnde Philothimus
dicitur amator honoris. Aphilothimus, non amator honoris.

S V M M A R I O L A.

1 *Eutrapelia quid.*
2 *Eius obiectum est iucunda communicatio.*
3 *Collocatur in concupiscibili.*
4 *Esse virtutem, probatur.*

5 *Ludus est vtilis in Vita humana.*

6 *Circa ludum contingit excessus, & defectus.*

7 *Circa omne vtile, in vita humana, & in quo contingit excessus, & defectus potest esse habitus regulatiuus extremorum.*

8 *Ex ludo fit quædam hominis requies ab anxietatibus.*

9 *Requies ista est homini necessaria.*

10 *Requies fit corpori per dormitionem.*

11 *Animę intellectiuę fit requies per ludum.*

12 *Extremum per excessum dicitur bomolochia, idest scurrilitas.*

13 *Extremum per defectum dicitur agria, vel agroichia, idest rusticitas.*

14 *Scurrilitas, quid.*

15 *Agria, vel agroichia, quid.*

16 *Rusticitas, quid.*

17 *Ruditas, quid.*

18 *Rudis, quis.*

19 *Agrestis, quis.*

20 *Comitas, idem cum eutrapelia.*

21 *Vrbanitas idem quod eutrapelia.*

DE EVTRAPELIA, ALIAS VRBANITATE, ALIAS Comitate.

Caput LXXIII.



ST Virtus, qua nos accōmodamus, & exibemus iu
1 cūdos alijs, in ludis, & cōuersationibus, cū dignita
2 te, & decore. Eius obiectū est iucunda communi-
catio sui ipsius, quatenus affert delectationem illi,
3 cui communicatur. Collocatur in concupiscibili.

4 *§. 1. Probatur quod sit Virtus.*

Quod circa ludos possit esse habitus medius, qui est virtus, et duo ex-
trema vitiosa, sic probatur, ex Arist. in lib. 4. Ethic. Ludus
est vtilis, in Vita, & humana conuersatione, & in eo contingit exces-
5 sus, & defectus, ergo circa ipsum potest esse Virtus, & vitium. Con-
6 sequentia patet, quoniam apud Philosophum moralem, circa omne
7 vtile, in Vita humana, & conuersatione, & in quo contingit exces-
sus, & defectus, potest esse habitus regulatiuus extremorum, ergo
Virtus, & vitium, Antecedens autem, quoad vtranque partem, pro-
batur.

batur. Ex ludo fit quædam hominis requies ab anxietatibus solli-
8 citudinis, in Vita humana, quæ multipliciter anxiatur, & huiusmo-
9 di requies est homini necessaria, quoniam, sicut Corpus indiget ali-
quando requie à laboribus, quæ requies fit per dormitionem, sic in-
10 diget Anima intellectiua aliquando quiescere, ab intellectuali ope-
11 ratione, & intētione, qua homo rebus seriosis intendit. Hęc autem
requies fit, ex solatio ludi, vnde solet appellari, animi recreatio. Patet
ergo quanta sit vtilitas ludi in vita humana. Patet etiam excessus, &
defectus in ludo, ex eo quod, in ludo, potest esse conueniens, & de-
12 cens collocutio hominum, ad inuicem, vt scil: homo dicat, & audiat,
12 quæ decentia sunt, & quæ oportet. Contingit etiam, quod aliqua
13 decenter audiat, quæ non decenter diceret. Vbicunque autem est
14 differentia eorum, quæ oportet fieri, & eorum, quæ non oportet
15 fieri, ibi non solum est medium, sed etiam excessus, & defectus à
16 medio. Vnde, circa ludum contingit esse medium Virtutis, et extre-
17 ma vitiosa.

18 §.1. *De extremis huius Virtutis.*


Extremum per excessum dicitur bomolochia, idest scurrilitas, à qua scur-
19 ræ. Extremum per defectum dicitur agria, vel agroichia, idest rusti-
20 citas, siue ruditas, à qua rudis, & agrestis. Medium autem dicitur Eu-
21 trapelia, idest, Comitas, siue Vrbanitas, à qua comis, & vrbanus.

S V M M A R I O L A.

1 *Misericordia quid.* 3 *De ratione misericordiæ. Tria.*
2 *Potest esse Virtus, & Passio.* 4 *Misericors, qui dicatur.*

DE MISERICORDIA.

Caput LXXIV.



EST. dolor alienę miserię, & quia iste est motus ani-
1 mi, si erit regulatus à ratione, misericordia erit Vir-
2 tus moralis, sed si erit motus sensus, erit passio, & nō
Virtus: S.Th.2.2.q.30.art.3. Misericordia, secundum
S.August. in lib.9. De Ciuitate Dei, cap.5. est alienæ
miseriæ, in nostro corde, compassio, qua vtique si possumus, subue-

nire compellimur. Pro cuius notitia aduertatur, quod de ratione
3 Misericordiæ sunt tria. 1. est malum: nam, sicut gaudemus de bono, superuenienti, proximo, quem diligimus, & congaudemus, & congratulamur ei, sic tristamur, & dolemus, de malo, ei superuenienti, & condolemus, ac compatimur, cum eo; Arbitramur enim malum proximi amati, esse malum nostrum. Hęc simultanea tristitia, & passio dicitur misericordia, quam describit Dauid in Psal. 68. dicens: Quæsiui qui simul contristaretur, & non fuit, & consolantem me non inueni. 2. Est de malo nociuo, aut corruptiuo, saltem secundũ æstimationem nostram; Nam si malum amico accideret, quod arbitraret sibi non nocere; sed potius prodesse: quia forte per ipsum, ad maius bonum deuenit, aut maius malum euitauit, non miserer illi, nec simul tristarer, sed potius lętarer. 3. De ratione eius est, quod cōdolens, & compatiens, si potest, adiuuet patientem: aliter huiusmodi compassio nihil conferret patienti malum, nec mereretur compatiens dici misericors. Exemplum habemus S. Lucę cap. 10. de Sa-
4 cerdote, & Leuita, & Samaritano: qui omnes viderunt vulneratum à latronibus, in Hierico, & forte Sacerdos, & Leuita condoluerunt intra se, verùm, quia pertransierunt, eo relicto, non subuenientes ei non sunt dicti misericordes, nec misericordiam fecisse cum eo, sed solus Samaritanus, qui ei succurrit, & curauit eius salutem. Item S. Ioan. cap. 6. Vbi Saluator noster cum vidisset maximam multitudinem &c. dixit. Misereor super turbam &c. Vnde ergo ememus panes &c.

SVMMARIOLA.

1 *Humilitas quid.*
2 *Est species modestiæ.*
3 *Non repugnat humilitati, quod nos cognoscamus dona à Deo nobis collata.*
4 *Pertinet ad hanc Virtutem, quod nos existimemus alios superiores nobis.*
5 *Iterum quid sit humilitas.*
6 *Moderatur passionem spei, & audaciæ.*
7 *Radix humilitatis est cognitio sui.*
8 *Vnusquisque se ipsum cognoscit recto rationis iudicio, & falso se ipsum ignorat.*
9 *Qui propriam Virtutem cognoscit, & vltra non præsumit, humilis est.*
10 *Humilitas pura moralis quomodo differat, & quomodo conueniat*

-niat cum humilitate Christian:
11 *Humilitas philosophica non ordinatur ad Deum.*
12 *Humilitas philosophica quid.*
13 *Humilitas Christiana est vera Virtus.*

DE HVMILITATE.

Caput LXXV.



EST Virtus cohibens passionem spei, & audaciæ, ita vt
1 homo nolit, in quolibet genere, illi tribui, plusquam cō-
2 ueniat, habito respectu propriæ dignitatis. S. Th. 2. 2. q.
3 161. Est species Modestiæ. Non repugnat humilitati, quòd nos cognoscamus dona à Deo nobis collata. Pertinet ad
4 hanc Virtutem, quod nos æstimemus alios, superiores nobis, non obstante cognitione donorum, in nobis, gratia Dei, existentium, quod tribus modis potest fieri. 1. Comparando id, quod ipse humilis naturaliter habet ex se, cum eo, quod alter habet, ex peculiari dono Dei, quoad id, quod est maius aliquid. 2. Comparando donū ipsum minus, quod ipse habet, ex Deo, cum dono aliquo maiore, quod ex Deo habet alter. 3. Comparando defectum aliquem suum, cum bono aliquo, quod habet alter. Itaque aliquo modo ex his, vel alijs, potest impleri illud Apost: ad Philip: 2. In humilitate, superiores sibi inuicem arbitrantes.

Vel dicatur, humilitatem esse Virtutem, qua quis motum spei,
5 & animi sui spiritū refrænat, nè tendat in magna, & excelsa, contra
6 rectam rationem. Nam humilitas moderatur motum inordinatū, quo incitamur, ad consequendum bonum arduum, & maius, quàm sint vires, & virtus nostra, dum motus insurgit ex vana, & irrationabili spe. Humilis est enim, qui cognita suæ Virtutis quantitate, altiora de se non præsumit. Vnde radix humilitatis est cognitio
7 sui. Vnusquisque autem se ipsum cognoscit, recto rationis iudicio,
8 & falso, se ipsum ignorat, & decipit. Qui igitur propriam Virtutem
9 cognoscit, & vltra illius terminos, non præsumit, humilis est. Exemplum in Abraham. Genes. c. 18. Loquar ad Dominum, cum sim puluis, & cinis.

10 *§. 1. Quomodo distinguatur humilitas Christiana à morali pura.*

Humi-

Humilitas à Philosophis posita, aliàs pura moralis, differt ab humilitate Christiana in vno, & in vno conuenit. In hoc conuenit, quod vtraq; ponitur moderatiua spei, & frænatiua desiderij, circa magna, & excelsa, ne scil: homo ambulet, in magnis, supra se, idest vltra Virtutem suam, sed in paruis, commensuratis Virtuti, & facultati suę. Vnde Arist: in 4. Ethic. quem nos dicimus humilem, appellat temperatū, illum scil: qui tendit, non in magna, sed in parua, sibi proportionata, & vt decet: & M. Tullius vocat eam, moderationem spiritus. Differt autem, quoniam humilitas Philosophorum non ordinatur ad
11 Deum, sed ad vitam Ciuilem, & ad pacificam conuersationem
12 humanam, & ideò apud Arist: qui de Virtutibus agit, in quantum ordinantur ad conuictum laudabile, ac Politicum, humilitas dicit subiectionem vnius hominis, alteri, secundum ordinem, lege de-
13 terminatum. Humilitas verò Christiana ordinatur ad Deum, & ad proximum, propter Deum, prout à Philosopho Christiano, & ortodoxo, ordinantur omnes alię Virtutes morales. Vnde S. Petrus in Epistola 1. c. 5. inquit: Humiliamini sub potenti manu Dei, vt vos, &c. & in c. 2. quoad proximum subiecti estote omni humanæ Creaturæ, propter Deum. Hæc humilitas est vera Virtus, quoniam refrænat spiritum humanum, in ordine ad Deum, cuius merces est beatitudo. Vnde S. Matth: c. 5. Beati pauperes spiritu, idest humiles, quoniam ipsorum est Regnū Cælorū, & Iudith: c. 9. Humilium, & mansuetorum, &c. Dauid in Psal. Tu Populum humilem, saluū facies, &c. Respexit in orationem humiliū, &c. Excelsus Dominus, & humilia respicit, &c. Matth. c. 18. Discite à me quia mitis sum, &c. & c. 19. Nisi efficiamini, sicut paruuli, qui scil: nesciunt superbire, non intrabitis in Regnum Cęlorum, &c.

S V M M A R I O L A.

1 *Modestia quid.*
2 *Tres partes illi assignari.*
3 *Bona ordinatio quid importet.*
4 *Ornatus quid.*
5 *Austeritas quid.*
6 *Modestiam dici à moderando.*
7 *Respicere actus exteriores.*
8 *Prouenire ab animi moderatione, sicut flos à radice.*

DE

DE MODESTIA.

Caput LXXVI.



1 S T Virtus constituens moderationem, in actionibus
2 humanis, & præsertim in externis motibus Corporis.
3 Tres partes illi assignat S. Th. 2. 2. q. 60. art: vnico. 1.
Bonam ordinationem. 2. ornatum. 3. Austeritatem. Bona
ordinatio importat quemdam modum conuenientem, in externis
actionibus Corporis, videlicet, quod hoc fiat, vel non fiat, vel fiat
4 hoc ordine, vel modo expedienti, vel quando expedit. Ornatus
5 facit, quod illud, quod fit, fiat decenter. Austeritas importat, quod
colloquia cum Amicis, & alijs, habeant quandam maturitatem,
6 conuenientem Personæ, & rebus ipsis. Dicitur modestia, à moderā-
do. Omnis autem exterior moderatio ab intrinseca procedit, aliter
7 non esset habitus moralis. Omnis namque moralis habitus est in
aliqua animæ potentia. Modestia igitur exterior pullulat ab animi
8 moderatione, sicut flos à radice. Cuius enim animus moderatus
est, exteriora sunt composita. Vnde Eccles: c. 19. Amictus Corporis, & risus dentium, & incessus hominis, enuntiant de illo. Et S. August: dicit de Modestia: In incessu, habitu, statu, & in omnibus motibus vestris, nihil fiat, quod cuiusquam offendat aspectum, sed vestram deceat sanctitatem.

SVMMARIOLA.

1 *Mansuetudo quid.*
2 *Constitui in potentia irascibi.*
3 *Mansuetudinem, & clementiam conuenire, & differre.*
4 *Mansuetudinem moderari passionem iræ.*
5 *Clemētiam moderari actionē &c.*
6 *Extrema quæ.*
7 *Irascibilitas quid.*
8 *Vitium per excessum quando occurrat.*
9 *Iram esse triplicem.*
1 Iracundiam. 2 Amaritudinem. 3 Grauitatem.
10 *Acrocholici qui.*
11 *Amari qui.*
12 *Graues, in ira, qui.*
13 *Malincholici sunt amari.*
14 *Mansuetudinem, & clementiam non esse digniores Virtutes.*
15 *Materia circa quam versatur mā suetudo.*

16 Vi-

16 *Videtur significare defectum iræ*
17 *Mansuetus quis.*
18 *Mansuetudinem esse Virtutem.*
19 *Principium moderatiuum motus est Virtus.*
20 *De ratione virtutis moralis est, esse moderatiuum, & regulatiuum.*
21 *Mansuetus iterum quis.*
22 *Mitis quis.*
23 *Mititas quæ.*
24 *Mitem esse plus quam mansuetum.*

DE MANSVETVDINE

Caput LXXVII.



MANSVETVDO est Virtus, qua homo moderatur ira,
1 secundum rectam rationem, ne prouocatus tendat
2 in vindictam. Constituitur in potentia irascibili.
Mansuetudo, & Clementia conueniunt, in eumdē
3 effectum, quia vtraque refrenat impetum iræ, sed nō
est eadē Virtus. Nam mansuetudo moderatur passionem iræ. Cle-
mentia actionem. Præterea Clementia est lenitas superioris erga in-
4 feriorem. Mansuetudo est erga quemlibet. S. Thom. 2. 2. q. 157.
5 art. 1.

6 §. 1. *De extremis vitiosis huius Virtutis.*

Extrema vitiosa sunt. 1. Iracūdia nimia, per excessum 2. Inirascibilitas, per
defectum. Accidit, per defectū quando non irascimur, & tamen de-
7 beremus irasci. Quod hoc extremum sit vituperabile, probatur ex
Arist: 4. Eth: Insipientis est nō irasci in ijs, in quibus oportet, & quan-
do, & quantū, & cum quibus personis, ergo vituperabile est. Conse-
quentia patet. Antecedens probatur. Nam ira causatur ex tristitia,
quæ prouenit ex malo illato, & est sensus nocumenti. Si quis igi-
tur non irascitur in his, in quibus oportet, & quando, & quomodo
oportet, sequitur, quod de his non doleat, neque tristetur, & ita non
cognoscat esse mala, & nociua, quod ad insipientiam spectat. Vi-
8 tium per excessum, occurrit, quando quis excessiuè irascitur perso-
nis, quibus non oportet, & ira diuturnior est, quàm oportet, &
quando non oportet, & magis, quàm oportet, & velocius, quàm
oportet.

§. 2. *Iram,*

9 *§.2. Iram, per exceſſum, eſſe multiplicem.*

Ira per exceſſum, ſecundum Ariſt:4.Ethic.tres habet ſpecies. 1.dicitur iracundia. 2. Amaritudo. 3. Grauitas. Iracundia eſt in illis, qui velociter iraſcuntur, & illis perſonis, quibus non oportet, & in rebus, in quibus non oportet. Iſta citò quieſcit, ſicut citò inſurgit. In corde non perſeuerat, ſed ad extra prorumpit. Apud Ariſt. vbi ſupra, ap-
10 pellantur iſti, acrocholici, ideſt extremi in ira, et ſic ſummę bilis. 2. Amaritudo eſt in illis, qui diù iraſcuntur, & de difficili irā deponunt,
11 & non quieſcunt, niſi in vindicta. Sunt ſibi ipſis, & amicis moleſtiſſimi, ideò appellantur amari. Ad hanc diſpoſiti ſunt melancholici. 3. Grauitas eſt in illis, qui iraſcuntur, cum quibus, & in quibus, & quā-
12 do non oportet, & longiori tempore, quàm oportet. Iſta non quie-
13 ſcit, niſi cum vindicta.

14 *§.3. Manſuetudinem, & clementiam non eſſe excellentiores.*

Manſuetudo, & Clementia, ſimpliciter loquendo, non ſunt excellentiores Virtutibus, quibus conſequimur aliquod bonum excellens, quales ſunt, fortitudo, Iuſtitia, & Prudentia, & ſuper eas, Virtutes Theologicæ. Nam per manſuetudinem, & clementiam retrahimur à malo, ſcilicèt ab exceſſu iræ, & pænæ, ſed longè perfectius eſt conſequi bonum, quàm carere malo, ergo ſimpliciter loquendo, non ſunt digniores alijs Virtutibus.

15 *§. 4. Quę ſit materia, circa quam regulandam ponitur manſuetudo, & quæ ſint vitia ei oppoſita.*

Manſuetudo, ſecundum Ariſt: in 4. Ethic: eſt quædam medietas, circa iras, vt circa propriam materiam, licèt non propriè nominetur nomine manſuetudinis, nec extrema ſint propriè nominata. Nam manſuetudo, ex vi termini, potius ſignificat defectum iræ, quàm
16 medietatem, in ira. Dicitur enim propriè manſuetus, ex eo, quod
17 non iraſcitur; quaſi manu aſſuetus, ad ſimilitudinem bruti, quod aſſuetum manibus hominū, iram deponit, & videtur neſcire iraſci. Extremum autem, ſecundum defectum, eſt innominatum, licèt

ſoleat dici iniraſcibilitas, quæ ſonat priuationem iræ. Extremum per ſuperabundantiam dicitur iracundia. Patet igitur, quod circa iras datur medietas, quæ eſt Virtus.


18 ### §. 5. *Probatur Manſuetudinem eſſe Virtutem.*

Manſuetudo eſt Virtus, quoniam principiũ moderatiuũ motus inordina-
19 ti alicuius paſſionis, appetitus, eſt Virtus: eſt enim de ratione Virtu-
20 tis moralis, eſſe moderatiuum, & regulatiuum paſſionis, vel actionis
humanæ, iuxta Ariſt: in 2. Ethic: Sed manſuetudo eſt principium
moderatiuum iræ; nam vt inquit S. Chriſoſtom: ſuper S. Matth:
Manſuetus eſt ille, qui prouocatus, nec cogitat facere, nec facit
21 vindictam, ergo manſuetudo eſt Virtus moderatiua iræ.

Secundò, eſt Virtus, quia per eam ſedatur, atque deprimitur ira,
& id ponitur ad differentiam lenitatis, quam poſſumus appellare
22 mititatem, à qua dicitur mitis. Eſt autem mitis, qui ex naturæ ſuæ
23 lenitate, ſiue humanitate, etiam prouocatus, non iraſcitur, cum
meritò poſſet iraſci. Manſuetus autem eſt, qui prouocatus iraſcitur,
ſed per rationis imperium, moderatur iram ita, quod non proſilit
24 in vindictam lędentis. Vnde eſſe mitem plus eſt, quàm eſſe manſue-
tum. Proptereà Saluator noſter ad oſtendendã omnimodam lenita-
tem, & humilitatem, non dixit S. Matth: Cap. 11. Diſcite à me quia
manſuetus ſum; ſed dixit, quia mitis ſum, & humilis corde, &
inuenietis requiem animabus veſtris.

S V M M A R I O L A.

1 *Clementia quid.*
2 *Differre à manſuetudine.*
3 *Eſſe partem potentialẽ temperantiæ, &c.*
4 *Clementiam conuenire Principi.*



DE CLEMENTIA.

Caput LXXVIII.

EST lenitas superioris, erga inferiorem. Importat modũ
1 conuenientem rectæ rationi, in ipsa punitione externa.
Clementia respicit pœnam. Mansuetudo appetitum
2 vindictæ. Distinguntur etiam clementia, & mansuetu-
3 do, modo supra adnotato. Vtraque est virtus subiectiua Temperã-
tiæ S. Tho: 2. 2. q. 157.

Dicamus iterum, Mansuetudinem, & Clementiam, differre, nomine, & re. Nam mansuetudo directè, & per se reprimit iræ motum, ne iratus prosiliat in vindictam, & in nocumentum prouocantis, contra rationem rectam. Clementia modificat pœnam, quæ iustè infligitur, & posset maior infligi secundũ legem. Clemens enim est Iudex, qui ex leni animi affectu, & compassione, citra condignum, punit. Item. Mansuetudo cuilibet conuenit, congruum est enim, omnem hominem furiosam iram reprimere, ne more ferarum, proximum lædat. Sed clementia propriè est superioris in
4 inferiorem, & sic habentis authoritatem, nam cum sit moderatiua iustæ pœnæ, illius tantùm est moderari pœnam, cuius est punire. Vnde Seneca in lib. de Clementia: Nullum magis decet clementiã, quàm Principem, & Prou: c. 16. In hilaritate vultus Regis, Vita, & Clementia eius imber serotinus. Et cap. 20. Misericordia, & veritas Domini custodiunt Regem: & roboratur Clementia thronus eius.

Dictum est supra, quod vtraque est pars potentialis temperantię. Additur hic. Non quoad obiectum. Non enim versantur circa concupiscentias moderandas, sicut temperantia: sed altera circa iras, altera circa pœnas mitigandas, ex affectu animi, & non tanquã ex lege, sed quoad modum; conueniunt enim in hoc, quod est frænare, & moderari: temperantia, concupiscentias: mansuetudo iras: Clementia pœnas, moderantur.

S V M M A R I O L A.

1 *Pudicitia.*
2 *Castitas* } *sunt idem, & quid.*
3 *Pudicitia à pudore.*
4 *Esse quandam circumstantiam castitatis.*
5 *Pudicitia iterum quid.*
6 *Signa sex impellentia ad impudicitiam.*
7 *Pudicitiã respicere integrã puritatem animi.*
8 *Virginitatem, corporis.*
9 *Virginitatem non amitti, per coactam violationem corporis.*
10 *Sex incorruptã seruare castitatẽ, totidem eam destruere, &c.*

DE PVDICITIA, SEV CASTITATE.

Caput LXXIX.

1 CASTITAS Est quædam species Temperantiæ, statuens moderationem circa delectabilia sensus
2 venerei, vel contemnendo illa, vel reijciendo, vel non vtendo, nisi modo licito, qui est coniugium matrimoniale: Deriuat à verbo (Castigo) quia castigatur concupiscentia, mediante ista virtute. Appellatur etiam
3 pudicitia, quia circa vsum sensus venerei, solet esse pudor S. Thō:
4 2. 2. q. 51. ar: 4.

Pudicitia est animi virtus, frænatiua signorum, disponentium, &
5 impellentium ad Veneris commixtionem: signa sunt. 1. libidinosus
6 aspectus. 2. Nutus. 3. Tactus. 4. Amplexus. 5. Oscula. 6. & aliæ illecebræ. Pudicitia respicit integram puritatem animi, Virginitas
7 verò corporis. Vnde illæsa etiam permanet Virginitas, violato
8 corpore, per vim. Hæc incorruptam seruant castitatem. 1. sobrietas.
9 2. Operatio. 3. asperitas cultus. 4. Inhibitio sensuũ. 5. raritas sermo-
10 nis cum inhonestate. 6. Euitatio oportunitatis, personæ, loci, & temporis. Et sex opposita eam destruunt.

S V M M A R I O L A.

1 *Continentiam esse partẽ potentialem temperantiæ.*
2 *Sumi tribus modis apud theologos.*
3 *Dici à verbo. Continere.*

4 *Moderans*

DE CONTINENTIA.

Caput LXXX.



1 EST pars potentialis temperantiæ. Sumitur tribus
2 modis, apud Theologos. 1. Pro refrǫnatione cuiuſcũ-
3 que inordinati affectus; dicitur enim continentia à continere. Continere autem, in moralibus, eſt quaſi inuitum, & repugnantem tenere, ne ſuo agat libito, & ideò qui tenet appetitum, ne ſectetur amorem inhoneſtum, nec
4 iram, nec auaritiam, nec fraudem, nec immeritos honores, &c. dicitur vir continens. Vnde Eccleſiaſt: c. 26. Omnis ponderatio non eſt digna animæ continentis, ideſt ſe abſtinentis ab illicitis: quaſi
5 dicat, eſt excellentior quocumque pondere auri, & argenti. In hoc ſenſu non eſt particularis virtus, ſed applicatur ad omnes virtutes. 2. ſumitur pro abſtinentia a quacumque voluptate Venerea, ſiue abſolutè, ideſt, pro tota Vita, ſicut eſt Virginitas, ſiuè ad tempus, vt caſtitas puellaris ante Matrimonium, & Vidualis, in ſtatu Viduali: in quo ſenſu videtur ſumi à S. Paul: ad Galat: c. 5. Vbi, inter dona ſpiritus Sancti, enumerat continentiam. Sic definitur. Continentia
6 eſt habitus inuictus ab omni delectatione Venerea, & vt ſic non eſt pars potentialis temperantiæ, ſed ſubiectiua. 3. Sumitur pro ani-
7 mi perſiſtentia, in non aſſentiendo vehementibus paſſionibus vo-
8 luptuoſis gulæ, & Veneris, inſurgentibus, contra rationem, quales, in iuuentute, communiter inſurgunt: & vt ſic definitur: quod eſt
9 laudabilis paſſio, quia ratio firmatur contra malas, & turpes paſſiones, vehementer, & impetuosè inſurgentes. Vnde continens, in hoc

hoc ſenſu, eſt ille, qui colluctatur contra furioſas concupiſcentias, nec ſuperatur. De hac S. Paul: ad Epheſ. c.6. dicit. Fratres confortamini in Domino, & in potentia Virtutis eius, induite vos armaturam Dei, vt poſſitis ſtare aduerſus inſidias Diaboli: & infra. In omnibus ſumentes ſcutum fidei, in quo poſſitis omnia tela nequiſſimi extinguere, ideſt acutiſſimas concupiſcentias carnis. In hoc ſenſu eſt pars temperantiæ potentialis; quoniam verſatur circa voluptates, circa quas, & temperantia, licèt alio modo, &c. Nam temperãtia habet reducere voluptates ad medium, ſecundum rationem rectã: Continentia autem habet pugnare contra eas, ne ratio ſuccumbat.

Et licèt, ſecundum Ariſt. in 7. Ethic: iuxta Iauellum ibi, continẽtia non ſit virtus, ſed optima diſpoſitio ad Virtutem temperantiæ, habet tamen aliquid admixtum Virtuti: quoniã conſiſtit in medio duorum extremorum, ſicut, quid laudabile, inter duo vituperabilia.
10 Hoc ſic manifeſtat Ariſt: Vbicumque inueniuntur extrema vituperabilia, eſt inuenire medium laudabile: Sed circa concupiſcentias corporales guſtus, & tactus, eſt inuenire duo extrema vituperabilia: aliqui enim ita diſpoſiti ſunt, vt plus delectentur in his, quàm oportet, & quàm decens ſit, & iſti vituperabiles ſunt propter exceſſum, & dicuntur incontinentes: aliqui autem minus delectantur, quàm oportet, & iſti vituperabiles ſunt propter defectum: ſed quoniam rariſſimi tales inueniuntur, ideò hoc extremum remanſit innominatum: ergo etiam eſt inuenire medium laudabile: & ſunt illi, qui delectantur in guſtu, vt decet, & in Venereis, ſecundum legem, & non vltra: & iſti dicuntur continentes, & ſic patet, continẽtiam eſſe medium laudabile, & ſua extrema vituperabilia.

11 §. 1. *In quo conueniant, & differant, incontinentia, & intemperantia, & continens temperatus, ab incontinenti, in temperato ex Ariſt. 7. Eth.*

Conueniunt, quoniam ambæ ſunt circa delectationes guſtus, & tactus. Differunt: quoniam intemperatus agit ex praua electione, quæ eſt electio rationis non rectę, ſed deprauatæ; Incontinens agit victus, & quodam modo ligatus à cõcupiſcentia, Item temperatus differt, à continenti, quia continens patitur concupiſcentias vehementes, & acutas, quas tamen, forti rationis imperio, vincit, Temperatus au-

tem,

tem, licet patiatur concupiſcentias, non tamen vehementes, quoniam, ex habitu temperantiæ, ſunt moderatæ, & quodam modo frenatæ.

Differunt etiam intemperatus, & incontinens, ex parte vituperij: Nam magis vituperabilis eſt intemperatus, & magis peccat, quàm incontinens. Intemperatus enim ſequitur ſuperfluas delectationes, & fugit moderatas triſtitias, non ex vehementi paſſione, ſed ex deprauata electione, vt dictum eſt. Incontinens verò ſequitur ſuperfluas delectationes, non ex deprauata electione, ſed vehementi cõcupiſcentia, ligante iudicium rationis, in particulari, vt ſupra diximus; eſt autem maius peccatum, quod eſt ex electione, quàm quod eſt, ex paſſione, quia habet magis de voluntario, Ergo intẽperatus magis peccat, quàm incontinens.

12 *§. 2. Continentes, & incontinentes qui dicantur ſimpliciter, & qui ex additione, ex Ariſt: 7: Ethic:*

Prenoſcenda, duplex diſtinctio delectabilium. Prima eſt hæc. Delectabilia humana. 1. quædam neceſſaria. 2. quædam eligibilia. Neceſſaria ſunt, ſine quibus, homo non poteſt ſaluari, in indiuiduo, vt comedere, bibere &c. Vel in ſpecie, vt actus generandi: Eligibilia ſunt, ſine quibus, homo poteſt ſaluari, tamẽ cõmuniter querũtur ab homine, vt congregare diuitias, lucrari, laudari, preeſſe, vincere &c. Secunda diſtinctio hec eſt. Delectabiliũ. 1. quædam appetuntur, ſecundum naturam. 2. quædam contra naturam. 3. quædam ſunt intermedia: Secundum naturam appetuntur diuitiæ, lucrum, honor, &c. contra naturam, carnes crude, comeſtio carbonum, & terræ. Iſta enim naturaliter fugiuntur ab homine, vtente ratione. Medio modo appetuntur tales cibi, puta dulces, aut amari, tales veſtes, talia, exercitia, tales ludi.

Ad dignoſcendũ penes quæ delectabilia, attenditur continentia, & incontinentia, ſimpliciter, & penes quæ, cum determinatione, ponuntur tres concluſiones.

Prima eſt. Penes delectabilia, eligibilia, ideſt quæ non ſunt homini neceſſaria, non dicitur homo incontinens, aut continẽs, niſi cum determinatione: puta qui moderatè ſtudet, in acquirendis diuitijs, aut honoribus, non dicitur ſimpliciter continens, ſed continens

diuitiarum,

diuitiarum, & honorum, & qui immoderatè, in his studet, non dicitur incontinens simpliciter, sed incontinens diuitiarum, & honorum; Talis enim non dicitur incontinens, nisi per similitudinem: nam sicut excessiuè studens, in voluptatibus cibi, & veneris, dicitur absolutè incontinens, sic à simili, qui excessiuè quęrit lucrari, honorari, &c. dicitur incontinens lucri, & honoris &c. Iauell: ibi probat demonstratiuè hanc conclusionem, &c.

Secunda conclusio est. Penes delectabilia necessaria, quæ sunt nutritiua, & venerea, attenditur continentia, & incontinentia, simpliciter: Nam apud omnes dicuntur continentes, qui moderatè, & prout decet, prædicta quærunt. Incontinentes autem, qui non ex electione recta, sed vehementi passione, & excessiuè, & indecenter, ea prosequuntur. Vnde, & gulosi, & luxuriosi vituperabiliter nuncupantur, & signum habemus, quod penes prædicta dicuntur, incontinentes simpliciter, ex eo, quod penes eadem attenditur incontinentia, & mollities; Mollities autem est solum circa ea, quæ sunt gustus, & tactus; Molles enim dicimus eos, qui non possunt pati famem, sitim, aut indigentiam; Non autem dicimus molles eos, qui non possunt pati damnum temporalium, aut inhonorationum, sed hos dicimus infirmos, aut impatientes.

Tertia conclusio est; licet circa bona delectabilia, eligibilia, non sit continentia, aut incontinentia, simpliciter, est tamen circa ea laus, & vituperium; Nam qui circa diuitias, & honores, & circa filiorum curam, & amorem, moderatè se habet, laudatur; qui verò immoderatè, vituperatur: Nam hæc bona sunt, & laudantur, qui circa hæc ordinatè student: Sed quia contingit in his inueniri, excessus; Ideò vt sic, vituperium interuenit. Exemplificat Arist: de Niobe, quæ ob mortem filiorum adeo tristata fuit, quod Deos blasphemabat, & de homine Satiro, qui adeo delectabatur amore Patris, quod cognominatus fuit Philopater.

13 *§. 3. Vtrum, quis sit sciens simul, & incontinens. Quod videtur coincidere cum illa quæstione. An omnis malus sit ignorans. Ex Arist: in 7. Ethic:*

Pro intelligentia Arist: ponit tres distinctiones. Prima est: Sciens est duplex. 1. Sciens in habitu. 2. In actu; Sciens in habitu est ille, qui

habet scientiam, sed circa illam non considerat: Sciens in actu est; qui habet scientiam, & considerationem circa illam: Vt Geometra actu probans, triangulum habere tres æquales duobus rectis.

Secunda, sicut sunt duo modi propositionum, quibus vtitur ratio practica syllogizans. Scil: propositio maior vniuersalis: & propositio minor singularis; vt omne malũ est vitandum, hoc est malum. scil: Furari, ergo, &c. sic sunt duo modi sciendi. scil: in vniuersali, per propositionem vniuersalem: & in singulari, per propositionem singularem: & necesse est eum qui intendit virtuosè operari, habere vtrunque modum sciendi.

Tertia est: Aliquis potest habere scientiam in habitu, dupliciter. 1. Solutam, & est, quando est in tali dispositione, quod potest ea liberè vti, vt Philosophus vigilans. 2. Ligatam: Et est quando est in tali dispositione; quod prohibetur ea vti, vt Philosophus dormiens. Tunc enim licet sit sciens, quia habet habitum scientiæ, est tamen, ac si non esset sciens; dormiens namque non differt ab ignorante.

Iuxta has tres distinctiones, Arist: tripliciter soluit quæsitum. Iuxta primam, quod non inconuenit, idem simul esse incontinens, & sciens, in habitu: Non autem sciens in actu; Potest enim quis sciens in habitu, quod fornicari est malum; fornicari: quia non considerat actu, super hoc malum. Non autẽ videtur posse fornicari, & considerare actu, quod fornicari est malum. Nemo enim respiciens actu, ad malum, operatur malum: Nam, secundum Arist: videtur durum, quod quis actu sciat, & consideret hoc esse malum, & tamen illud operetur; Non autem videtur durum, si sciat habitu, & non consideret: Vt verbi gratia; Si Grammaticus optimus interrogatus, dum est distractus, respondeat, sillabam esse breuem, non considerans, esse longam.

Iuxta 2. respondet; Sciens propositionẽ vniuersalem, & singularem in habitu tantum, vel sciens solum propositionem vniuersalẽ, in actu, non autem singularem: quia non applicat actu, singularem vniuersali, potest esse simul sciens, & incontinens: & agere contra talem scientiam, quoniam actio non est circa vniuersalia, sed circa singularia.

Iuxta 3. dicit: Incontinentes sunt similes scienti, dormienti, aut ebrio, in quo est sciẽtia ligata: Cõstat autẽ quod, sciens, ebrius, agit,

non ſecundum ſcientiam, ſed agitatus calore vini, ſic & incontinens, ſciens agit, non ſecundum ſcientiam, ſed ſecundum motum paſſionis.

SVMMARIOLA.

1 *Virginitas quid.*
2 *Conſeruatur etiam vi ablata.*
3 *Eſſe Virtutem probatur.*
4 *Caſtitas coniugalis quid.*
5 *Caſtitas Vidualis quid.*
6 *Virginitatem eſſe ſupra omnes caſtitates.*
7 *Per hanc homines Angelis aſſimilari.*
8 *Virginum victoriam eſſe maiorem quàm Angelorum.*
9 *Virginitatis virtutem medium tenere.*
10 *Extrema vitioſa quæ.*
11 *Virginitas cur bona.*

DE VIRGINITATE.

Caput LXXXI.



1 EST Virtus perficiens temperantiam, immò perfecta temperantia, qua animi firmiſſimo propoſito abſtinemus nos ab actu Venereo, conſeruando illibatam puritatem, & integritatem corporis.
2 Conſeruatur iſta integritas, dum non eſt voluntaria violatio. Vnde ſi auferatur vi, vel caſu, adhuc integra remanet puritas corporis. Nam iſta non amittitur, niſi voluntariè. S.Th.2.2.q.152.

Quod ſit Virtus, & excellẽs, probatur ſic, quod importat ſpeciale
3 bonũ, eſt habẽs ſpecialẽ laudẽ, & excellentiã; nã ideò ſupra in tit. de Magnificentia, dictũ eſt, Magnificentiã eſſe ſpecialẽ, & diſtinctam Virtutem à liberalitate, quoniam verſatur circa magnas expenſas, quas dignas, & excellentes dicimus, liberalitas autem circa mediocres, & communes expenſas. Sed Virginitas, in gradibus Caſtitatis importat ſpecialem excellentiam, & laudem, ſcilicet omnimodam abſtinentiam à Venerea voluptate, toto Vitæ curſu: & id quidem excellentius eſt, quàm ab inordinatis tantum Venereis voluptati-
4 bus abſtinere, ſicut facit coniugalis caſtitas, & quàm ab omni voluptate huiuſmodi abſtinere, pro aliquo tempore, ſicut caſtitas vi-

5 dualis, & ideò Virginitas meritò addit ſpecialem, & excellentem Virtutem, ſupra communem caſtitatem, ſicut Magnificẽtia, ſupra
6 communes expenſas. Patet igitur Virginitatem eſſe Virtutem, & laudatiſſimam, de qua S. Ambroſ. in lib. de Viduis. Supergredi-
7 tur Virginitas conditionẽ humanę naturę, per quam homines Angelis aſſimilantur, maior tamen eſt Victoria Virginum, quàm Angelorum. Angeli enim ſine carne viuunt; Virgines verò in carne
8 triumphant. Ex Iauello Tom: 2. Tract. de Chriſt. Temper: Tract. 7. f. m. 472. & 473. Vbi alia plurima dę Virg. dicit, & optimè confutat opinionem malè ſentientium, contra Virginitatem.

Eſſe Virtutem, probatur etiam ex hoc, quod tenet medium: Licèt enim ſecundùm quantitatem rei, videatur tenere extremum: quia eſt abſtinentia ab omni voluptate Venerea, tamen cum ſupra probatum fuerit, medium in Virtute non accipi, ſecundum quantitatem rei, ſed ſecundum rationem rectam, & ſecundum rationem
9 Virginitas teneat medium, inter inſenſibilitatem, & luxuriam, ap-
10 paret, quod verè tenet medium. Nam inſenſibilis, abſque ratione recta, refugit omnem voluptatem. Luxurioſus ſectatur omnem vo-
11 luptatem. Virgo vero ab omni abſtinet, ſecundum rectam rationẽ: Ratio enim recta ſuadet illi abſtinendum, vt vacare poſſit Diuinis, contemplatione, & affectu. Nam iuxta S. Paul. Corint. 1. cap. 7. Mulier, innupta, & Virgo cogitat, quę Domini ſunt, vt ſit Sancta corpore, & Spiritu, quæ autem nupta eſt, cogitat, quæ Mundi ſunt, & quomodo placeat Viro.

S V M M A R I O L A.

1 *Abſtinentia quid.*
2 *Vti abſoluta ſubtractio ciborum, eſt actus indifferens.*
3 *Valet etiam contra luxuriam.*
4 *Eſſe duplicem Virtutem &c.*
5 *Quomodo ſit Virtus ſpecialis.*
6 *Eſſe partem ſubiectiuam temperantiæ.*

DE ABSTINENTIA.

Caput LXXXII.


ST quædam temperantia, ſtatuens moderationem circa
1 delectabilia, in vſu ciborũ. Quatenus eſt abſolutè ſubtra-
2 ctio ciborum, eſt actus indifferens; ſed quatenus abſtinẽ-
tia eſt regulata à ratione, eſt habitus, vel actus virtutis, &
3 in hoc ſenſu eſt ſpecialis virtus, contra delectationes ciborum, &
valet etiam cõtra luxuriam, cohibendo carnem S. Thom. 2. 2. quęſt.
146.

Sed ex Iauello Tom: 2: f. m. 468. hæc habentur. Abſtinentiam eſſe
4 duplicem. 1. generalem. 2. particularem: Vti virtus generalis, cum
dicatur Abſtinentia, à verbo (Abſtinere) applicabitur ad multas
alias virtutes. Vti abſtinere à blaſphemia à fornicatione &c. & ab
alijs illicitis: ergo vti virtus particularis, eſt moderata ciborum ſu-
5 ſceptio, recta ratione, regulata, cùm debitis circumſtantijs, ſcilicet;
vt oportet, vt congruit perſonis, cum quibus viuitur, vt decens eſt
perſonę, & proprio ſtatui, & præſertim propter Deum, ac proximi
ędificationem, aliàs non eſſet Virtus. Nam qui abſtineret, vel pro-
pter valetudinem corporalem: vel propter indigentiam; vel ob aua-
ritiam; vel ob delectationem in comeſtione ſequenti: Vel ob Hy-
pocriſim, cum ſimilibus, non ageret actum virtutis veræ.

Eſt pars ſubiectiua temperantiæ, & laudatiſſima, & meritoria vir
6 tus: facit enim abſtinentem bonum, & opus ſuum reddit bonum.
Opus autẽ ſuũ eſt, carnis cõcupiſcentias cõprimere, mentẽ ad Diui
na extollere, & adiũcto moderato ieiunio, peccatorũ indulgentiã
promereri. Vnde S. P. 2. ad Corint: c. 6. In ieiunijs multis, in ſcientia,
in caſtitate: quaſi dicat: Ex abſtinentia, & ieiunio conſeruatur ca-
ſtitas.

SVMMARIOLA.

1 *Sobrietas quid.*
2 *Duplicem eſſe.*
3 *Iterum quid ſit.*
4 *Ebrietas quid.*
5 *Sobrietas quibus conueniat.*

DE SO-

DE SOBRIETATE.

Caput LXXXIII.



S T quædam temperantia, statuens moderationem
1 circa delectabilia, in vsu potus. Materia sobrietatis est potatio, sed non omnis, sed illa quæ conturbat caput, fumositate, eam moderatur sobrietas, ne impediat vsum rationis, quamuis generaliter adaptetur cuilibet materiæ, quæ requirat mensuram adequatam: Et est virtus specialis S. Thom. 2. 2. q. 149.

Sobrietas dupliciter accipitur. 1. Generaliter, & communiter, 2.
2 propriè, & particulariter. Communiter sumpta, est mensura in omnibus seruanda, in quibus contingere potest excessus, & defectus.
3 Sic S. Paul. ad Rom: 12. Non plus sapere &c. Sed sapere ad sobrietatem, idest secundum debitam mensuram. Propriè accipitur quatenus dat mensuram potus inebriatiui. Nam ebrietas est eius con-
4 trariũ. Ebrietas enim dicit excessũ potus inebriatiui. Sobrietas dicit mẽsurã eiusdẽ potus. Iauellus Tom. 2. f. m. 469. sic eam definit. Sobrietas est debita, ac mensurata sumptio vini, & cuiuscumque potus inebriatiui, potentis cerebrum perturbare, & rationis vsum impedire, considerata loci, ętatis, & personæ conditione, & ipsius vini
5 potentia.

Sobrietas, & abstinentia omnem hominem cuiuscumque conditionis, & ętatis, decent; nam, vt inquit S. August: scribens ad Virg: sobrietas est mentis, & sensus, & membrorum omnium, corporisq; tutela, castitatis, pudicitięque munimentum, pudori proxima, amicitię, & pacis serua, honestati semper coniuncta, criminum, vitiorũque omniũ profuga: sed sub vna ratione est magis oportuna iuuenibus, & mulieribus, & sub alia, senibus, Pręlatis, Principibus, & Regibus: rationes ponuntur à Iauello.

S V M M A R I O L A.

1 *Parcitas quid.*
2 *Exceßus tribus modis datur hic.*
3 *Defectus duplex in hac Virtute.*
4 *Hipocresis quid.*
5 *Hanc Virtutem esse partem potentialem temperantiæ.*
6 *Quæ extrema fugienda.*

DE

DE PARCITATE.

Caput LXXXIV.

1 PARCITAS eſt virtus, qua contentatur homo, in
cultu, & apparatu, opportunis, & decentibus ad benè,
2 & honeſtè viuere. Nam in apparatu, & cultu corporis,
ac domus, & familiæ contingit eſſe exceſſus, & defe-
ctus, & mediocritas. Exceſſus tribus modis. 1. quantū
ad ſtatum, & conſuetudines hominum, & Patriæ, in qua, & cum
quibus viuit, vt ſi Romæ Ciues vtuntur tali, & tali habitu; talis co-
loris, & pretij, &c. & aliquis Ciuis Romanus Romæ alijs non
conformaretur. Hoc vitioſum eſſet. 2. quantum ad affectum glorię.
Sunt enim quàmplures, qui ſuperfluo apparatu, & nitore veſtiti,
vanam ſibi gloriam affectant, vt huius Mundi Diuites, & Curiales.
Vnde parabola in Euang: de Diuite Epulone. 3. Propter corporis
mollitiem, & delicias. Vnde S. Matth: Cap. 11. Ecce qui mollibus
3 veſtiuntur, in domibus Regum ſunt. Defectus verò duobus modis
contingit. 1. ex inertia, & torpore; vti qui adeò negligunt ſe ipſos,
& ſuos, vt non curent, vtrum veſtitus, & ornatus corporis ſit
mundus, aut ſordidus, integer, aut laceratus: iſti appellantur miſeri,
ſordidi, & molles. 2. ex hipocriſi: ſunt enim aliqui ſicut per abſti-
4 nentiam, ſic per vilitatem veſtitus, citra ſui ſtatus decentiam, af-
fectant laudari, & pro Sanctis haberi. Vnde S. Auguſt: Non in ſolo
rerum corporearum nitore, atque pompa, ſed etiā in ipſis ſordibus,
& luctuoſis poteſt eſſe iactantia, & eo perículoſior, quo ſub nomine
Diuini cultus decipit. Inter exceſſum autem, & defectum mediat
mediocritas, quam parcitatem dicimus, ſiuè ſufficientiam, qua
contentatur homo decentibus, & opportunis, ſtatui ſuo. Vnde S.
Paul. 1. ad Thimot: c. 6. eſt autem quęſtus magnus, &c. pietas cum
ſufficientia. Nihil enim, &c.

5 §. 1. *Cuius Virtutis ſit pars, iſta Virtus.*

Iſta Virtus eſt pars potentialis Temperantiæ, non propter materiam circa
quam, &c. Sed propter conſimilem modum. Nam ſicut temperan-
tia eſt regulatiua turpium concupiſcentiarum, Manſuetudo iræ,

Modeſtia

Modestia sermonis, gestuum, & motus corporis, sic parcitas est regulatiua cultus, & apparatus exterioris inter excedentiam, & defectum.

6 §. 2. *Quæ extrema fugienda.*


Sed aduertendum est, quod vti viliori cultu in vestibus, & alijs, si fiat ex hipocrisi, vitium, & superstitio erit, quoniam declinatur à medio, & secundum rem, & secundum rationem rectam: Sed si fiat ex humilitate, & pænitentia, sicut solent facere veri serui Domini, & fecit Ioannes Baptista, non erit vitium, sed laudabile, quoniam, & si declinant ad extremum, per defectum, secundum rem, tamen non declinant à medio secundum rectam rationem.

S V M M A R I O L A.

1 *Simplicitas quid.*
2 *Datur excessus, & defectus in ea.*
3 *Sollicitudo mala quę.*
4 *Desides qui.*
5 *Pigri qui.*
6 *Esse partē potentialem temperantiæ.*
7 *Simplicitas quomodo aliter accipiatur.*

DE SIMPLICITATE

Caput LXXXV.



1 IMPLICITAS est habitus moderatiuus sollicitudinis, qua anxiatur homo, in procurandis sibi bonis exterioribus necessarijs ad victum, & vestitum. Nã, in hac sollicitudine, contingit esse excessus, defectus,
2 & medium. Excedit ille quidem, qui nil aliud curat, nisi de his: ita quod postponit bona animæ, & corporis, vt his solis intendat, vt faciunt auari. Præterea ille excedit, qui irrationabile studium ponit, in temporalibus acquirendis, ponens finem suum
3 in illis, & quęrens, vltra necessitatem, vel sufficientiam Vitæ. Hæc sollicitudo est mala, & de illa habetur S. Matth. c. 6. Nolite solliciti esse, dicentes, quid manducabimus, aut quid bibemus, aut quo operiemur. Deficit autem ille, qui quærere, & laborare negligit, sibi

sibi suadens, necessaria vitę prouidenda à Domino. Isti appellantur desides, & pigri, iuxta Prou: c. 21. Omnis piger semper in ægestate
4 erit. Medium verò tenet, qui secundũ quod decet, studet in quęren-
5 dis sibi ad sufficientiam Vitę bonis, labore, exercitio, & studio, siuè officio laudabili. Habitus, quo quis tenet hoc medium, dicitur
6 simplicitas, quæ est pars potentialis temperantiæ: quoniam sicut
7 illa moderatur concupiscentias vehementes, & turpes, sic ista moderatur inordinatam sollicitudinem, erga temporalia acquirenda.

8 *§. 1. Quomodo aliter accipiatur simplicitas.*

In sacra scriptura, & apud sacros Doctores, sumitur etiam simplicitas, vt est habitus, quo quis se præseruat, ne decipiat, & nec decipiatur, & opponitur dolositati, ac fraudolentiæ, & hæc est, quæ existit adiuncta prudentiæ, & quàm commendat saluator noster: Matth: c. 10. Estote prudentes, sicut serpentes, & simplices, sicut Columbę. Nam si simplicitas sit separata à prudentia, non est laudabilis, immò ruditas, & ineptia reputatur. Vnde S. Hier: in Oseam. Prudentia absque simplicitate, malitia est, & simplicitas absque ratione, stultitia nominatur.

S V M M A R I O L A.

1 *Patientia quid.*
2 *Reuocari ad fortitudinem.*
3 *Iterum quid sit,*
4 *Esse mediũ inter duo & quomodo.*
5 *Quomodo reuocetur ad fortitudinem, &c.*

D E P A T I E N T I A.

Caput LXXXVI.



1 PATIENTIA est illa Virtus, quæ roborat animũ contra tristitiam, ad hoc, vt non oppressus ab illa, inhereat officio consentaneo rectę rationi. S. Tho: 2. 2. q. 136. Alij dicunt, esse Virtutem, qua promptè tollerantur ea, quæ sunt contraria nostris sensibus irrationabilibus.

Patientia Christiana, secundum S. August: in lib: De Patient:
2 est Virtus, qua, æquo animo, mala toleramus, ne animo iniquo deseramus

deseramus bona, per quæ ad meliora perueniamus. Est virtus, quia
3 temperat tristitias, & dolores, ne scilicèt adeò tristemur malo superuenienti, quod ratio succumbat, sed sustineatur, vt ratio dictat, & Diuina lex disponit, nisi enim, per pacientiam, tristitia refrænetur, adeò efficax est, quod hominem trahit ad mortem, & corporis, & animæ. Vnde S. Paul. 2. ad Corint: c. 7. Quæ secundum Deum tristitia est, idest rationabilis, pacientiam in salutē stabilem operatur: sæculi autem tristitia, idest immoderata, mortem operatur.

Pacientia media est, inter lætum animum, & iniquum, idest non
4 æquum, non rectum. Bona namque desiderata, si superueniant, faciunt hominem lætari. Non est autem necesse patientem lætari malo superuenienti, sed sufficit non repugnare. Sed si quis, in extremis contristatiuis ferendis, exultat, id profectò est speciale donum Dei. Mala autem, quæ superueniunt homini, non benè viuenti, sed malè, & iuxta suam apprehensionem, & impetum, causant, in eo, animum iniquum, idest non æquum, sed nec benè dispositum, in contristatiuis ferendis. Pacientia igitur, vt media, facit, æquum animum, in huiusmodi malis ferendis, quæ quidem æquitas media est, inter lætitiam, & non æquitatem. Finis Christianæ pacientiæ est æternum præmium:

Reuocatur ad fortitudinem; quoniam ad pacientiam pertinet,
5 mala nobis illata, æquo animo ferre. Inter huiusmodo mala, ea præcipua sunt, quæ sunt discrimina mortis: sed circa hoc est fortitudo, ergo vt fortis, ea viriliter ferat, vt nō succumbat pro magnitudine tristitiæ, necesse est ei sic patientiam adesse; quæ est moderatiua tristitiæ, & doloris. Præterea ad fortitudinem non solum spectat, quod in bono rationis persistat contra timores futurorū discriminum; sed ne deficiat, præ tristitia, & in hoc adiuuatur à pacientia: nam patiens dicitur non ex eo, quod pericula, & aduersa non fugit, sed ex eo quod laudabiliter se habet, in ferendo, quæ nocent, & contristatiua: vt scilicèt propter illa non inordinatè tristetur.

SVMMARIOLA.

1 *Perseuerantia quid.*
2 *Perseuerantia triplex.*
3 *Perseuerantia communiter accepta, quid.*
4 *Quid sit apud Philosophum.*
5 *Mollities quid.*
6 *Delicia quid.*
7 *Perseuerans quis.*
8 *Mollis quis.*
9 *Delicatus quis.*
10 *Perseuerantia, & constantia, an idem.*
11 *Vir constans quis.*
12 *Perseuerantia apud theologum, quid.*
13 *Perseuerantia, Patientia, & fortitudo quomodo distinguantur.*
14 *Perseuerantiam esse Virtutem.*
15 *Continuationem esse de essentia huius Virtutis.*
16 *Duplicem esse finem.*
17 *Ratio complexa perseuerantiæ.*
18 *Reuocari ad fortitudinem.*
19 *Concomitari omnem Virtutem, & quomodo.*
20 *Esse Virtutem specialem.*
21 *Laudes perseuerantiæ.*
22 *Necessitas huius Virtutis.*
23 *Triplex ratio necessitatis.*
24 *Natura peccatum apud Philos. quid.*
25 *Actus bonus moralis, inter plures, duas vult circonstantias.*
26 *Non perseuerans quid apud theol: & Philos:*
27 *Perseuerantiam esse donum Dei.*
28 *Constantiam pertinere ad perseuerantiam.*

DE PERSEVERANTIA.

Caput LXXXVII.

1 PERSEVERANTIA est Virtus, persistens in officio, vsque ad consumationem operis. Vel est Virtus perficiens animũ, ita, vt non obstante molestia, proueniente à diuturnitate temporis necessarij, ad perficiendum aliquod opus bonum, persistat in officio, vsque ad consumationem operis. Breuius eam definit S. Thom. 2. 2. q. 137 ar. 1. Quod sit Virtus sustinens diuturnitatem operis virtuosi, quatenus est necessarium, & in rebus difficilibus.

Iauellus verò in 7. Ethic: Arist: f. m. 100. et f. 457. triplicem constituit Perseuerantiam. 1. Vti accipitur apud communiter loquentes.
2 2. Vti

2. Vti apud Philosophum moralem. 3. Vti apud Theologū. 1. Apud communiter loquentes perseuerantia importat durationem, et
5 persistentiam cuiuscumque rei, in genere suo, vt perseuerat sol in ortu, et occasu quotidiano, et in hoc sensu vtimur ea, in bonum, et in malum: et vt sic non est Virtus, cum verificetur tam de duratione mali, quod est vitium, quam de duratione boni. 2. Apud Philosophum importat victoriam, super intensam tristitiam: et illi opponitur mollities, et delitia. Mollities, importat passiuam superatio-
4 nem, siue, à leui, siue à graui tristitia. Delicia autem importat supe-
5 rationem passiuam à quacumque leui tristitia, proueniente, ex la-
6 bore: Vnde perseuerans est ille, qui non deijcitur, nec prosternitur
7 à magnis tristitijs: Vt qui fortiter sustinet famem, et sitim, et absentiam, siue priuationem rei amatę. Mollis est ille, qui à lenibus qui-
8 buscumque tristitijs vincitur. Delicatus est ille, qui omnem refugit tristitiam, cui annexus sit labor.

Perseuerantia in hoc sensu apud Philosophum, videtur esse idē
9 quod constantia. Vnde Arist: in 7. Ethic. cap. 7. appellat Virum cōstantem, et oppositum, Virum mollem: Et sic Perseuerantia, se-
10 cundum ipsum, non est distincta à constantia: Et constantia secundum eundem, non est distincta, à patientia: Sed nos dinstinguimus vnam ab altera. Et sic 3. Apud Theologum, Perseuerantia
11 est specialis Virtus, distincta à fortitudine, et à patientia, et vt sic importat persistentiam, in bono opere, contra difficultatem, quæ
12 prouenit ex diuturnitate actus: propter Deum, vt beatum finem nostrum.

Patientia sicut addit supra fortitudinem, ita perseuerantia suprà
13 pacientiam. Pacientia addit supra fortitudinem, ęquo animo, et viriliter sustinere: Perseuerantia autem addit diuturnitatem, idest persistere vsque in finem: Vnde perseuerare est durare. Quod distinguatur à pacientia, patet, eo quod multi sunt pacientes, non ta-
14 men perseuerantes, quia non durant in bono actu, aut in bona sufferentia mali, vsque in finem, et in hoc sensu, in Christiana lege, est vera, et specifica Virtus, modo sit propter Deum.

15 §. 1. *Esse de essentia huius Virtutis continuationem vsque ad finem.*

Pertinet ad perseuerantiam, quod perseueremus vsque ad finem operis virtuosi; sicut miles perseuerat vsque ad finem certaminis. Nam duplex est finis. 1: Finis operis. 2. finis humanæ Vitæ. Sunt autem
16 quædam Virtutes, quarum actus, per totam vitam durare debent, sicut fidei, spei, & charitatis, quia respiciunt vltimum finem totius humanæ Vitæ. Respectu harum virtutum, non consumatur actus
17 perseuerantiæ, nisi vsque ad finem Vitæ. Videndus est, S. Tho. d. art. 1. Sunt aliqui actus boni, in quibus oportet sine intermissione, & vsque ad mortem perseuerare: Vt Deum diligere, & Virtutes prædictas Theologicas seruare, & alia præcepta negatiua, quæ obligant nos pro omni tempore. Quidam autem actus exercendi sunt non semper, sed determinato tempore, & prout oportet, & quādo, & quantum, et quandiu, et non desistere, et in hoc completur ratio Christianæ perseuerantiæ, quæ sola coronatur.

18 §. 2. *Perseuerantiam ad fortitudinem reuocari.*

Perseuerantia, in vno sensu, spectat ad omnem Virtutem, in alio autem
19 specialiter ad fortitudinem. Nam cum sit de ratione Virtutis moralis, esse habitum benè operatiuum, & de difficili mobilem: Si sumatur perseuerantia pro firma promptitudine, & continuata in benè operando, quando, & quandiù oportet, concomitatur omnē Virtutem moralem. Nam iustus, est qui persistit in iustè operando; & prudens Politicus, qui persistit in prudenter regendo subditos, & sic de singulis, &c. Et in hoc sensu dixit S. August: ad Eudoxium: Vos autem fratres hortamur in Domino, vt propositum vestrum, scilicet benè, & iustè viuendi, in omni Virtutis opere custodiatis, & vsque ad finem Vitæ perseueretis.

Si autem sumatur perseuerantia, pro persistentia indefessa, in
20 rebus maximè arduis, circa quæ versatur fortitudo, & patientia, & per quamcumque difficultatis diuturnitatem, animus non frangitur; sic spectat ad fortitudinem, & omnino perficit actum eius, qui est maximè ardua, vsque in finem, sustinere, & hæc est quæ coronatur, & de qua S. Matth: c. 10. et c. 24. Qui autem perseuerauerit vsque in finem, hic saluus erit. Præmiserat enim maximas tristitias,
21 & mortem, & carcerem quas passuri erant Apostoli. Nam sic inquit cap. 10: Tradet autem frater fratrem, in mortem, & Pater filium,

& insurgent filij, in Parentes, & morte eos afficient, & eritis odio omnibus hominibus, propter nomem meum: & in cap: 24. inquit, Tunc tradent vos in tribulationem, & occident vos: & eritis odio omnibus gentibus, propter nomen meum. Deinde concludit. Qui autem perseuerauerit, vsque in finem, saluus erit. Hæc est vera perseuerantia, quæ coronauit Martires, & beatificauit Apostolos: Vnde saluator lucæ cap: 22. dixit Apostolis. Vos estis, qui permansistis, idest perseuerastis mecũ in tentationibus, idest angustijs meis: & ego scilicèt propter hanc perseuerantiam, dispono vobis, sicut disposuit mihi Pater meus, Regnum, vt edatis, & bibatis, super mensam meam, in Regno meo: & sedeatis super Thronos, iudicantes duodecim tribus Israel.

22 §. 3. *Quanta sit necessitas huius Virtutis.*

Probatur necessitas triplici ratione. 1. Naturali. 2. Morali. 3. Diuina.

1. Naturali: quoniam sensu percipimus, Naturam, in quocũque genere, gradatim procedere, non perficere opus suum, nisi per-
23 seuerantem vsque ad vltimum gradum. Constat in grano seminato: ex terra nascitur: in herbam crescit; deinde in spicam, deinde florescit, demum consimile formatur granum, & maturescit. Si contingat ex indispositione materiæ, aut ex contrario agente, in aliquo prædictorum graduum, naturã impediri, dicetur, vel penitus defecisse, vel Monstrum produxisse. Apud Philosophum natu-
24 ræ peccatum appellatur. Igitur si aduertimus Naturam adeò diligentem, ac perseuerantem, in ordine suo, vt contraria remoueat, vt perfectionem, operi suò debitam consequatur: longè amplius à nobis sentiendum est, quòmodo in bono, & præcipuè in arduis perseuerandum sit.

2. Morali: quoniam licèt bonus actus moralis quamplures re-
25 quirat, ad sui perfectionem, circumstantias, principalior tamen est circumstantia finis. Hæc autem duplex est: prima, vt actus ipse ordinetur in debitum finem. Secunda est, quod sic quidem fiat, vt per ipsum consequamur debitum finem, ad quem ordinatus est. Id assequi non potest, nisi mediante perseuerantia Vnde S. Paul. 2. ad Timot: c. 2. Non coronabitur nisi qui legitimè (idest benè, &
26 perseueranter,) certauerit. Ideò Philosophi assimilant hominem,

operantem

operantem bonum, & in eo deficientem, homini, ędificanti domum, & relinquenti eam, sine tecto. Et socrates meritò dicere consueuerat; opus bonum, sine perseuerantia, esse veluti Corpus pulchrum, sine anima.

3. Diuina. Quoniam seruator Luc: c. 9. inquit: Nemo mittens manum suam ad aratrum, & respiciens retro, aptus est Regno Dei: & Apocal: c. 2. Esto fidelis vsque ad mortem, & dabo tibi Coronam Vitæ.

27 *§. 4. An Perseuerantia possit acquiri proprijs viribus.*

Non est in potestate nostra, ex frequentatis actibus bonis, perseuerantiā acquirere, sicut acquirims alias Virtutes morales; maximè in statu presenti Naturæ corruptę, & quoad obseruantiam Diuinæ legis. Nam secundum S. Tho: 2. 2. d. q. 137. ar. 4. Perseuerantia indiget auxilio gratiæ. Et S. August: in lib: De Perseuerā dixit: Asserimus donum Dei esse perseuerantiam, qua vsque ad mortem perseueratur, in Christo. Donum autem Dei non est ex operibus nostris, sed Dei infusione gratuita: Nam si esset ex operibus, non esset donum.

28 *§. 5. Constantiam pertinere ad Perseuerantiam.*

Constantia pertinet ad perseuerantiam: quia conueniunt in fine: Sed differunt in hoc, quod perseuerantia facit persistere, in bono, contra difficultatem, ortam ex diuturnitate actus: Constantia verò, contra difficultatem, ortam ex quolibet alio impedimento exteriore. S. Tho: vbi supra ar: 3.

DE LONGANIMITATE.

Caput LXXXVIII.

Longanimitas est Virtus, qua moderatè, & sine anxietate, tendimus, mediante spe, & expectatione, in illud, quod longo tēpore, differtur: & sic quod res dilata non affligat animam. Reuocatur ad fortitudinem.

DE CONSTANTIA.

Caput LXXXIX.

CONstantia est virtus animi, quę firmiter persistit, in bono, contra difficultates, prouenientes, ex quolibet impedimento, & circumstantijs, quæ opponuntur operi bono. S. Thom. 2. 2. q. 137. ar. 3. Reuocatur ad fortitudinem.

SVMMARIOLA.

1 *Fiducia in quibus fundatur.*
2 *Vnde dicatur.*
3 *Quid sit*
4 *Tripliciter exponitur.*
5 *Quomodo ad fortitudinẽ spectet.*
6 *Fiduciam importare robur.*
7 *Spem causare audaciam.*
8 *Desperationem causare timorem.*
9 *Fortis quomodo audeat.*

DE FIDVCIA.

Caput LXXXX.

1 RIA videbimus: 1. In quibus fundatur fiducia. 2. quid sit. 3. Quomodo ad fortitudinem spectat.

In 1. fiducia fundatur in fide, & in spe. In fide: quoniam adhoc, quod aliquis confidat, necesse est, vt de aliquo firmam opinionem habeat, propter quam cõfidere possit, aliter vana esset eius fiducia. Ver:gr: Qui confidit se diù victurum, oportet ipsum firmiter opinari, se sanum, benèque complexionatum esse. Quod si oppositum de se sentiat, diffidit. Qui confidit se sanandum, dum infirmatur, oportet ipsum benè, ac firmiter opinari, de prudentia, & beneuolentia Medici, aliter diffidit. & quoniam firma opinio de aliquo, fidem generat, ideò fiducia in fide fundatur. Vnde & à fide fiducia, siuè confidentia, dicitur. In spe verò fundatur consequenter. Nam ex eo, quod quis credit, se auxilium recepturum ab aliquo, vt infirmus à Medico; Amicus ab Amico, spem concipit, nam sperat huiusmodi medio, consequi bonũ desideratum.

In

In 2. Quid ſit. Fiducia eſt habitus, quo quis ſpem concipit, ex
4 fide, in aliquo habita ad conſequendum bonum arduum deſideratum. Vel eſt ſpes roborata, ex fide, in aliquo habita. Vtraque patet ex ſupradictis. Et in aliquo poteſt tripliciter exponi. 1. In ſe ipſo. 2. In proximo. 3. In Deo. In ſe ipſo, quando ſe tantum exiſtimat, ſiue in robore corporis, ſiue in ſcientia, &c. quod omnem ſpem ſuã, in ſua propria Virtute reponit. Hęc eſt temeraria fiducia, qua laborant ſtulti, & ignorantes. In proximo, quando quis ei adeo credit; quod non dubitat, eius medio, quodcumque arduum aggredi, omnemque ſpem ſuam, in eo, reponit. Hæc eſt humana, & irrationalis fiducia, quam paſſim ſcriptura Sacra reprehendit. Pſal: 145. Nolite confidere in Principibus, in filijs hominum, in quibus non eſt ſalus. Et Hierem: cap. 17. Maledictus homo, qui confidit in homine. In Deo verò; quando credimus Deum ſolum, omnipotentem, mi-
5 ſericordem, & reſpicientem, ſuper clamantes ad ſe, & in eo omnem ſpem firmamus. Hęc eſt vera fiducia; atque Chriſtiana, quam ſapientes Mundi ignorant, quam ſolam ſcriptura Sacra approbat.

In 3. Quomodo fiducia ad fortitudinem ſpectet. Patet: quo-
6 niam fiducia importat robur, & firmitatem ſpei, in fide alicuius fun
7 datam: Spes autem audaciam cauſat, ſicut deſperatio timorem. Audacia ad fortitudinem ſpectat, fortis enim audet, vt, & quando
8 oportet, & foras excutit timorem; ergò ex conſequenti fiducia ad
9 fortitudinem ſpectat, tanquam concurrens ad eius actum perficiẽdum, qui eſt aggredi ardua, gratia boni ſperati.

S V M M A R I O L A.

1 *Securitas quid.*
2 *Eſſe Virtutem.*
3 *Securus quis.*
4 *Ad fortitudinem ſpectare.*
5 *Securum dici ſine cura.*
6 *Cura, & ſollicitudo, bona, & mala.*
7 *Securitas quando laudabilis.*
8 *Sollicitudo, & cura laudabilis, & non.*

DE SE-

DE SECVRITATE.

Caput LXXXXI.



DVO describemus de securitate; 1. quid sit. 2. Quo-
1 modo ad fortitudinem spectet? Securitas est Virtus
2 quæ placat, & confirmat animum, contra nimiam
3 anxietatem, & curas sollicitas, quas timor solet concitare. Securus est, qui est sine cura, & sollicitudine timoris, idest qui non timet, quin præualeat, si periculum, vt oportet aggreditur: ita quod securitas importat, in animo, pacem, & requiem, per exclusionem perturbationis, & anxietatis, qua quis titubat, an aggredi debeat periculum. Sic patet, quod sicut fiducia importat firmitatem spei, quæ generat audaciam, ita securitas impor-
4 tat tranquillitatem animi, per exclusionē timoris, & hęsitationis.

Quoad 2. Securitas ideò spectat ad fortitudinem: quoniam importat animi quietem à perturbatione timoris; quæ quidem quies producit actus fortitudinis, quoniã, dũ animus timore agitatur, nõ strenuè periculũ aggreditur? Pręterea sicut spes est causa audacię, sic timor est causa desperationis, ergo sicut fiduciã, fundata in spe, causãte audaciã, spectat ad fortitudinē, sic, & securitas, quia remouet timorē, in quãtũ prohibet disperationē, confert ad fortitudinę.

. 1 Si obijciatur. Securitas confert fortitudini, ergo esse sine cura vel non curare de agendis est conditio Virtuosi: quod est falsum
5 Consequentia patet, quoniam apud Isidorum, in lib. de Ethimologia. Securitas negat curam, & dicitur securus, idest sine cura falsitas verò consequentis constat ex eo, quod Virtuosum curare oportet de rebus honestis. Vnde S. Paul. 2. ad Timot: c. 2. Sollicitè cura te ipsum, probabilem exibere Deo operarium incõfusibilem, rectè tractantem verbum veritatis.

Respondetur. Cura, & sollicitudo abstrahunt à bono, & à malo, quoniam non semper bonum est habere curam, & sollicitudinem nec semper malum est, sed aliquando bonum, aliquando malum. Bonum quidem, quando oportet. Malum autem quando non expedit. S. Paul. intendit, quando oportet, & sic est conditio Virtutis. Malum autem esset, habere curam, & sollicitudinem, post debitam
6 considerationem, consilium, & deliberationem, factam de aggre-

diẽdo periculo: & tunc securitas, idest remotio curæ, est laudabilis, & perficit fortitudinis actũ. Quod curã, & sollicitudo aliquando sit
7 laudabilis, aliquando non, testẽ habemus Sacram scripturam, pro vtroque sensu. In primo sensu. 2. Petri c. 1. Vos autem curã omnem
8 subinferentes ministrate, in fide vestra, virtutem, in virtute scientiã, in scientia abstinentiam, in abstinentia, patientiam, in patientia, pietatem, in pietate, amorem fraternitatis, in amore fraternitatis, charitatem. In 2. sensu, Lucę, cap. 21. Attendite vobis, nè fortè grauentur corda vestra, in crapula, & ebrietate, & curis huius vitæ, & superueniat in nos dies illa repentina: Et Ecck. cap. 2. Homini bono, in conspectu suo, dedit Deus sapientiã, & scientiam, & lętitiam: peccatori autem dedit afflictionem, & curam superfluam.

DE PIETATE.

Caput LXXXXII.



PIETAS est illa Virtus, qua Patriæ, & Parentibus reddimus debita officia, & obsequia. Largo modo extẽditur etiam ad Diuinum cultum, & ad opera misericordiæ. S. Thom. 2. 2. q. 101. ar. 1. Est pars subiectiua Iustitiæ, & specialis Virtus, distincta ab alijs, quia habet specialem rationem obiecti, & debiti. S. Thom. vbi supra.

Et secundum Marc: Tull: Pietas est, per quam sanguine iunctis, Patriæ, & beneuolis, officium, et diligens tributur cultus.

S V M M A R I O L A.

1 *Obseruantia quid.*
2 *Esse partem Virtutis, Pietatis.*
3 *Ac etiam partem subiectiuam Iustitiæ.*
4 *Maioribus, & superioribus debentur quatuor.*
5 *Quid sit secundum Marc: Tull:*
6 *Reuerentia quid.*
7 *Reuerendi qui.*
8 *Obseruandi qui.*
9 *Colendi qui.*

DE OBSER-

DE OBSERVANTIA.

Caput LXXXXIII.



ESt Virtus,qua exhibemus reuerentiã illis,qui sunt nobis
1 maiores,vel sunt virtuosi,& digni:Est pars Virtutis,Pie-
2 tatis,quæ imponit onus reuerentię,erga Parentes.Vtra-
3 què est pars subiectiua Iustitiæ, cum imponat debitũ,
& legale, & morale. Ad hanc Virtutem Obseruantiæ pertinet ex-
4 hibere cultum, & honorem illis, qui sunt constituti in dignitate:
quia istis debentur ista quatuor. 1. Honos, ratione Gradus subli-
mioris. 2. Timor,ratione Potestatis. 3. Obedientia,ratione officij.
4. Tributa,vti stipendia, quibus ali possint. S. Th:2.2.q.102.
5 Et secundum Marc: Tull: est, per quam homines, aliqua digni-
6 tate,& honore, antecedentes, quodã cultu, et honore veneramur,
7 et verbis, et corporis gestu,quam dicimus reuerentiam.Hinc pro-
8 uenit,quod huiusmodi homines nuncupamus, reuerẽdos, obser-
9 uandos, colendos &c.

SVMMARIOLA.

1 *Gratitudo quid.*
2 *Recompensationẽ debere esse maiorem benef.*
3 *Gratia, & gratitudo sunt idem.*
4 *Gratitudo iterum quid.*
5 *Ingratitudo, & ingratia, idem.*
6 *Esse partem subiectiuam Iustitiæ.*
7 *In beneficio, & recompensatione duo considerari.*
8 *Affectus, & donum consideratur.*
9 *Reddere statim non esse Virtuosã recompensationem.*
10 *Beneficium etiam non incommodũ esse beneficium.*
11 *Gratitudinem esse ad alterum.*
12 *Beneficium esse ad alterum.*
13 *Beneficium etiam nõ decenter collatum, recompensandum.*
14 *Non esse optandam indigentiam in benefactore.*
15 *Pauperem etiam posse esse gratũ.*
16 *Recompensatio quomodo facienda, in ordine ad statum.*
17 *Felicibus, diuitibus, & Magnatibus recompensatio quomodo.*
18 *Beneficanti, in peius mutato, etiã recompensandum.*
19 *Beneficia nõ recõpensabilia, odiosa.*

DE GRATITVDINE.

Caput LXXXXIV.

EST Virtus, qua compenſamus beneficium acceptũ,
1 cum gratiarum actione, quæ fit animo, verbis, &
rebus. Eſt Virtus ſpecialis, diſtincta ab alijs. Re-
2 compenſatio debet eſſe non æqualis beneficio ac-
cepto, ſed aliquid plus excedere. Nam qui gratis be-
neficium contulit, ad quod non tenebatur, videtur, ex debito ho-
neſtatis, obligare beneficatum, vt aliquid etiam ipſe gratis impen-
dat. Non autem videtur gratis aliquid impendere, niſi excedat
quantitatem accepti beneficij: quia quandiu recompenſat minus,
vel æquale, non videtur facere gratis, ſed reddere quod accepit: &
ideò gratiæ recompenſatio ſemper tendit, vt pro ſuo poſſe, aliquid
3 maius retribuat. S. Th. 2. 2. q. 106. ar: 6. & ſecundum Marc: Tull:
4 Gratia, ſiuè Gratitudo eſt, per quam amicitiarum, & beneficiorum
receptorum ab altero, memoria, & remunerandi voluntas exerce-
5 tur. Huic opponitur ingratitudo, ſiuè ingratia, à qua ingratus.
6 Eſt pars ſubiectiua Iuſtitiæ, quia habet debitum, ſaltem morale.

7 §. 1. *In beneficio, & recompenſatione duo conſiderari.*

Sicut in beneficio dando, duo conſiderantur. 1. affectus. 2. donum; ita
8 etiam in recompenſatione. Quantum ad affectum, recompenſatio
ſtatim fieri debet. Quantum ad donum, expectandum eſt tempus,
quo recompenſatio ſit benefactori opportuna. Nam ſtatim red-
9 dere, non eſt virtuoſa compenſatio, nec actus animi grati, ſed de-
bitoris. Recompenſatio enim beneficij eſt debitum morale, & non
legale. S. Th: d. q. 106. ar: 4.

10 §. 2. *Etiam beneficium non incommodum eſſe beneficium.*

Summæ malignitatis eſt non vocare beneficium, niſi illud, quod dantem
aliquo incommodo afficit. S. Th: d. q. 106. ar: 3.

11 §. 3. *Gratitudinem, & ingratitudinem ac etiam beneficium*
12 *eſſe ad alterum, & non ad ſe ipſum.*

Non eſt liberalis, qui ſibi donat: non clemens, qui ſibi ignoſcit, non miſericors, qui malis ſuis tangitur, ſed qui alijs: ita nemo ſibi beneficium dat; ſed naturę ſuę paret, quę mouet ad refutanda nociua, & ad appetenda proficua. Vnde in his, quæ ſunt ad ſe ipſum non habet locum gratitudo, & ingratitudo. Ille, qui totus ad ſe ſpectat, & nobis prodeſt, ſimilis eſt ei, qui pecori ſuo pabulum proſpicit, ſi me in conſortium admiſerit, ſi duos cogitauit, ingratus ſum, & iniuſtus niſi gaudeam, hoc illi profuiſſe, quod proderat mihi. S. Thom: d. vbi ſupra.

13 §. 4. *Beneficium, etiam non decenter collatum recompenſandum, licet minus.*

Boni animi eſt, vt magis attendatur ad bonum, quàm ad malum: & ideò ſi aliquis beneficium mihi dedit, non eo modo, quo debuit, non ideò debeo à gratiarũ actione ceſſare: minus tamen, quàm, ſi modo debito pręſtitiſſet, quia etiam beneficium minus eſt. S. Th: ibi.

14 §. 5. *Non eſſe optandam indigentiam in benefactore, ad recompenſandum.*

Pro habendis gratijs, non debemus optare indigentiam, ſeu miſeriam, in benefaciente, ad hoc, vt beneficium recompenſetur, quia ſi hoc optaremus, inhumanum eſſet votum. S. Tho: ibi.

15 §. 6. *Pauperem etiam poſſe eſſe gratum.*

Pauper etiam ingratus non eſt, ſi faciat, quod poſſit: ſicut enim beneficiũ magis in affectu conſiſtit, quàm in effectu, ita etiam recompenſatio.
16 Vnde Seneca. Qui grate beneficium accipit, primam, eius penſionem ſoluit. Id exprimitur, effuſis affectibus, ipſo non ſolum benefaciente audiente, ſed etiam alijs. Quare in felicitate exiſtenti poteſt recompenſatio fieri, per exhibitionem reuerentiæ, & hono-

ris;

17 riis; & ideò Arist: in 8. Ethic: superexcellenti debet fieri, honoris retributio, indigenti, autem retributio lucri. Felicibus possumus reddere fidele consilium, assiduam conuersationem, sermonem communem, & sine adulatione, iucundum. S. Tho: ibi.

18 *§. 7. Beneficanti in peius mutato, etiam aliquam recompensationem deberi.*

Si beneficans, in peius, sit mutatus, debemus ei recompensationem, secundum statum ipsius, vt scilicèt ad virtutem illum reducamus, si sit possibile, sin autem minus, propter malitiam, tunc alter est effectus, quam prius erat, & ideò non debetur ei recompensatio, sicut prius: & tamen, quantum fieri potest, salua honestate, debet memoriâ haberi præstiti beneficij. S. Tho: ibi.

19 *§. 8. Beneficia non recompensabilia, odium parere.*

Beneficia eo vsque grata sunt, quo videntur solui posse: Vbi multum anteuenere, pro gratia, odium redditur. Corn: Tac:

S V M M A R I O L A.

1 *Pax, & concordia non sunt idem.*
2 *Pax quid.*
3 *Concordia quid.*
4 *Malos habere concordiã, sed nõn pacem.*
5 *Pacem includere concordiam.*
6 *Concordia potest dari, sine pace.*
7 *Pacem importare vnionem omniũ motuum.*
8 *Concordiam importare vnionem externam.*
9 *Concordiam pertinere ad amicitiã.*
10 *Amicorum quæ sint propria.*
11 *Concordare ciuitates quandò dicantur.*
12 *Vtilia esse operabilia.*
13 *Vtilia, & operabilia duo requirere.*
14 *Bella gerentium intentionem, esse pacem.*
15 *Victoria quid.*
16 *Pacem non esse Virtutẽ, sed actum charitatis.*
17 *Pacem esse vnum ex fructibus Spiritus Sancti.*
18 *Pacem esse donum Dei.*
19 *Pax in se, in proximo: & in Deo, quid.*
20 *Pacem posse etiam esse Virtutem moral:*

21 *Virtutem*

21 *Virtutem moralē poſſe conſiderari dupliciter.*
22 *Pax ab omnibus appetitur.*
23 *Bonum tranquillum, & pax idē.*
24 *Pacem eſſe complementum omniū Virtutum.*
25 *Innocentiæ originalis ſtatus, quis.*
26 *Felicitatē moral: conſtitui in pace*
27. *Pacem eſſe multiplicem.*
28 *Pax in humana ſpecie.*
29 *Pax inter Deum, & hominem.*
30 *Pax corporis, & animæ.*
31 *Pax vera, in homine, in ordine ad ipſummet.*

DE PACE, ET CONCORDIA.

Caput LXXXXV.



1 PAX, & Concordia, non ſunt idem, ſed diſtinguuntur.
2 Nam Pax eſt vnio omnium motuum internorum, &
3 omnium potentiarū, ita vt cor pacatū maneat. Concordia dicit relationem ad alterum, & importat vnionem voluntatis diuerſorum in vnum. S. Tho: 2. 2. q. 29. Mali habent
4 concordiam, ſed non veram pacem. Pax tamen, vt quid genericum,
5 includit concordiam, quia vbi eſt Pax, ibi eſt concordia, ſed non è
6 contra, quia aliquando datur concordia, ſine pace, quatenus voluntates diuerſorum cordium, ſimul conueniunt, in vnum conſenſum, ſed quia cor illorum, qui concurrunt ad conſenſum, poteſt tendere, in diuerſa obiecta, ac etiam eſſe diſſentiens, ab ipſo consē-
7 ſu externo, dicetur concordia, & non pax. Nā pax propriè ſumpta, debet habere vnionem omnium motuum internorum, & omnium potentiarum, ita vt cor remaneat pacatum: Concordia autem
8 importat vnionem externam appetituum diuerſorum appetentiū: S. Tho: vbi ſupra.

Concordia, ſecundum Ariſt: 9. Ethic: pertinet ad amicitiam:
9 proprium enim eſt amicorum ſimul conuiuere, eadem velle, ſimul
10 triſtari, & gaudere. In his ſtat concordia. Hæc generaliter verſatur, circa operabilia: Nam dicuntur Ciuitates concordare, quando
11 conſentiunt circa vtilia: ita vt eligant, & operentur, quæ communiter arbitrantur eſſe vtilia. Vtilia autem ſunt operabilia. Ad hęc
12 duo requiruntur. 1. quod iſta vtilia, & operabilia ſint alicuius
13 importantiæ: non enim frangitur duorum amicorum concordia, ex eo, quod non concordant, in aliquibus minimis. 2. quod ſint talia, quæ poſſint competere omnibus concordantibus, ſiue

ſint duo, ſiue plures, ſiue omnes vnius Ciuitatis Ciues. Nam ſi quis
conſentiat alicui quod habeat, id quod nullus alius habere poteſt,
non multum ſpectat ad cõcordiam. Vti Ciuitates dicuntur concor-
des, quando Ver:gr: conueniunt in hoc, quod Princeps eligatur, &
non fiat per ſortẽ. Sed ſi quilibet principari vellet, tunc non concor-
14 darent. Ita Ariſt: vbi ſupra.

Bella gerentium intentio eſt pax. Nam belligerantes nil aliud
volunt, quam vincere Victoriam, & ſubiectionem repugnantium:
15 poſt quod erit pax, quia aufertur illud, quod opponitur paci nempe
repugnantia. S. Aug: De Ciuit: Dei lib: 19. c. 12. Quod intelligitur
de concordia.

16 *§. 1. Pacem non eſſe Virtutem ſed actum charitatis.*

Pax non eſt Virtus, ſed actus charitatis, de qua datur præceptum. Et eſt
17 vnus ex fructibus Spiritus Sancti, & ideò donum Dei, quòd facit,
18 quod in procellis huius Mundi ſeruiamus Deo, cum tranquillitate
animi. Hoc dono inclinamur ad amandum omnia, eo modo, quo
oportet, nempe Deum, vti vltimum finem, & proximum, propter
Deum, & ad id exequendum, vincimus omnia repugnantia. Vnde
ſic deriuat conſequentia, quod in noſtris appetitionibus ordinatis,
non adſit malum diſſenſionis, & repugnantiæ, ſed bonum pacis,
ideò inter beatitudines, expreſſas à Chriſto Domino, ſeptima aſ-
ſignatur. Beati pacifici, quoniam filij Dei vocabuntur. Quod intel-
ligitur de pacificis, amantibus, & ſitientibus Pacem, qui non quie-
19 ſcunt, niſi pacem faciant. 1. In ſe ipſis. 2. Cum proximo. 3. Cum
Deo. In ſe ipſis, faciunt pacem, quando omnes animi ſui motus
componunt, & rationi ſubijciunt. Cum proximo, quando nemini
oneroſos, aut moleſtos ſe exhibent: Si quem offendunt, ſtatim re-
conciliantur: Si offenduntur, de corde remittunt: lites, bella, &
ſeditiones fugiunt: Potius damna ferunt, quam impacifici viuere.
Cũ Deo, quando ſtudent, per omnia, Dei voluntati Se conforma-
re. Si illum offenderint, toto corde ſibi reconciliare procurant. De ea
intellexit S. Paul: dum dixit 2. ad Theſſ: c. vlt: Deus autem pacis, det
vobis pacẽ, in omni loco: & in principio cuiuſlibet Epiſt: Pax vobis.
Et dũ in ſcriptura Sacra datur conſiliũ nobis, intrantibus in aliquam
domũ. Cum intraueritis domũ, &c. dicite. Pax huic domui, & omni-
bus habitantibus in ea.

§. 2. *Pacem*

20 *§. 2. Pacem posse etiam esse Virtutem moralem.*

Dictum est supra, Pacem non esse Virtutem moralem. Sed donum Dei. Hic ostēdetur posse esse etiam Virtutem moralem. Nam cum omnis virtus moralis possit considerari dupliciter. 1. Vti infusa à Deo.
21 2. Vt acquisita proprijs viribus, mediante gratia Diuina, si Pax cōsideretur primo modo, erit donum Dei infusum, cū Virtute Theologali Charitatis, & sic etiam vnus ex fructibus Spiritus Sancti: & hoc modo considerata fuit in §. pręcedenti. 2. modo accepta, erit Virtus moralis. Quod sic probatur. Virtus moralis est, quæ bonum facit habentem, & opus eius reddit bonum. Pax facit bonum habentem: Nam secundum S. August: de Ciuit: Dei lib: 19.
22 cap. 12. non reperitur res, quæ nō desideret pacem, intra suam Spheram. Ratio. Omne, modo conuenienti suę naturæ, appetit bonum, & perfectionem congruentem sibi ipsi, sine repugnántia proprij appetitus. Istud ipsum est habere pacem. Sicut nemo est qui gaudere nolit, ita nemo est, qui nolit habere pacem: et nihil est expetibilius, quam possidere tranquillum bonum, quod est Pax, ergo &c.
23 Præterea, mediante ista Virtute, expugnatur maximum malum (tale in scriptura Sacra appellatum) nempe dissensio, & repugnantia appetitionum, & desideriorum, quibus animus noster, multipliciter excruciatur. Desideria multa, inutilia, & nociua, quæ mergunt hominem, in interitum, & perditionem &c. S. Paul: 1. ad Timot: 6.
24 Immo Pax vera est complementum omnium Virtutum: Nam cum Virtus versetur circa difficile, & ad hoc expugnandum requiratur maximus labor, & homo, intra se ipsum, continuum patiatur bellum, proueniens ex passionibus animi, & sic in pugna semper, qui vincit, pugnando, in hac pugna, taliter, quod contra passiones acquirat absolutum dominium sui ipsius, dicetur habere vnionem omnium motuum interiorum, & potentiarum, & ex hoc pacatū cor, & sic illud tranquillum bonum pacis, in quo Arist: posuit feli-
25 citatem moralem; & Theologi, statum innocentiæ originalis, in
26 qua fuit creatus Adam, Pater Generis humani.

27 *§. 3. Pacem esse multiplicem.*

Pax dupliciter sumi potest. 1. Absolutè, & genericè. 2. Respectiuè. Pax absolutè, & genericè sumpta, & vt opponitur cuique bello, & repugnantiæ, est secundum S. August. de Ciuit: Dei lib: 19. cap. 13. tranquillitas ordinis. Ordo autem, secundum eundem, est parium, disparium que rerum, sua cuique loca distribuens, dispositio. Nam tunc verè, & absolutè adest tranquillitas ordinis, quando omnes illę res inter sese conueniunt taliter, quod sint mutuo, & reciprocè ordinatę, vt non possint dissentire inter sese.

2. Pax respectiuè considerata, multiplex est, iuxta multiplicem respectum, quem habere potest, & semper vti opposita bello, & repugnantię.

28 §. 4. *De Pace in humana specie.*

Primò considerari potest, in humana specie, hoc est inter hominem, & hominem. Definitur. Est mentium, in bono concordantium ordinata tranquillitas. Ista potius dicitur Concordia, cum sit relatiua ad alterū, quàm Pax, iuxta superius expressa, in principio huius capituli. Consideratur etiam ista, vti opponitur bello, & repugnantię. Nam inter homines insurgunt bella, lites &c. Sedato bello, vel repugnantia ablata, introducitur pax, aliàs propriè concordia. De hac intelligitur illud S. Mar: cap. 9. Pacem habete inter vos. Et illud S. Paul: ad Rom: cap. 12. Cum omnibus hominibus pacem habentes.

29 §. 5. *De Pace inter Deum, & hominem.*

Secundò Consideratur inter Deum, & hominem: & est ordinata in fide, obedientia, sub ęterna lege. Qui enim Deo obedit, iuxta dispositionem ęternę, & Diuinę legis, omnino cum Deo pacem habet. Vnde in Psal: 118. Pax multa diligentibus legem tuam. Ista etiam pax cōsideratur, vti opposita bello; nam cum homo, ob peccatum mortale, amittat gratiam Dei, & sic fiat eius inimicus, tollitur repugnantia inimicitiæ, mediante Sacramento Pænitentię, & sic introducitur Pax inter Deum, & hominem. Vel dicatur quod Pax inter Deū, & hominem consideratur, vti opposita bello, quod insurrexit, inter Deum, & hominem, quando post Adami peccatum, clausus fuit Paradisus, & inductum bellum inter Cęlum, & Terram. Sedatum

Nn fuit

fuit istud Bellum post completum opus Diuinæ Incarnationis. Id significauit Angelicum Elogium, in Natiuitate Dominica prolatum. Gloria in excelsis &c. & in Terra pax &c. & Christus Dominus noster, cum post suam Sanctissimam Resurrectionem, sepius repetendo; dixit Apostolis: Pax vobis. Pacem meam do vobis &c. Quia completo illo Misterio, apertum fuit Celum Nature humanæ, & extincto bello, inducta fuit Pax, mediante Christo Domino nostro, qui Patri reconciliauit peccatores.

30 *§. 6. De Pace Corporis, & Animæ, in homine.*

Tertio Consideratur ab aliquibus Pax, in homine, in ordine ad se ipsum, quatenus Corpus, & Anima constituunt suppositum humanum; & hanc definiunt, quod sit ordinata Vita, & salus hominis, secundum esse corporeum, animatum, & consistit in temperie, & tranquillitate quatuor humorum. Quod verificatur, quatenus opponitur bello, quod frequenter occurrit, inter eosdem quatuor humores. Tollitur istud bellum, per pacationem inter ipsos, & inducitur in corpus humanum pax, sed impropriè.


31 *§. 7. De vera pace, in homine in ordine ad se ipsum.*

Quarto, Consideratur Pax, in homine, in ordine ad se ipsum, aliàs ad hominem interiorem, & vt opponitur bello, quod intra nos ipsos cōtinuè agitur à parte inferiori animę nostrę, idest appetitu sensitiuo, cum Parte superiori, idest Anima rationali; de qua intellexit S. Paul: dum. ad Rom: cap: 7: dixit: Sentio legem in membris meis, repugnantem legi mentis meę &c. Cum enim Adamus, propter peccatum rebellasset à Deo, in penam ipse, & aliam rebellionem expertus est, quæ consistit in assidua pugna appetitus sensitiui, cum ratione, & hanc in suos filios, & posteros transfudit. Deuicto à nobis isto interiori bello, introducitur Pax, quæ, cum sit vera Pax, definitur à S. Thom: vbi supra, quod est vnio omnium motuum internorum, & omnium potentiarum, ita vt cor pacatum maneat. Et S. August: Pax est serenitas mentis, tranquillitas animi, simplicitas cordis, vinculum amoris, consortium charitatis. Hæc est, quæ simultates tollit, bella compescit, iras comprimit, superbos calcat, humi-

les amat, discordes sedat, inimicos concordat, cunctis est placida, nescit extolli, nescit inflari. Hanc solam considerat Philosophus moralis, nam totus versatur, & laborat, in debellando passiones concupiscibilis, & irascibilis, & in introducendo Virtutes, in animam. Sequuta debellatione, introducitur pax, quæ vera est pax. Vnde dicuntur Pacifici illi, qui à Christo Domino nostro enumerantur, inter beatos: Beati Pacifici, quoniam filij Dei vocabuntur: quod S. August: lib: 1. de serm: Dom: in monte, cap: 2. sic, ad propositum nostrum exponit. Pacifici, in semet ipsis, sunt, qui omnes animi sui motus componentes, & subijcientes rationi, idest menti, & spiritui, carnalesquè concupiscentias habentes edomitas, fiunt Regnũ Dei. In quo ita sunt ordinata omnia, vt id, quod est in homine præcipuum, & excellens, hoc imperet cæteris non reluctantibus, quæ sunt nobis, bestijsquè communia: atquè idipsum, quod excellit, in homine, idest mens, & ratio, subijciatur potiori, quod est ipsa veritas, vnigenitus filius Dei. Neque enim imperare inferioribus potest, nisi superiori se ipse subijciat. Et hæc est Pax, quæ datur in Terra, hominibus bonæ voluntatis: hæc Vita consumati, perfectique sapientis.

S V M M A R I O L A.

1 *Beneficentia multiplex.*
3 *Beneficia quid.*
2 *Amor erga alterum quotuplex.*
4 *Beneficia quomodo distincta à charitate.*
5 *Qualitates beneficentiæ quæ.*
6 *De ratione benefic: tria requiri.*
7 *Benefic: in ordine ad amicitiam.*
8 *Hanc posse dari, in ordine ad se ipsum.*
9 *Virum bonum exercere opera benefic:*
10 *Amicus est alter ego.*
11 *Prauos non disponi amicabiliter ad se ipsos.*
12 *Benefic: omnibus benefacit.*
13 *Ars benefaciendi difficilis.*
14 *Beneficium indigno collatum, erubescit.*
15 *Benefacit sibi, qui digno benefacit.*



DE

DE BENEFICENTIA.

Caput LXXXXVI.



1 ENEFICENTIA pluribus modis accipitur, 1. ge-
neraliter, quatenus ſignificat quemlibet actũ exter-
2 num, quo, ſub qualibet ratione boni, fit alteri be-
3 neficium. In hoc ſenſu eſt Virtus ſpecialis moralis.
4 2. quatenus ſignificat illum actum externum, quo
alteri bene fit, ſub peculiari ratione boni, quod reſpiciat charitatẽ,
ex eo, quod fiat propter Deum, tunc erit actus charitatis, & non
virtus ſpecialis. S. Th: 2. 2. q. 31.

5 §. 1. *Qualitates beneficentiæ, quæ.*

De ratione beneficentiæ tria requiruntur, ſecundum Ariſt: 1. quod be-
6 nefiat voluntariè, 2. diligenter, & completè, iuxta poſſe. 3. quod
fiat gratia amici. Nam ſi quis benefaciat alteri, gratia ſui ipſius, non
eſt opus veræ amicitiæ. Quomodo autem Vir bonus, & Virtuoſus
7 diſponatur amicabiliter, & ſic ad beneficentiam in alios, & reſpectu
ſui ipſius, & reſpectu ſui amici, dicendum eſt. Primo quod ei conue-
nit beneficentia, reſpectu ſui ipſius, nam vult ſibi bona, ſecundum
8 omnem partem animæ, vt omnes potentiæ animæ perficiantur,
modo ſibi conuenienti, & non ſolum vult, ſed etiam laborat, vt
aſſequatur bona ſibi volita; boni enim, & virtuoſi hominis eſt, cona-
ri ad perficiendum bonum, quoniam virtus facit bonum habentẽ,
& opus ſuum reddit bonum. Conatur autem operari ſibi bonum
principaliter gratia intellectus, nõ quod homo ſit ſolus intellectus,
ſed quia eſt principale in eo; & ideò vir bonus, ad hoc laborat, vt
acquirat ſibi bona intellectualia, vt maximè bona, & ſic patet, Virũ
9 bonum habere beneficentiam, reſpectu ſui ipſius. Confirmatur.
Vir bonus maximè vult ſe ipſum eſſe, & viuere, & conſeruari in eſſe,
& maximè quoad partem intellectiuam, cui ineſt ſapientia; nam
vnumquodque appetit ſibi bonum. Bonum eſt autem Viro bono,
eſſe, viuere, & conſeruari in eſſe, ergo vult ſibi hæc bona, & ſic habet
primam partem beneficentiæ, quæ eſt beneuolentia erga ſe ipſum.
2. Ineſt Viro bono concordia, quæ eſt 2. pars beneficentiæ, & ami-
citię.

citiæ. Nam Vir bonus conuiuit sibi, secum habitans, & delectabiliter meditans præterita bona, quæ operatus est optimam spem habens benè operandi in futurum; & pro præsenti repletur mente theorematibus, idest speculationibus veris, ac fructuosis. Prætereacondolet, & delectatur maximè sibi ipsi. 3. Vir bonus exercet opera beneficentiæ, & amicitiæ, erga alterum; quod sic ostenditur. Omnia opera beneficentiæ exercet Vir bonus, erga se ipsum, vti dictum est: sed Vir bonus se habet ad amicum, vt ad se ipsum, quoniam amicus est alter ipse, ergo quæcunque

10 opera amicitiæ exercet Vir bonus erga se ipsum, exercet erga amicum suum, & sic benefacit, & bonum vult ei, & concordat cum eo.

11 Ex Arist: in 9. Ethic: Praui autem non disponuntur amicabiliter ad se ipsos,

Beneficentia omnes in miserijs positos, & calamitatibus, ad se

12 vocat, vulnerum, & plagarum remedia accedentibus impertiens. Greg: Niss: in orat: de paup: aman:

Ars benefaciendi est difficilis; nam si merentem beneficio af-

13 ficis, non loco beneficij sed præmij accipit. Si non merentem, be-

14 neficium ipsum erubescit, eo quod carceri indigno mancipetur. Ista est vsura Publij Mimij. Benefacit sibi ipsi, qui digno benefacit.

15 Beneficium dando accipit, qui digno dedit.

S V M M A R I O L A.

1 *Religio quid.*

2 *A quo dicatur.*

3 *Esse Virtutem.*

4 *Imperare alijs Virtutibus, quæ ordinantur ad reuerentiam erga Deum.*

5 *Charitatem esse eamdē erga Deū, & proximum.*

6 *Amorem esse eumdem erga Deū, & proximum.*

7 *Bonitas Dei communicatur Creaturis, sed non excellentia.*

8 *Dari tres gradus Diuini cultus.* 1 *Latriæ.* 2 *Duliæ.* 3 *Hiperduliæ.*

9 *Religionem habere aliquos actus exteriores.*

10 *Non esse Virtutem theologicam.*

11 *Præferri Virtutibus moralibus.*

12 *Sanctitas quid, & differre à religione.*

DE RE-

DE RELIGIONE.

Caput LXXXVII.



Religio est Virtus, qua redditur debitus cultus
1 Deo: & ista ordinat tantum hominem Deo. Dicitur
2 Religio quasi à Religendo se Deo, cui alligari debe-
mus tanquam indeficienti principio. Est Virtus, quia
3 reddere honorem Deo est actus bonus, & facit bonũ
habentem; & est Virtus specialis, distincta ab alijs. Nam in Deo,
qui est obiectum, reperitur specialis ratio excellentię, propter quã
4 exhibetur honos. Imperat alijs Virtutibus, quæ ordinantur ad reue-
rentiam erga Deum.
5 Est eadem charitas illa, qua amamus Deum, et proximum, sed
6 non ita religio, quia bonitas Dei communicatur creaturis, sed non
7 excellentia suæ bonitatis: ideò dantur tres gradus Cultus Diuini. 1.
8 Latria. 2. Dulia. 3. Hiperdulia. S.Th. 2.2. q. 81.
Habet religio aliquos actus exteriores reuerentiæ, sed secunda-
9 rios, vti ordinatos ad interiores primarios. S. Th. ibi.
Non est Virtus theologica, quia non versatur circa Deum, vti
10 obiectum, ad materiam, sed circa actus, quibus Deus colitur, vti
finis. S. Th. ibi.

§. 1. *Religionem præferri virtutibus moralibus.*

Religio pręferenda est Virtutibus moralibus, quia propius accedit Deo.
11 Nam non exhibetur cultus Deo, propter vtilitatem Diuinæ suæ
Maiestatis, sed propter suam gloriam, ad nostram vtilitatem. S. Th.
d. q. 81. ar. 6.

12 §. 2. *An Religio, & Sanctitas sint idem?*

Religio, & Sanctitas sunt idem in essentia, sed differunt ratione. Nam Sã-
ctitas est vna mens hominis, se ipsam, & suos actus applicans Deo,
& disponens se ipsam cultui Diuino: Religio verò quatenus dat
debitum cultum Deo. S. Th. d. q. 81. ar. 8.
Marcus Tull. Cic. sic eam diffiniuit. Religio est, per quam supe-

riori cuidam Naturæ, quam Diuinam vocamus, cultus, vel cura, cęremoniaquè exhibetur.

S V M M A R I O L A.

DE PÆNITENTIA.

Caput LXXXXVIII.

1 PÆNITENTIA, (non secundum quod est Sacramentū)
2 sed secundum quod est Virtus, est virtus, vel actus Virtutis, non tamen vt dicit dolorem, in sensu, quia vt sic, est
3 passio, sed vt est dolor, in voluntate, de quo est dolendum. Pænitentia est de præterito, vt qui ex vitioso fit studiosus. S. Th: 3. Par: q. 85. ar: 1.

Est specialis Virtus, quia in ea est specialis actus, & speciale obie-
4 ctum, idest dolor de præterito, vt offensa Dei quatenus est emendabile, auxilio Dei. S. Th: ar: 2.

An autem principium pænitentiæ sit ex timore, sic respondetur
5 à S. Thom: art: 5. quod Pænitentia, vt est habitus, infunditur à Deo, sine nobis, principaliter operante, sed non, sine nobis, dispositiuè cooperante, per aliquos actus, vt est motus fidei, motus timoris seruilis, ob pænam, motus spei, charitatis, timoris filialis.

§. 1. *Pænitentiam esse speciem Iustitiæ.*

Est species Iustitiæ, quia dicit vindictam peccati, & compensationem,
6 quod pertinet ad iustitiam. In Pęnitentia non est iustitia simpliciter, sed iustum, secundum quid, quale est, inter Dominum, & seruum,

& inter Patrem, & filium: & quamuis sit species iustitiæ, tamen quodammodo comprehendit ea, quę pertinent ad omnes Virtutes, vt fidei, prudentiæ, &c. S. Th: ibi ar: 3.

Voluntas est proprium subiectum Pænitentiæ, quia, vt dictum
7 est, est species iustitiæ, quæ est in voluntate. S. Th: ibi ar: 4.

8 *§. 2. An Pænitentia sit prima Virtutum.*


An autem Pænitentia sit prima Virtutum, sic proceditur. Ordo in virtutibus non attenditur, secundum tempus, quia sunt simul, cum sint connexæ, sed secundum naturam, & ordo naturæ sumitur ex actibus, quia scil: actus vnius supponit actum alterius; & sic actus fidei informis, & spei, & timoris seruilis præcedunt actum, & habitum Pænitentiæ etiam tempore. Sed charitas, & aliæ Virtutes, & earum
9 actus sunt simul cum pænitentia, tempore, quia in iustificatione liberum arbitrium simul mouetur in Deum, per charitatem, & in peccatum, per pænitentiam: sed actus amoris in Deum est prior,
10 quàm actus pænitentiæ, in peccatum, quia hic est ab illo, quoniam Deus est causa finalis, & prior intentione. Item Virtutes theologicę, & aliæ, quæ, per se, sunt in Deum, sunt priores pænitentia, quæ est
11 per accidens, & ex suppositione peccati S. Th: d. q. 85. ar: 6.

S V M M A R I O L A.

1 *Humanitatem dupliciter accipi. 2. quid sit. 3. Humanus quis. 4. Facilis quis. 5. Facilitas quid. 6. Mitis quis. 7. Mansuetudo & lenitas. 8. Immanitas. 9. Mansuetus quis. 10. Mititas, Lenitas, humanitas idem. 11. Mansuetus distinctus à miti. 12. Benignitas quid. 13. Benignus quis.*

D E H V M A N I T A T E.

Caput LXXXXIX.



1 HVMANITAS dupliciter accipitur. 1. Pro eruditione, & bonarum literarum scientia, Nam eruditio, & bonarum artiũ disciplinę soli homini sunt propriè. 2. Huma-
2 nitas dicitur illa mansuetudo, & facilitas, quæ soli, et
3 propriè homini conuenit. Vnde Cic: Pro Rosc: Am: Magna est vis

 humanitatis,

4 humanitatis, communio sanguinis, natura ipsa. Et cum homo, inter
5 omnia animalia, maximè mitis sit, idcirco humanus pro facili, et
6 miti accipitur. Vnde humanitas pro facilitate, mansuetudine, &c.
7 propriè pro amore, in homines, accipitur; Vnde Cic: lib: 1. Offic:
8 Non modo id virtutis non est, sed est potius immanitatis, omnem humanitatem repellentis.

Appellatur etiam lænitas, et Mititas, à qua dicitur mitis. Est autẽ
9 mitis, qui ex naturę suæ lenitate, siue humanitate, etiam prouoca-
10 tus non irascitur, cum meritò posset irasci. Quomodo autem di-
11 stinguatur Mitis, et Mansuetus, dictum est supra sub Tit: 77. §. 4.
12 et 5. Humanum propriè dicimus eum, qui erga hominem, amoris, et miserationis seruat affectum.

Dicitur etiam benignitas, est autem benignitas habitus volunta-
13 riè benefactiuus. Vnde benignum eum dicimus, qui sponte paratus est, ad benefaciendum alteri, et dulcis ad colloquendum.

SVMMARIOLA.

1 *Beneuolentia quid.*
2 *Esse nomen analogum.*
3 *Non esse amicitiam.*
4 *Ad ignotos posse extendi.*
5 *Differentia inter beneuolentiam, & amicitiam.*
6 *Amatio quid.*
7 *Amatio, & beneuolentia quomodo distinguantur, &c.*
8 *Beneuolentiam dicere debilem motum voluntatis.*
9 *Esse principium amicitiæ.*
10 *Beneuolus, & amicus distinguuntur.*
11 *Amicitia triplex. 1. Vtilis. 2. Delectabilis. 3. Honesta.*

DE BENEVOLENTIA.

Caput C.

1 BENEVOLENTIA est actus internus amoris, in alterũ:
2 Vt terminus genericus, et analogus, ad plura significata, transfertur, si moueatur à respectu consanguinitatis, videlicet si sit Pater, vel Mater, erit Pietas: Si alij consanguinei, actus naturalis consanguinitatis: Si feratur amor erga Deum, erit charitatis: Si in proximum, propter Deũ, etiam charitas: Si in proximum, propter beneficia accepta, gratitudo.

3 §. 1. *An beneuolentia sit amicitia.*

Beneuolentia non est amicitia, nam amicitia nō est ad ignotos, necesse est
enim, secundum Arist: duos amicos cognoscere sese, ad hoc, vt se
4 mutuo ament. Beneuolentia autem potest esse ad ignotos, nam
possum esse beneuolus homini, quem numquam vidi, sed tantum
audiui de eo, quod est Vir bonus, iustus, Vrbanus, &c. 2. Beneuolen-
5 tia potest esse latens, & incognita illi, erga quem beneuolentiam
habeo, fortè enim nescit se à me amari. Sed amicitia non potest esse
6 latens. 3. Beneuolentia nō est amatio: Amatio enim propriè sumpta
dicit actum amandi intensum, quo, quodam impetu, mouetur ani-
mus amantis, in amatum. Sed beneuolentia nō importat, nisi debi-
lem motum voluntatis, & appetitus, erga beneuolitum, ergo non
7 est amatio; est enim amatio actus intensus, & beneuolentia actus
remissus, sicut calefactio vt sex, & calefactio, vt tria. 4. Amatio fit per
consuetudinem: paulatim enim crescit, ex mutuo conuictu. Be-
neuolentia autem fit repentè: Nam si duo ludunt, aut in stadio
currunt, etiam quod vterque sit mihi incognitus, statim quod eos
video, vellem hunc, præ alio, vincere, nullam tamen ad hoc operam
darem, nec adiuuarem, licèt placita mihi esset Victoria sua: ratio est,
quia amatio dicit intensum actū amandi, ideò successiuè, & tempo-
re fit, & est causa, quod amans prorumpit in actum externum, in
beneficium amati, data facultate. Quia autem beneuolentia dicit
8 debilem motum voluntatis amantis in amatum, ideò fit superficia-
liter, & repentè, & non impellit amantem ad actum exteriorem
9 pro amato. 5. Beneuolentia tamen est principium amicitiæ, & si
fuerit perseuerans, perueniet in amicitiam. Probatur, secundū Arist:
sicut se habet delectatio, in aspectu formosæ mulieris ad amationē
eiusdem, sic beneuolentia ad amicitiam. Sed delectatio illa est
principium amationis: nullus enim incipit mulierem amare, scilicet
per concupiscentiam, nisi prius delectetur eius pulchritudine, visa,
vel nunciata, nec tamen statim ex eo, quod delectatur eius pulchri-
tudine, adamat eam: sed hoc erit signum completæ adamationis:
Qui absens desiderat eam, dolens ex eius priuatione, & cōcupiscens
præsentiam; eodem modo se habent beneuolentia, & amicitia: non
enim duo fiunt amici, nisi prius fuerint beneuoli: nec tamen, ex

hoc, quod ſunt beneuoli, ſunt amici: nam beneuolo ſufficit velle
10 bonum ei, cui eſt beneuolus, ita quòd non oportet pro illo operari,
nec pro illius malo intensè perturbari. 6. Beneuolentia verò non eſt
11 principium amicitię vtilis, nec delectabilis, ſed honeſtę. Nam qui
eſt beneuolus alicui, non ſolum vult ſibi ipſi bonum, ſed etiam illi,
cui eſt beneuolus: ſed qui amat propter vtile, aut delectabile, vult
bonum ſibi ipſi tantum, vt ſi recipiat vtile, aut ſolatium ex illo,
quem amat etiam quod eſſet in damnum amati, ergo nullus eſt
beneuolus propter vtile, aut delectabile, ex conſequenti nõ poteſt
dici, beneuolentiam eſſe principium amicitiæ vtilis, aut delectabilis
ex.: Ariſt: in 9. Ethic:

S V M M A R I O L A.

1 *Deuotio quid. 2. Eſt actus Religionis. 3. Generatur à charitate. 4. Charitatem nutriri deuotione. 5. Contemplationem eſſe cauſam intrinſecã deuotionis. 6. Meditationem quoquè. 7. Conſiderationem bonitatis Dei excitare dilectionem. 8. Deuotionem etiam conſiſtere, in contemplãdis ijs, quæ ſunt Diuinitatis.*

DE DEVOTIONE.

Caput CI.

1 EST actus ſpecialis voluntatis meritorius, vel eſt volũ-
2 tas parata dandi ſe ipſum, & res illas, quæ pertinent
ad famulatum Dei. Et eſt actus religionis: Charitas
3 generat deuotionem, & deuotione charitas nutritur,
4 vti calor generat pinguedinem, & pinguedine nutri-
tur calor. Contemplatio, & meditatio eſt cauſa intrinſeca Deuotio-
5 nis, ex parte noſtra. Iuuat conſideratio bonitatis Dei, & ſuorum
6 beneficiorum, ad excitandam dilectionem, quæ eſt cauſa deuotio-
7 nis. Deuotio etiam conſiſtit, in contemplandis ijs, quæ ſunt Di-
8 uinitatis. S. Tho: 2. 2. q. 82. ar: 1. 2. & 3.

SVM-

1 *Oratio quid.*

2 *Esse actum Religionis præcipuum.*

3 *Esse conueniens orare.*

4 *Deum velle, vt oremus.*

5 *Deum dare multa etiam non rogatum.*

6 *Oratione impetrari etiam ea, quæ Deus disposuit.*

7 *Fiducia augetur in Deum, mediante oratione.*

8 *Deus solus orandus est quoad implementum gratiæ.*

9 *Sancti etiam orandi sunt, & quomodo.*

10 *Angeli etiam orandi sunt.*

11 *Sancti, & Angeli vident, in æterno Verbo orationes nostras.*

12 *Bona absolutè à Deo petẽda sunt.*

13 *Bona autem secundum quid non petenda determinatè.*

14 *Temporalia petuntur à Deo, non principaliter, sed vt media.*

15 *Pro inimicis debemus orare, in generali.*

16 *In dilectione inimicos non excludendos.*

17 *Pro inimicis orare in speciali, est perfectionis.*

18 *Quomodo sit in præcepto diligere &c. & orare pro inimicis.*

19 *Inimicis quomodo possint desiderari mala temporalia.*

20 *Oratio Dominicalis conuenienter habet septem petitiones.*

DE ORATIONE.

Ex S. Th. 2.2. q.83.

Caput CTI.



ORATIO est actus Religionis præcipuus, quo offer-
1 tur mens Deo subiecta. Non est actus appetitiuę vir-
2 tutis, sed rationis, quia idem est, quod dicere, vt est deprecatio, & petitio, sed intellectus mouetur à voluntate, quæ ordinat actus eius ad reuerentiam Dei:
3 Ideo est actus religionis præcipuus.

Est conueniens orare, vt impetremus, quod Deus disposuit, per
4 orationem Sanctorum esse implendum, non quod mutetur Diui-
5 na dispositio, nec res necessariò eueniant, vt licet Deus multa det,
6 non rogatus, tamen pro nostra vtilitate, vult, vt alia orando impe-
7 tremus; vnde nobis fiducia in eum augeatur.

Solus

8 Solus Deus orandus est,quoad implementum gratiæ, sed San-
9 cti,& Angeli etiam orandi sunt,vt eorum meritis, & precibus ora-
10 tio nostra habeat effectum . Nam vident in æterno Verbo, quæ ad
11 nos pertinent, Ver: gr: orationes nostras.
12 Bona, quibus homo male vti non potest, vt sunt media ad bea-
13 titudinem, sunt determinatè petenda ; sed bona, quibus possumus
bene, & male vti,non sunt determinatè petenda,vt diuitiæ honores
14 &c: quia aliquando melius est,non impetrasse illa. Temporalia pos-
sunt peti à Deo, non principaliter,sed vt media,in ordine ad salu-
tem Corporis,vt victui nostro necessaria.
Pro inimicis debemus orare, & in generali est præceptum, sicut
15 diligere ; idest non excludere: Sed in speciali,est perfectionis, non
16 necessitatis, sicut diligere; sed in præparatione animi, vel in aliquo
17 casu, vt in articulo necessitatis, vel si veniam peterent,est in præce-
18 pto,vt eos diligamus.Item licet impugnare inimicos,vt compescā-
19 tur à peccatis, vel orando, petere aliqua mala temporalia, vt corri-
gantur.S. Thom.hic art. 8. Conuenienter assignantur septem peti-
20 tiones in oratione Dominica,et declarantur hic à S. Th:ar:9.

S V M M A R I O L A.

1 *Lætitia quid.* 2. *Lætitia mala quæ.* 3. *Superbiæ duodecim gradus.* 4. *Lætitia inepta quid, iterum*

DE LÆTITIA.

Caput CIII.


1 LÆTITIA est effectus deuotionis ; hoc modo. Deuotio causat perse, & principaliter spiritualē lętitiā mentis; per accidens tristitiam ; quæ est secundum Deum. In passione Christi bonitas, & benignitas Dei lætificant ; defectus humani contristant ; sed spes Diuini auxilij delectat.S. Tho:2.2.q.82.art.4.
Datur etiam lętitia mala,& inepta,numerata à Sancto Bernardo
2 in opusculo de gradibus Humilitatis ; inter gradus duodecim su-
3 perbiæ, qui sunt. 1. Curiositas. 2. Mentis leuitas. 3. Inepta lætitia. 4. Iactantia.

Iactantia. 5. Singularitas. 6. Arrogantia. 7. Præſumptio. 8. Defenſio peccatorum. 9. Simulata Confeſſio. 10. Rebellio. 11. Libertas peccandi. 12. Conſuetudo peccandi. Quid ſint, vide apud eum. Satis ſit hic exprimere quidditatem ineptæ lętitię. Proprium eſt ſuperborum læta ſemper appetere, & triſtia deuitare. Vnde, & Monacus, qui iam duos ſuperbiæ gradus deſcendit, dum per curioſitatem ad animi leuitatem deuenit, cùm gaudium, quod ſemper appetit, frequenti videt interpolari triſtitia, quã de bonis alterius contrahit, impatiens ſuæ humiliationis fugit ad conſilium falſæ conſolationis, ita vt bene ſui conſcius, vel ſui oblitus, vel ab omni culpa abſolutus putetur. Accipe quibus eam ſignis, vel in te deprehendas, vel in altero. Illum, qui huiuſmodi eſt, aut nunquã, aut rarò gementem audies, aut lacrimantem videbis. Nunc apparet in fronte hilaritas, nunc inſignis ſcurrilitas, nunc ad iocum pronitas, nunc vanitas in inceſſu, nunc facilitas in riſu. Huic opponitur Humilitatis gradus. Non eſſe facilem, aut promptum ad riſum.

Lætitia inepta ex duobus prouenire poteſt. 1. Ex malo habitu
4 peccandi, vt quandoquis lætatur, & gloriatur, ſic, vel ſic peccaſſe, & vt ſic prouenit ex omni peccato. Lætatur enim, & gloriatur ſuperbus in ſuperbia ſua, auarus in diuitijs, iratus in vindicta, adulter in adulterio, &c. Prouenit in ſpecie ex gula, & bibacitate; nam qui bene bibit, ſe magnificè extollit, omnia audet, omnibus minatur, donec mero exauſto, feruet, & vt ſic filia eſt gulæ.

S V M M A R I O L A.

1 Verecundia quid. 2. Poteſt eſſe Virtus, & paſſio. 3. Habet ſua extrema. 4. Cataplex eſt vnum extremũ, & quid. 5. Inuerecundia quid. 6. Inuerecũdus quis. 7. Verecundiam non dari in Virtuoſis, & ſenibus. 8. Iſtos tamen eſſe diſpoſitos verecundari. 9. Non dari in peſſimis.



DE VERECVNDIA.

Caput CIV.



1 VERECVNDIA eſt horror turpitudinis contra-
riç honeſtati. Quatenus eſt quędam laudabilis paſ-
2 ſio, erit Virtus, licet impropriè, quatenus eſt timor
facinoris perpetrati, vti exprobrabilis, erit paſſio. S.
Thom. 2. 2. q. 114. ar. 1.

Circa eam dictum eſt ſupra c. 44. quod inter paſſiones quædam
ſunt, in quibus eſt accipere medietatem laudabilem, & extrema
3 vituperabilia, inter quas eſt verecundia, nam in ea mediũ laudabile
dicitur verecundia: laudatur enim verecundus, quia medium tenet.
Verecundatur quando oportet, de quibus oportet, & quantum
4 oportet. Eius extremum ſuperabundans dicitur cataplex, & eſt ille,
qui de omnibus, tàm bonis, quàm malis verecundatur. Extremum
5 defectiuum dicitur inuerecundia, & inde inuerecundus qui, etiam
6 impudens appellatur, qui de nulla re verecundatur, ſed ſemper
frontoſus in eodem vultu permanet. Ex Ariſt. 2. Rethor.

In hominibus virtuoſis, & in ſenibus non datur verecundia,
7 quia non apprehendunt illam, vti poſſibilem ſibi ipſis, vel ap-
8 prehendunt vitabilem: Sunt tamen diſpoſiti verecundari. In pec-
9 catoribus, qui gloriantur de peccatis non cadit verecundia: Vnde
dicitur, A peſſimis, & ab optimis remotam eſſe verecundiam, ex di-
uerſis cauſis. S. Thom. vbi ſupra.

SVMMARIOLA.

1 Nemeſis quid. 2. Nemeſius quis. 3. Extrema quæ. 4. Inuidia vnum extremum. 5. Inuidus quis. 6. Epyrecatia quid.

DE NEMESI.

Caput CV.

1 NEMESIS, est tristitia de prosperitatibus malorũ.
2 Est laudabilis passio. Nam nemesius est ille, qui solũ tristatur, si viderit malos prosperari. Vnde videns
3 bonos prosperari, & malos affligi, gaudet; quia loquendo moraliter, lætatur de Iustitia præmiatiua bonorũ, & punitiua malorũ. Hoc est laudabile, apud Philosophum moralem. Eius extremum excessiuum, dicitur Inuidia: est enim
4 inuidus, qui tristatur de prosperitatibus bonorum, & malorum,
5 quod est vitiosum. Extremum deficiens dicitur Epyrecatia, idest
6 de nullo tristari, siue boni, siue mali prosperentur, immò gaudere de prosperitate malorum, non autem de prosperitate bonorum, & talis maximè vituperabilis est. Ad euitandã ista duo extrema, vtimur Nemesi. Ex Arist: 2. Rhetor.

DE PVDORE.

Caput CVI.

PVDOR, qui etiã appellatur erubescentia, est timor,
1 quo, post aliquam malam actionem, de qua conscij sumus nobis ipsis, apprehendimus ignominiam, cum
2 conuitio, & exprobratione; est effectus bonus, quia erigit animum à lapsu, & preseruat à nouo lapsu. Non est Virtus, sed passio laudabilis. Azor: Par: 1. lib: 3. c. 15.

Visis, & discussis quidditatibus omnium Virtutum pro conclusione præsentis laboris, non ingratũ duximus fore, si infrasciptos duos Titulos, quasi corollariè subiungimus, vti maximè pertinentes, ad materiam nostram moralem.

SVMMARIOLA.

1. Tria mala fugienda, in Vita morali. 2. Tria sectanda moraliter. 3. Mala fugienda sunt. 1. Malitia. 2. Incontinentia. 3. Bestialitas. 4. Ad dicta tria reducitur omne peccatum. 5. Bonitas moralis 4. exigit: 1. ratio-

nem

nem practicam, in qua est Prudentia. 2. Electionem. 3. rectitudinem electionis. 4. Operationẽ conformem. 6. Mores boni dijudicandi magis ex electione, quàm ex operatione. 7. operatio non attenditur, sed electio. 8. Virtus ex electione, & non operatione iudicatur. 9. Peccatum morale est ex carentia rationis, & electionis. 10. Bestialitas quid. 11. Bestialis quis. 12. Malitia quid. 13. Malitia peruertit iudicium rationis. 14. Malitia mentiri facit, circa principia practica. 15. Incontinentia quid. 16. Incontinens quis. 17. Virtus opponitur malitiæ. 18. Heroica Virtus quid. 19. Opponitur bestialitati. 20. Homines fiunt Dij, per virtutem. 21. Diuus qui dicatur. 22. Vitio pessimo opponitur optima Virtus. 23. Bestialis vnde. 24. Barbari qui. 25. Heroës vbi. 26. Bestiales etiam fieri ex ægritudine. 27. Malè nati qui dicantur.

DE VIRTVTE HEROICA,

Ex Arist: in 7. Ethic:

Caput CVII.

1 PRÆCOGNOSCENDA adnotantur. Tria esse, quę fugere
2 debemus; in Vita morali; & tria opposita, quæ sectari
3 tenemur, Ad tria, quæ fugienda sunt, reducitur, omne
4 peccatum, in moralibus. Sunt autem. 1. Malitia. 2. Incontinentia. 3. Bestialitas, seu feritas.

Ratio horum trium est: quia bonitas moralis quatuor exigit. 1.
5 Rationem practicam, in qua est prudentia, sine qua nulla est Virtus moralis. 2. Electionem, quia magis dijudicamus mores bonos ex
6 electione, quam ex operatione. 3. Rectitudinem rationis, & electio-
7 nis: oportet enim rationem esse veram, & appetitum rectum. 4.
8 Operationem conformem rationi rectæ, & electioni rectæ, aliter non esset homo studiosus, sicut nec infirmi, audientes præceptum Medici, & non exequentes, non acquirunt sanitatem.

Omne igitur peccatum, quod potest contingere, circa mores,
9 vel est. 1. Ex carentia rationis, & electionis, & sic est bestialitas.
10 Bestialis enim homo nec rationem, nec electionem habet de eo,
11 quod operatur; sed fertur sua imaginatione, impetu, & effrænata passione, vt bestia. 2. Vel est ex carentia rectæ rationis, & rectæ
12 electionis, & sic est malitia. Malitia enim peruertit iudicium, & mentiri

13 mentiri facit, circa principia practica. 3. Vel est ex carentia operatio-
14 nis, conformis rationi, & electioni rectæ, & sic est incontinentia.
15 Incontinens enim rectè iudicat de agendis, & rectè eligit, sed paſ-
16 ſione agitatus, non benè operatur, & non permanet perſeuerans,
in ratione recta, & in electione recta.

Tria ſunt bona, oppoſita tribus prędictis fugiendis. 1. Eſt Virtus,
17 quæ opponitur maliciæ. Sumitur enim malitia pro vitio. 2. Eſt
continentia, quæ manifeſtè opponitur incontinentiæ. 3. Eſt Virtus
18 heroica, quaſi Diuina, eò quòd excedit communẽ modum Virtutũ
humanarum; & quoniam non eſt manifeſtum, hanc Virtutem
19 heroicam poſſe inueniri, in homine, ideò Ariſt: vbi ſupra, probat,
dicto Homeri, & aliorum, poſſe reperiri, in homine, & opponi
beſtialitati, & aſſignat cauſas, propter quas homo fit, vt beſtia.

Quod Virtus heroica detur, teſtatur Homerus, qui introducens
Priamum, laudantem Virtutem, & excellentiam Hectoris, inquit.
Eximia ille bonitate præſtabat, neq; videbatur mortalis hominis
filius, ſed Dei. Si igitur dicit Ariſt: ex hominibus fiunt Dij, per
excellentiam Virtutis, vt aiunt communiter homines, talis quidem
20 erit is habitus, qui ſcil: dicitur Virtus heroica, immanitati oppoſitus.

Prętereà apud lacones conſuetum fuit appellare Viros Diuinos,
quando videbant aliquos raros excellere, in Virtute, communem
hominum modum, ergo ſignum eſt, quod Virtus heroica, poteſt
ineſſe homini. Hinc prouenit, quod prudentiſſimos, ſapientiſſimos,
21 fortiſſimos appellamus Diuos. Vt Diuus Plato; Diuus Salamon.
22 Diuus Alexander, &c.

Heroicam Virtutem opponi beſtialitati, ſic probatur ab Ariſt:
23 Vitio, quod rarò inuenitur, opponitur Virtus rarò inuenta: Sed
24 beſtialitas rarò inuenitur, in ſpecie hominum, & Virtus heroica
ſimiliter. Sicut enim rari homines viuunt, vt beſtiæ, ſic rari viuunt,
25 vt Dij. Præterea peſſimo vitio opponitur optima Virtus; ſicut
frigidiſſimo opponitur calidiſſimum: ſed beſtialitas eſt peſſimum
vitium; priuat enim hominẽ omni excellentia humana, & heroica,
26 eſt optima Virtus, quoniam eleuat hominem, ſuper alios, ergo, &c.

Ex tribus cauſis, ſecundum Ariſt: vbi ſupra, homines fiunt beſtia-
27 les. 1. Ex conuerſatione inter barbaros: iſti enim indiſciplinati ſunt,
28 & non vtuntur ratione, in agendis, ſed imaginatione, & appetitu
irregulato; Vnde qui conuerſantur inter eos, contrahunt mores

brutales, cum peruersis enim peruertuntur. Barbari iuxta Arist: sunt omnes homines, præter Græcos: & quoniam Græci sunt disciplinati,& connutriti ratione,ideò quãdo dicit Arist:quod bestiales sunt rari, intendit apud Græcos. Nam apud Barbaros,qui non assuescunt viuere, ratione, bestiales sunt pro maiori parte, &
29 Heroes non inueniuntur in eis. Sed secundum veritatem, barbari
30 sunt illi, apud quos non sunt bonæ disciplinæ, in moralibus, & veræ eruditiones primæ ætatis. Vnde videmus Populos illitteratos,montanos,siluestres, pro maiori parte,feraliter viuere.

31 2. Ex ægritudine aliqui fiunt bestiales, aut ex orbitate, idest priuatione rei caræ. Tales enim versi in amentiam,viuunt,operantur, & comedunt,vt immanes feræ, aut enim carnes crudas comedunt, aut sanguinem humanum bibunt, aut conuiuia instruunt, comedentes proprios filios. Ad hanc bestialitatem aliquando reducuntur quædam mulieres prægnantes, quæ carbones, terram, &c. Monstruosè manducant.

3. Ex augumento malitiæ: quidam enim sunt adeò malè nati, &
32 post malam natiuitatem, adeò malè assueti, quod nesciunt aliud, quàm immaniter viuere,vt potè corruptam habentes in se,humanã naturam; Hos, inquit Arist: superinfamamus, idest vocamus eos absolutè bestiales.

SVMMARIOLA.

1 *Virtuosum opus duo requirit.* 2. *Prudentia non sufficit, sine Virtute mor:* 3. *Virtus mor: concurrit, in opere, cum prudentia, coniunctim.* 4. *Intentio recta est circunstantia necessaria.* 5. *Ista habetur, per Virtutem mor:* 6. *Nam hec facit finem rectum.* 7. *Et inclinat appetitum, in debitum finem.* 8. *Virtuosus debet benè se habere, quoad media.* 9. *Prudentia versatur circa media inquirenda.* 10. *Prudens non potest esse, nisi sit virtuosus, nec econtra.* 11. *Prudentia non datur, sine recta electione finis: & electio finis non datur, sine Virtute mor:* 12. *Finis in operabilibus, est sicut principium, in speculabilibus.* 13. *Scientia vera non est, si sit error circa principia.* 14. *Prudentia vera non est, si sit error, circa finem.* 15. *Iustus aliquando quis non est, etiam si operetur iusta.* 16. *Ad iustum, vt sic, requiritur electio.* 17. *Virtus mor: facit rectam intentionem finis; prudentia electionem.* 18. *Astutia quid.* 19. *Dinotica potentia quid.* 20. *Ingeniositas quid.* 21. *Industria*

stria naturalis quid. 22. Ingeniosus fut quis. 23. Dinotica potentia bona, & mala. 24. Astutia, est idem cum dinotica potentia. 25. Quomodo hæc distinguatur à prudentia. 26. Astutus, & prudens, qui. 27. Virtuosus bene iudicat de fine. 28. Malus male iudicat de fine. 29. Prudens rectè syllogizat, circa operabilia. 30. Dinotiens, & astutus quis,

AD OPVS VIRTVOSVM DE NECESSITATE CONcurrere prudentiam, & Virtutem mor: vti duas causas connexas, ex Arist: 6. Ethic.

Caput CVIII.


D perfectionem operis virtuosi, duo requiruntur. 1.
1 quod homo habeat rectam intentionem de fine,
2 propter quem vult operari, hæc est enim principalis
3 circumstantia, in actu morali. Recta autem in-
4 tentio de fine habetur per Virtutem moralem. Vnde
dicit Arist. Virtus moralis intentionem facit rectam, ex eo quod
5 inclinat appetitum, in debitum finem, sicut fortitudo inclinat ira-
scibilem ad pugnandum, pro Patria, & pro Diuina lege seruanda. 2.
quod homo benè se habeat, quoad media, quibus consequatur re-
6 ctum finem intentum, scil: inquirendo ea, & iudicando, & præci-
piendo, & exequendo. Quid enim prodest forti, velle pugnare pro
7 Patria, si nesciret debita media, quibus speraret hostes vincere? Cir-
8 ca media autem conuenientia inquirenda versatur prudentia, eo
9 quod est benè consiliatiua, iudicatiua, & preceptiua, ad consequen-
dum finem rectum, intentum à Virtuoso. Ex his ergo constat, ad
10 opus virtuosum requiri prudentiam, & Virtutem moralem simul.

Ex dictis quasi corrolariè Arist: conatur ostendere connexionē
11 prudentię, cum Virtute morali, ita vt non possit quis esse Virtuosus,
nisi sit prudens, nec è cōuerso. Probat autem hoc talibus rationibus.

Prudentia non potest esse, sine recta electione finis, propter quē
12 operandum est. Sed recta electio finis, non potest esse, sine Virtute
13 morali, ergo prudentia non potest esse, sine virtute morali. Maior
14 sic probatur. Finis in operabilibus est, sicut principium, in specula-
bilibus, ex 2. Phisic. ergo sicut non potest esse vera scientia, si sit

error,

15 error, circa principia, sic in agibilibus, non potest esse recta cogni-
tio de agendis, & per consequens vera prudentia, si sit error, circa fi-
16 nem, propter quem operandum est, & ideò sine recta electione fi-
nis, non potest esse prudentia, quæ est circa media ad finem: sicut
non potest esse vera scientia conclusionum, si sit error, circa prin-
cipia. Minor autem, scil: quod recta electio finis, non possit esse, si-
ne Virtute morali, sic manifestatur. Dictum est supra in alijs Capi-
tulis, quod quidam operantur iusta, & tamen non sunt iusti, quia
17 operantur, non amore Virtutis, sed timore, aut ex ignorantia, aut
18 lucro. Ad hoc vt sint iusti, oportet, quod operentur iusta, quia eis
19 placet, & sic eligunt operari. Virtus autem moralis est illa, quæ facit
20 rectam intentionem finis, & prudentia electionem.
Ad tacitam obiectionē, nempè si quis diceret, quod ad virtuosè
21 operandum, licet sint inquirenda, & iudicanda debita media, tamē
22 non esse necesse ea inquiri, per prudentiam; sed sufficere astutiam,
23 vel potentiam dinoticam, idest ingeniositatem, siue naturalem in-
24 dustriam. Nam furē ingeniosum dicimus qui scit inuenire media
subtilia, ad furandum, sic respondet Arist. Ista potentia dinotica po-
25 test esse bona, & mala, ex bono, & malo fine. si sit mala dicitur
26 astutia, quia est, vel ex malo fine, vel ex malis medijs. Si bona dici-
27 tur prudentia, quia ex bono fine, & ex bonis medijs. Licet secundū
28 communem vsum, & modum loquendi communiter, & astutos, &
29 prudentes appellamus dinoticos, idest ingeniosos, siue industrio-
sos: sed vera differentia est, quod Prudentia est dinotica, idest inge-
niositas, adiuncta Virtuti morali, quæ semper se habet ad bonum,
eo quod Virtus moralis est respectu boni finis. Astutia autem est de
30 per se, sine respectu boni finis, vel boni medij. Sed quod hoc sit
31 optimum non apparet, nisi Virtuoso, qui rectè iudicat de fine: Ma-
lis autem non apparet optimum, eo quod malitia opposita Virtuti,
peruertit rationis iudicium, & mentiri facit, circa bonitatem finis.
Cum igitur ad prudentem pertineat rectè, & verè circa operabilia
syllogizare, patet, impossibile esse, aliquem prudentem fore, nisi sit
32 Virtuosus, licet possit esse dinoticus astutus. Hinc solet dici. Quod
malus non potest esse prudens, sed astutus. Hæc omnia dicta sint, ad
33 laudem, & gloriam Dei Omnipotentis, Patris, & Filij, & Spiritus
Sancti, ac Beatissimæ Virg: MARIÆ, ac omnium Sanctorum, sub
humillima correptione Sanctæ Matris Ecclesiæ, & Peritorū. Amen.


D.Ber-

D. Bernardinus Sessius Clericus Regularis. Consultor Sancti Officij De mandato Reuerendiss. Patris Inquisitoris.

De mandato Reuerendiss. Patris Inquisitoris vidi suprascriptum librum & nihil in eo inueni contrarium fidei, vel bonis moribus, atq; ideo typis mandari posse censeo ego infrascriptus sacrę Theologiæ professor, & consultor S. Officij.

D. Ioannes Bona Monachus Cistercien.

F I N I S.






INDEX

Capitulorum.

Qq De

F I N I S.



INDEX

Materiarum.

 Astutia.


Dedititij

Fortitudo.

Inhumanitas.

Maleficentia.

Pax.



pag:	verſ.	*Mendum.*	*Emendandum.*
1	31	tantam	tantum
2	2	Intelligētiā	intelligentia
2	11	Grāmaticā	Grāmatica
5	7	rationatialis	rationalis
5	8	propeter	propter
6	9	ſi	ſit
7	21	tranquilitas	tranquillitas
25	3	ſubſtantia	ſubſtantia.
26	12	Patet.	Patet ergo.
29	14	corrupi	corrumpi.
40	2	magis	magnis,
40	26	ſubiectiuæ	ſubiectiua
56	.....	definientē	deficientem
81	14	Politice	Politiæ.
86	.....	olectamētis	oblectamētis
98	.....	ex oppoſito	ex oppoſito.
115	5	ſupra	ſupra. quod
119	1	paſſionibus Concup.	paſſionibus concup.
126	9	§ 15	§ 4.
129	9	fides	fidos
131	3	appellant	appellantur
132	verſ.vlt.	cauſa	circa.
ibidē		iterum cauſa	circa
133	7	cōcitarunt	concitatas
ibidem		in ijs,quibus	in ijs,in quibus
135	13	propte	propter
136	21	appetitur	appetitum
140	3	tatum	tantum.
141	5	bonum	bonorum
149	1	Abbatiua	Abbatiſſa
162	8	Quo	Quod
169	1	attinet	attinent.
169	16	extrema	externa.
221	28	timore	timere
222	23	furtis	fortis.
224	17	ſedductus	ſed ductus
248	5	ira	iram.

